UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regale Sacerdotium Romano Pontifici Assertum

Sfondrati, Celestino

[Sankt Gallen], 1684

urn:nbn:de:hbz:466:1-63125

Visual Library

Th. 4828.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. II
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Admodum Reuerdis Patribꝰ Societatis IESV
Collegij Padibornensis

Gvilielmus Liber Baro de Fürstenberg
præpositus Monasteriensis & Decanus Salisburgensis

D. D.

REGALE SACERDOTIUM ROMANO PONTIFICI ASSERTUM,

ET

QUATUOR

PROPOSITIONIBUS

EXPLICATUM,

AUCTORE

EUGENIO LOMBARDO,

SS. Theologiæ & J.V.

DOCTORE.

Cum permissu & facultate Superiorum,

Excudebat Sebastianus Trogus,

Typis & expensis CYRIANDRI DONATI.

Anno M. DC. LXXXIV.

REGALE SACERDOTIUM ROMANO PONTIFICI ASSERTUM,

ET

QUATUOR PROPOSITIONIBUS EXPLICATUM,

AUCTORE

EUGENIO LOMBARDO,

SS. Theologiæ & J.V. DOCTORE.

Cum permissu & facultate Superiorum,
Excudebat Sebastianus Tragus,
Typis & expensis CYRIANDRI DONATI.
Anno M. DC. LXXXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ÆTERNÆ VERITATI.

O Neglecta & derisa Veritas! TIBI hæc folia; Cui enim alteri, quæ placere non possunt, nisi amanti Veritatem. Alii tiaras & coronas quærunt, à quibus aut pretium, aut gratiam ineant. Tu mihi ante omne pretium & gratiam es. Et vici & felix fui, si TIBI placui. Jaces nunc quidem, vel neglecta vel invisa; nam fuco & mendaciis vivitur. In aulis quot blanditiæ in vultu, quot obsequia in gestu, quot amores in fronte, quot Syrenes in voce, quot scenæ, quot larvæ, quot artes adulantium, Veritate proscriptâ? Periit, qui non fallit. In tribunalibus, hoc est, in ipsa ara Veritatis, quid aliud tot advocatis, tot testibus, tot legibus, tot juribus agitur, quàm ut catenatis retrò manibus, Tu Rea, Tu Victa, currum & triumphum fraudis adornes? In historia verò, hoc est, speculo tuo, illi ipsi, qui Te profitentur, qui ad Tuum Vexillum jurant, ah quoties Te produnt! Aut tacent, aut excusant, aut negant, aut saltèm tot nebulis Te involvunt, ut ne appareas quidem. Sic videlicet tam es invisa, ut nullibi placeas, nisi larvam vultui prætendas; fucus, non facies amatur. In ipso Sanctuario Tuo, ubi de moribus, ubi de conscientia & æternitate alea vertitur, heu quanta Tui oblivio! Pingendis, ornandísque vitiis ubique colores elaborantur, & quæ præscribi debuerant, Paranympho Theologo in amplexum & thorum eunt; non adulteria, non homicidia, non perjuria, non veneres patrociniis carent, immo innocentes sunt; nulla ergo Tui cura,

Tui honos, opinionibus omnem paginam implentibus, & ad clavum admissis. Verbo, ùt noctuas radius, sic Tu oculos offendis. Sed hæc modò, nam erit tempus, cùm deletis nubibus in apricum, & serenum erumpas, tanto tunc clarior, quanto nunc vilior: Æternitas Te aperiet, illic vinces, & regnabis, nunc victæ similis. Tibi ergo hæc folia, Tibi calamum sacro, non pretio, non gratiâ conductum, sed Tui amore captum: hæc sola merces, placuisse Veritati, hoc volui.

Quid Aula dicet? probabit, si Te amat, si Te non amat, repellet; utrúmque mihi gloriæ fuerit; & placuisse, cui Tu places, & displicuisse, quibus Veritas non placuit. O ergo ut placeam! ô ut displiceam! Incertus sum voti, sed certus victoriæ. Tu vale, quam & amo, & adoro.

Paræneſis ad Lectorem.

OPeris, quod ſuſcepimus, & rationes, & cauſas tibi, Amice Lector, expandere animus eſt, ne aut illarum ignorantiâ aliter, quàm cupimus, & res ipſa eſt, de hâc ſcriptione ſentias, aut earundem rerum crebrâ repetitione, & tibi faſtidioſimus, & ipſum diſputationis curſum aliò flectamus. Primò igitur perſuaſum illud habe, nullo nos aut partium ſtudio, aut odio in hoc ſtadium decurriſſe: animum affectibus liberum pacatumq;, & calamum juxtà innocentem, ac nullis conductum ſtipendiis, nullis obſtrictum præmiis ferimus, ſolíque Veritati militamus. Nec Romæ, nec Pariſiis degimus; Nec læſi, nec amati, nec metu, nec pretio ſcribimus, tantísque & hinc Tyberi, & hinc Sequanâ ſpatiis dividimur, ùt parùm intereſſe noſtra debeat, utri magis Luparæ an Vaticano placeamus; in ſolam quippe Veritatem intenti, & ab hac una gratiam relaturi, Cœlo teſte, pugnamus. Enimverò, ſi quatuor illæ propoſitiones nuper in Conventu Pariſienſi editæ, Regiisq; edictis armatæ intra Galliam ſtetiſſent, nec eò devolâſſent, ubi hæreticis cingimur præpotentibus æquè ac Papæ infeſtis, ſilentio rem premi decuiſſet, Gallóque eam curam relinquere, ut ſedem, quam calamo infeſtabat, imperio & potentiâ adverſùs ſui Regni hæreticos tueretur, paucos debilésque: nunc verò ubi doctrina Pariſiis deprompta, totum Orbem pervaſit, tantúmque abeſt, hæreticos (quod tamen propoſitionibus illis prætexitur) circumſcriptâ Pontificis auctoritate molliri, noſtrasq; in partes trahi; ut potiùs Catholicos rideant, Pontificiæ Majeſtati à ſuis tentatæ illudant: triumphum de Gallis ipſis, & Eccleſiaſtico præſertim ordine agant, quos in ſuam tandem ſententiam deſcendiſſe dicunt, quam tot retrò annis præcinuerant: evadántque tanto ferociores, alienique à Catholicorum Religione, quòd victos hos, victores ſe credant. Stupidi plane gelatíque animi fuiſſet, ſilentium tenere, & inſultante parantéque triumphum hoſte, eam cauſam deſerere, quâ nulla melior, nulla æquior, nulla firmior fuit, quæque niſi Scripturis, Canonibus, Patribus, Conciliis, ſacris Doctoribus, antiquitate, uſuq; perpetuo, ac ratione calcatâ, deſeri non poteſt. Quid ergo? Illi malam cauſam, nullis Scripturæ, nullis Patrum ſuffragiis nixam, tanto apparatu, tanto ſtudio tu-

dio curàque muniant, nos noſtram tanto meliorem negligamus, & cui omnia probationum, & veritatis adminicula, quæ ad certiſſimam cauſæ victoriam optari poſſunt, præſidio ſunt? Illi nihil non agant, ut Regiam auctoritatem in immenſum proferant? nos Pontificiam non tantùm non proferri, ſed in arctum cogi, in diſcrimen vocari patiamur, idque ſpectante, & geſtiente, inſultante, & velut ad lætiſſimum ſpectaculum Calvino ludente? Enimverò non hanc Chriſtianiſſimo Regi mentem eſſe credimus, ut ignaviam in cauſa Eccleſiæ probet, quam in aliis omnibus damnat: & quos vellet, ſi Regno ſuo, ſibique periculum immineret, flammeos invictósque, eosdem cùm de Pontificis Maximi, quem Patris loco reveretur, periculo agitur, inertes amet vecordésque, & ſtupore quodam ac ſomno obſtrictos: maximè cùm non in Gallis agamus, ubi & hæreticis nihil ultra Regiam voluntatem licet: & Catholicis vitio vertitur, ſi plus tribuant Pontifici, quàm Aula præſcripſit: nunc verò illic terrarum agimus, ubi nemo eſt, qui doctrinam Conventûs Pariſienſis æquis auribus audiat, ubi liberis vocibus uti licet, ubi hæreticos patimur & multos & præpotentes, ubi denique ſilentium non reverentiæ, non obſequio, ſed malæ cauſæ adſcribitur: cur ergo taceremus in tanta loquendi neceſſitate, & ubi ipſa Gallia non tacuit? ab hac enim præcipua monumenta accepimus, quibus hanc noſtram diſputationem adornamus. Eccleſiam Gallicanam in quatuor Ordines diſtinguimus: Primus Clerum, præcipuè verò Epiſcopos complectitur. Secundus ſacros Doctores. Tertius Reges ipſos. Quartus Scriptores, qui hiſtoriam Gallicanam poſteritati commendârunt. Iſtos omnes ſi oſtenderimus in noſtram ſententiam convenire (oſtendemus verò) quæ erit tandem illa Eccleſia Gallicana, cujus nomine Adverſarii gloriantur? ut videlicet, quod mercatores jam ſolent, ſpecioſo elogio merci nec nobili nec raræ, pretium aliquod adjungant. Patres ergo Concilii Lugdunenſis I. exauctorari à Pontifice Imperatores poſſe definiunt. c. ad Apoſtolicæ de ſent. & re jud. *Iidem Patres Lugdunenſes jus Imperatorem eligendi Germaniæ Principibus ademptũ, ab Innocentio IV. PP. transferri in Septemviros patiuntur.* Pariſ. in hiſt. Anglic. *Idque & fieri potuiſſe, & ritè factum eſſe Patres Concilii Viennenſis fatentur.* Clem. un. de jurejur. *Patres Concilii Conſtantienſis, quos Galli unicè venerantur, Principibus imperant, pœnas ſtatuunt, in ordinem redigunt, Provinciis ſpoliant.* ſeſſ. 20. 28 39. 42. ult. *Totus Galliæ Clerus in Comitiis Pariſienſibus ſub Ludovico XIII. hanc ipſam in Reges poteſtatem Pontifici tribuit, & qui negant, acribus cenſuris perſtringit.* Grammond. lib. 1. S. Thomas, S. Bona-

Bonaventnra. S.Bernardus, Petrus Blesensis, Innocentius III. Clemens V. *Doctores Galli, primaq; notæ hoc ipsum & senserunt, & doctissimis commentariis illustrarunt. De Innocent. III. Vide Maymburgum in historia belli sacri,* tomo 3. f. 31. & 223. *ubi præclarissimes elogiis hunc Pontificem exornat. De Clemente V. Vide Spondanum* ad annum MCCCV.

Exempla Regum Francorum sunt quàm plurima: Childericus auctoritate Zachariæ PP. Regno exuitur. Pipino Regnum defertur, & ex Stephani PP. præscripto illi soli, ac Carolinæ stirpi Franciæ Proceres se obstringunt. Carolus M. à Leone Imperium Occidentis accipit. Ludovicus Pius Imperatori Græco coronam repetenti auctoritatem Pontificum opponit. Theodoricus & Brunihilda Francorum Reges privilegio subscribunt, cujus observantiam Regni jacturâ S. Gregorius sanxerat.

Philippus Pulcher sibi fratrive Imperium Occidentis à Clemente V. reposcit. Episc. Meldensis Caroli VII. Regis Christianissimi nomine supremam in Pontifice potestatem, non in Concilio, agnoscit, & qui illam Concilio tribuunt, vesanos turbidosq; appellat. Raynaldus ad annum MCCCCXLI. n. 10. *Carolus VIII. Romam cum exercitu ingressus, Imperium Orientis ab Alexandro VI. Pontifice petit obtinetq;, accepto Zizimo Bajazetis fratre ejus expeditionis comite.* Spondanus ad annum MCCCCXCV. Bzov. *Ludovicus XII. Concilio Lateranensi, quo Basileensia acta rescinduntur, & potestas supra Concilium Pontifici asseritur, subscribit, illudq; legitimum ac universale agnoscit recipitq;.* Acta Concil. sess. 8. *En Lector, doctrinam, sensumq; Ecclesiæ Gallicanæ, cum qua si Conventûs Parisiensis nuperas Propositiones componas, meritò dubites, an Galli fuerint, aut saltem, an Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ imbuti, qui illas ediderunt.*

Quis enim in animum inducat, eam esse Gallicanam Ecclesiam, quæ cum Concilio Lugdunensi, cum Concilio Viennensi, cum Patribus Constantiensibus, cum Doctoribus Gallis, & celeberrimis, & sanctissimis, cum Cardinali Perronio, totóque Clero Gallicano, & denique cum ipsis Galliæ Regibus tam apertè depugnat? Planè si hæc P. Ludovicus Maymburgus consideràsset, aliter fortè, & moderatiùs quàm fecit scripsisset; de quo illud diximus, potuisse inter præclaros Scriptores aliquando censeri, si amœnitatem florémque Gallici sermonis, pari in sedem Apostolicam reverentiâ æquâsset, nimiámque Aulam demerendi cupidinem prudentiâ vicisset: quæ enim Historico necessitas fuit, tot illas & perpetuas diversiones captandi, ubi

di, ubi dum præter professionem suumque institutum in arcana Imperii calamum mergit, seque regnantium litibus miscet, ac velut stipendio conductus, Pontificiam auctoritatem ex composito carpit; quid, rogo, aliud fecit, quàm ut sanguinantem adhuc plagam foderet, ut oleum flammæ aspergeret, ut mutuos dolores silentio potiùs velut somno componendos, excitaret, ut fidem candoremque, & animi æqualitatem historico dignam sepeliret? Tanti videlicet fuit ingenium ostentare, & oculis nova præ veris deamantibus præplacere? Quanto æquius erat, Ecclesiâ inter tot hæreticos obsessâ bello abstinere, eoque calamum ac ingenium vertere, ubi plus præmii, minusque periculi ostendebatur. An verò potentissimi Regis causa tam mala erat, ut fragili eam calamo fulciri oporteret, & calamo Religioni, non Aulæ sacro, ubi tot alii non deerant? Ecquid tandem profectum est, nisi ut nullâ necessitate animi discordiis, Ecclesiæ turbis, Aulæ odiis, hæretici gaudio, omnes querelis futurique metu implerentur, execratione in eos versâ, qui ut privatas cupiditates explerent, publici quieti bellum attulere. Sed quid querimur plagâ jam in sinum receptâ? Ergo illud agamus, ut jura offensæ veritatis in lucem producantur, Deum pacis & veritatis precati, ut Concordiam faciat in Sublimibus. *Documenta & Apostolicas litteras, quibus Præludium instruximus, à magno Principe, ac Romæ notissimo, partim scripta, partim impressa accepimus; quæ proinde, quantam fidem mereantur, Lectori permittimus.*



Re-

REGALE SACERDOTIUM
ROMANO PONTIFICI ASSERTUM, &c.
PRÆLUDIA IN PRÆSENTEM TRACTATUM

§. I.

Quid Ius Regaliæ, quæ illius origo, progressus: quæ causa, ut tam acriter impugnatum, defensumque, & rationes utrinque productæ.

Summaria.

1. *Causa scribendi.*
2. *Fructus Ecclesiæ vacantis de Iure Canonico ad Electos pertinent.*
3. *Et Iure, & consuetudine, fructuum custodia ex S. Pontif. consensu Principibus sæcularibus competere potest: non tamen fructuum occupatio, & vacantium Beneficiorum dispositio.*
4. *Concilia Lugdunense, & Constantiense occupationem vacantium fructuum aliquando concedunt.*
5. *Regum Galliæ, Regnantis præsertim circa Regaliam Arresta, & Edicta.*
6. *Quæ ab Episcopis partim recepta, partim oppugnata.*
7. *Alectensi præsertim, & Apamiensi, eorumq; appellatio Romam: & litteræ à Pontifice summo ad Regem, & Episcopo scriptæ.*

8. *Tempestas in Episcopum, & Ecclesiam Apamiensem tota incumbit ignaro Rege.*

9. *Rationes à summo Pontifice contra Regaliam productæ: & aliæ à Gallis oppositæ.*

10. *Querelis Romani Pontificis offensi Galli, Archiepiscopi præsertim Tholosanus, & Parisiensis, quibusque ex causis? & Comitia Parisios indicta.*

11. *Litteræ Romani Pontificis ad Regem Christianissimum.*

12. *Ab aliquibus inhumanitatis notatæ, sed immerito, quod ex aliis summorum Pontificum & Patrum ad Imperatores litteris ostenditur.*

13. *De Regalia, & juribus illi annexis, fusiùs disseritur.*

I.

NOn in naturalibus tantum, sed etiam Politicis rebus multùm interest, è quibus causis, quibusque principiis res aliqua proveniat, causarum indolem plerumque imitante effectu: enimverò quod ex impetu animi, turbatâque ratione initium habuit, rarò est, ut intra justum, honestumque consistat, affectu videlicet dominante, & medium, aut modum virtutis perrumpente: & miraculo planè, aut casui adscribas, si quod Amor, aut Ira consuluit, rectè provenerit, non minus, quàm si navis remo, & rectore amissis inter ventos, procellasque portum, quo cursum flexerat, teneat. Hæc nobis causa fuit argumentum, quod præ manibus est, à principiis suis repetendi, lectoris posteà judicio commissuri, ut examinatis causis de effectu pronuntiet, & florem, fructumque ex radicibus æstimet, quod in jure nostro non est novum, ex Proëmio videlicet mentem, & intentionem ac causam finalem dispositionis colligi, animumque proferentis declarari. (a) Et eleganter notavit D. Leo Pontifex: *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit; etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est pernitiosis exemplo. Et difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. c. Principatus. 1. q. 1.*

II. Jus.

(a) De quo vide Barbosam axiomate. 192.

II. Jus ergo Regaliæ nihil aliud est, quàm jus quoddam custodiæ, & depositi; cùm videlicet vacante Ecclesiâ aliquâ, fructus interim, qui proveniunt, Principibus loci custodiendi, aut in depositum committuntur, quos Electo postea Ecclesiæ Pastori integros restituant. Sic enim sacris Canonibus statutum est, ut fructus Ecclesiæ vacantis Electo, non alteri cedant, nec possint alienari. (a) Dabimus aliquot textus, ut res evadat clarior: Sic ergo Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis loquitur: *Fraternitati vestræ mandamus, quatenus si quando in vacantibus Ecclesiis, in quibus Ecclesiastica persona præsentationem habet, vel qui persona minùs idonea præsentatur, vel alia de causa de jure personas non potueritis in eis instituere: appellatione remotâ ponatis œconomos, qui debeant fructus percipere, & eos aut in Ecclesiarum utilitatem expendere, aut futuris personis fideliter reservare. c. cum vos plerumq; 4. de offic. Jud. ordinarii.* Et Bonifacius VIII. *Quia sæpe contingit, quòd Cathedralibus, & Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus, Capitula, Conventus, Collegia, & singulares earundem personæ bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, quæ in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari, occupant; & consumunt in earum grave dispendium, & jacturam. Nos ipsorum ausus reprimere, ac Ecclesiarum indemnitatibus præcavere volentes, decernimus, ut ii, qui præmissa de cætero præsumpserint, eo ipso sint, & tamdiu maneant ab officio, & beneficiis quibuscunq; suspensi, donec plenè restituerint, quicquid de bonis perceperint supradictis, non obstantib9 quibuscunq; privilegiis, consuetudinibus, vel statutis juramẽto, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut alia quacunq; firmitate vallatis, quæ omnia Apostolicâ auctoritate revocamus. c. quia sæpe 40. de Elect. in 6.* Eadem ferè disponit Gregorius X. in Generali Concilio Lugd.

Olim ergo, ut ex allatis textibus constat, vacante sede Episcopali unus ex Provincialibus Episcopis ac Metropolitano eligebatur, qui vacantem Ecclesiam regeret, quem veteres *Intercessorem* vocabant, aut etiam à summo Pontifice in Italia Visitator decernebatur, qui vacanti Ecclesiæ præesset. Et tamen inter tot sacrorum Canonum præsidia impediri non potuit, quin in omnium vacantium Ecclesiarum custodiam, & fructus involaretur. Audi Flodoardum in *calce*

(a) Vide c. 38. causa. 12. q. 2. c. non liceat. 43. & 47. causa. 12. q. 2. c. quoniam. 2. dist. 75. Concilium Trident. Sess. 24. de reformat. c. 16. quæ capitula ex Conciliis Ilerdensi, Chalcedonensi, Lateranensi desumpta sunt.

Historiæ Rhemensis, & Rigordum *Anno Christi 1190. si fortè contigerit sedem Episcopalem vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, Regina, & Archiepiscopus tam diu Regalia in manu sua teneat, donec Electus consecratus sit, vel benedictus.* Idem jus custodiæ seu Regaliæ ab Angliæ Regibus usurpatum refert Guilielmus Rufus *in Chronico 1089.* & Matthæus Parisiensis ad eundem annum: *Rex inquit, Wilhelmus, defuncto Venerabili Patre Landfranco Cantuar. Archiepiscopo, Ecclesias, & Monasteria fere totius Angliæ in manu sua, defunctis Pastoribus, retinens, gravi omnia depopulatione vastabat, & instar firmarum Laicis commendabat.* Idem de Orientis Imperatoribus narrat Zonaras *tom 3. Annalium*, & Balsamon in *c. 35. sextæ Synodi Trull.* Idem de Ducibus, & Comitibus Galliæ, & Britanniæ habet Dadinus Alteserra *l. 2. de Ducib.* (a)

III. Duo igitur complectitur jus Regaliæ. Primo custodiam, deinde fructuum occupationem. Hanc, ùt diximus, jura non tantùm severè prohibent, sed etiam eos qui usurpant, anathemate feriunt, ut patet ex allatis textibus. Ipsam verò custodiam tam jura, quàm consuetudo Patronis etiam Laicis aliquando concedunt: jura quidem: quia Laicis Patronis permittunt, ut possit honestam conditionē Fundationibus adjicere, qualis est custodia Ecclesiæ vacantis. Quid enim æquiùs, quàm ut rebus tuis modum aliquem adjicias, & donato Ecclesiæ patrimonio, defuncto illius Episcopo, solam tuendi curam tibi reserves; Nemo planè ingentes facultates hac conditione sibi donatas respueret, nec donatorem injuriæ appellaret. (b) Imò etiam pensiones ab Ecclesia solvendas cum Episcopi consensu reservare sibi possunt. *c. præterea 23. de jure Patronatûs* (c) Consuetudinem vero admittunt multi gravesque Auctores, & ea summorum Pontificum venia etiamnum in Hispaniis viget. (d) modo, ùt diximus, fructus, aut alia vacantis Ecclesiæ jura sibi non vendicent, alioquin gravissimis pœnis à sacris Canonibus multantur; imò jus patronatûs amittunt. (e) Et merito quidem: qui enim custodiam habent, custodire debent, non consumere, *ut dicitur in l. Is cui 5. ff. ut in possess. legat* § 22. Multò minùs concessa est Patrono obtentu fundationis aut dotationis, Beneficiorum vacantium collatio *c. relatum de jure patronatûs. Trid. sess. 22. c. 11 de reformat.* Ergo,

(a) Vide Gonzalez. ad c. 4. de officio ordin. (b) Videatur Textus in c. decernimus 16. q. 7. c. cum dilectus 8. de consuetudine ubi Abbas. c. verùm de conditionibus appositis. Trid, sess. 24. de reform. c. 3. & sess. 25. c. 9. (c) Vide Gloss. in c. generali 13. de Elect. circa finem. (d) Teste Gonzalez. de offic. jud. ord. in c. 4. n. 6. (e) Vide c. filiis 16. p. 7. c. præterea 4. de jure Patronatûs. Trid. sess. 25. de ref. c. 9.

Ergo, ùt dicebamus, Principibus & Patronis, tam jus, quàm consuetudo custodiam vacantis Ecclesiæ permisit: sed illa paulatim in lucrum, & spolia cessit; & quæ prius custodia dicebatur, cœpit Patrimonium esse, dilatante terminos cupiditate. (a) Principes ergo, quibus jus Regaliæ, & custodiæ competebat, non solùm vacantis Ecclesiæ decimas, oblationes, legata pia, aliosque proventus dispensabant, sed etiam Canonicatus, & beneficia interim conferebant; in quam nimis præsidentem licentiam à sanctis PP. acriter est declamatum, ùt videre est in litteris Formosi Papæ ad Fulconem Archiepiscopum datis, & apud Innocentium III. *in Concilio Lateranensi c. 12. de pœnis.*

IV. Hæc, quantumvis sic se habeant, cum moderatione tamen aliqua intelligenda sunt: si enim Patronus Laicus tempore fundationis, aut dotationis ex fructibus Ecclesiæ pensionem aliquam reservâsset; (b) Aut antiqua consuetudine jus percipiendi fructus in vacante Ecclesia obtinuisset; nolebant jura patronis quicquam derogari, cùm Ecclesiæ interfit eorum liberalitatem Beneficiis potiùs provocare, quam decretis constringere, & sunt expressi textus in *c. præsenti. 9. de offic. ordin. in 6.* Sed præsertim in Concilio Lugdunensi secundo sub Gregorio X. Anno M.CC.LXXIV. celebrato; ubi Ecclesiis juxta, & Ecclesiarum Benefactoribus consultum est jure Regaliæ, & vacantium fructuum Principibus quidem concesso, sed etiam temperato: statuit enim, ut gravissimis pœnis etiam excommunicationis latæ sententiæ in eos animadverteretur, qui jus Regaliæ hactenus non obtentum de novo invaderent, qui verò titulo fundationis aut antiquæ consuetudinis jam olim illud possedissent, non quidem turbarentur, abusibus tamen abstinerent; Verba Concilii sunt: *Generali constitutione sancimus, universos & singulos (qui Regaliam, custodiam, sive guardiam, advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt) quantæcumq; dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorundem, qui hoc fieri procurant: eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere. Illos verò, qui se (ùt deberent, talia facientibus non opponunt: de proventibus Ecclesiarũ seu locorum*

(a) Vide Flodoardum l. 4. Historiæ Rhemensis. c. 2. (b) c. 23. de jure Patronatus. Glossa in c. generali 13. de Elect. in 6. circa finem.

corum ipsorum pro tempore, quæ præmissa sine debitâ contradictione permiserint: aliquid percipere districtiùs inhibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex aliqua consuetudine jura sibi hujusmodi vendicant: ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros ab eis sollicitè faciant abstinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus, sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent: Nec bona cætera quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. c. generali. de Elect. in 6. Nota: Hoc ipsum Lugdunense Concilium receptum fuisse, & observare jussum in Concilio Provinciali Salisburgensi Anno 1274. cujus Provincialis Concilii hoc est initium: *Ad honorem & gloriam Sponsæ Christi, & fidei Christianæ, Nos DEI Gratiâ F. S. Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus A. S. L. Leo, Petrus Bruno, Wernardus, & Joannes Ratisponensis, Passaviensis, Brixiensis, Seccoviensis, & Chimensis Ecclesiarum Episcopi in Provinciali hoc sancto Concilio congregati &c.* (a) Eadem fermè est Concilii Constantiensis sententia, quod *sess 43. §. de fructibus percipiendis*, sic loquitur: *Fructus & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum vacationis tempore obvenientes juris & consuetudinis, vel privilegii dispositioni relinquimus.* Hoc est ergo illud Regaliæ à sacris Canonibus partim, ùt ostendimus, permissum, partim damnatum, tantaque animorum contentione, ac partium studiis in Gallia defensum, Romæque oppugnatum, & justâ forsan utrinque ratione, si abusum excludas. Sed difficile est magnam potentiam intra limites coërcere, magnoque flumini, ne exundet, ripas præscribere; parva siquidem continentur, sed plena excurrunt.

V. Inter primos, quibus Regaliæ, ac custodiæ jus à multis retro sæculis quæsitum est, meritò Galliæ Reges adnumeres; qui & Imperii potentiâ, & rerum gestarum magnitudine, & ingentibus in Ecclesiam meritis illud assecuti sunt, ut præclarissimis elogiis à Summis Pontificibus ornarentur, in quos ipsi tot beneficia contulerant: Gregorius Regem Galliæ *Christianissimum* dixit: Innocentius IV. *Catholicum Principem*: Urbanus IV. *Principem inclitâ devotione præclarum*: Honorius III. *Murum inexpugnabilem Populi Christiani*, teste Chopino *l. 1. De sacra politia tit. 3.* Stephanus III. In celebri epistola ad Pipinum data apud Baronium *ad annum 755. Super omnes* inquit, *gentes, quæ*

(a) Reperitur hoc concilium tom. 3. p. 2. Concil. General. Severini Binii ad Concil. Lugdunense 2. mihi fol. 1498. colum. 2.

tes, quæ sub cœlo sunt, vestra Francorum gens Apostolo Dei Petro prima existit, quia secundum permissionem, quam ab eodem Domino, & Redemptore nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus. Et apud Bzovium *l. 1. de Pontif. Rom. c 47.* Idem Stephanus Pipino Rege sic benedicit : *Benedictus es eximie fili à Deo excelso, qui fecit cœlum & terram : & benedictus Deus, quo protegente in manibus Tuis hostes sunt: Benedicat Tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, & Tuos amantissimos Natos, meosque spirituales filios à Deo institutos Reges Francorum, & Patritios Romanorum cum Christianissima eorum matre excellentissima Regina tueatur, & in omnibus protegat. Dilatet Dominus semen vestrum, & benedicat in æternum, atq; solium Regni fruendum perenniter concedat.* Ergo, ùt diximus, inter tot alia privilegia etiam illud Regibus Galliæ concessum est percipiendi vacantis Ecclesiæ fructus, ùt patet ex Bullis SS. PP. Innocentii III. Clementis IV. Gregorii X. Et aliorum in libro Gallico, cui titulus : *Preuues de Liberteż de l'Eglise Gallicane.* Sed cùm dubitari cæptum esset, an jus illud ad omnes Regni Ecclesias extendi posset; re in Parlamentis agitatâ, sub Henrico Magno, cùm jam Ecclesiæ Romanæ, abjectâ hæresi, accessisset, definitum; esse universale, & ad omnes pertinere. Intercesserunt continuò Episcopi longi temporis exemptionem causati; quorum precibus, allatisque rationibus datum, ut sententia non revocaretur quidem sed executione interim suspensâ, quiesceret. Ita LX. Annis cessatum, nisi quod Ludovico XIII. Regnante lis aliquoties gliscere visa, iterum consedit. Successit Ludovicus XIV. Qui rem finiri aliquando volens, coactis, uti dicunt, pari doctrinâ, & virtute Proceribus examinandum argumentum hoc dedit, eoque discusso Arrestum anno M. DC. LXXIII. Febr. XII. è Regio consilio prodiit, quo ad omnes Regni Ecclesias extendebatur, non tam novâ sententiâ latâ quàm confirmatâ Henrici Magni antiquâ, imperatâque executione.

VI. Varios in Ecclesiarum Prælatis affectus Regium edictum aut excitavit, aut prodidit; aliis per occultas querelas dolorem testantibus, aliis & plerisque Regiæ voluntati obsecutis, aut quòd justam crederent, aut quòd beneficiis Regi suo obstricti nollent Insulam opponere, à quo accepissent; aut quod multos in Aula consanguineos haberent Principi obnoxios, & quos nollent repugnando offendi, ac periculo exponi : aut quòd in Aula educati humanitatem legibus præhaberent; aut quòd verius est, nihil crederent

rent tam æquo Principe iniquum imperari posse; præsertim cùm speciosissimæ rationes Regaliam adornarent: faciléque non improbis solùm, sed etiam æqui amantibus imponebant; hinc si Regi obedirent, propositum præmium; inde facies honestatis tot coloribus picta; quæ causa fuit, ut complures potentiori causæ subscriberent, eumque præferrent, cui, ùt putabant, aut plus deberent, aut plus metuerent: illi præsertim, qui in Aulis frequentes auram undique colligebant, portum arbitrari, ubi Principis gratiam reperissent.

VII. Duo Episcopi tamen infractis animis in aciem prodire, & ministris Regiis libertatem Pastoribus dignam opponere ausi sunt, Apamiensis scilicet, & Alectensis; qui, cùm suas Ecclesias à longissimo tempore, & ultra memoriam hominum Regaliæ oneribus exempras esse dicerent, negabant, nisi calcatâ immunitate Ecclesiasticâ gravari posse. Et, cùm à Regiis non audirentur, nec Metropolitani, quos inclamabant, succurrerent, utpote qui causam Regiam tuebantur, ad communis omnium Matris, hoc est, Romanæ Ecclesiæ sinum confugiunt, eamque appellant. Admissa est à Romano Pontifice appellatio: Cui, cùm Episcoporum, qui certatim, & undique imperebantur, calamitas vehementer doleret, ad Regem Galliæ humanissimis scribit, quibus *ut ab inceptis desistat, hortatur; aliis tot præclarè gestis hoc etiam addat, ut turbatæ Ecclesiæ pax redeat: hoc unum deesse quo majorem gloriam exæquet, famæq; toto orbe volantis magnitudinem expleat.* Additæ ad Episcopos litteræ, quibus officii sui in tuendâ Ecclesiarum libertate, componendisque, qui gliscebant, tumultibus admonebantur.

VIII. A Rege, quod mireris, benigniùs, quàm Episcopis responsum: nec tamen tempestas dissipata, quæ tota in Pastorem, & Ecclesiam Apamiensem incubuit: spoliatus beneficiis, & proventibus, omnique ærumnarum genere exercitus, cùm tamen constantiam non exueret, sed quâ verbo, quâ exemplo, libertatem suæ Ecclesiæ tueretur, fulminatisque censuris procul Regalistas arceret, animam tandem inter ærumnas septuagenarius posuit, scripto priùs, missoque Regi libello, quò & persecutiones, quas injustè, ignaroque Rege ferebat; & necessitatem, quâ divinam humanæ voluntati præponere cogebatur, cùm præsertim juramento se devinx set ad libertatem Ecclesiæ suæ tuendam: denique Regis periculum

culum, si pergeret blandientium potiùs, quàm Episcopi vera monentis Consilium audire, adeò graphicè depingit, miscetque reverentiam Regi suo debitam libertati, & officio pastorali, ut planè expressam in illo videas boni Pastoris ideam, qui animam suam ponit pro ovibus suis. Mortuo Episcopo Canonici Apamienses alii exilio pulsi, alii rebus omnibus exuti, alii extrema passi speciem omnino primitivæ Ecclesiæ referre, apertoque velut theatro antiquas Martyrum pugnas, & triumphos seriò ludere, videbantur, non alterius culpæ comperti, quàm quòd Papæ obedirent: aliis expulsorum spolia in prædam, & præmium concessa, quod illato iñocentibus bello, insigniter militassent. Creditum est Regem, pium alioquin, justumque, hæc latuisse, sed ab illis agitata, qui odio, & vindicta calebant. Equidem credo æterno dedecore apud posteros laborabunt, qui tam fœdo jactatos naufragio non tantùm non juverint, sed etiam prædati sint, aliorum lacrymis, & infortunio divites. Suspirabat ad hæc, quæ ad aures quotidie ferebantur, Romanus Pontifex, & cùm aliter non posset, partim afflictos benignissimis litteris solatus est, partim repetitis admonitionibus Regium animum pulsabat, à quo tandē Estrensis Cardinalis Romã missus, qui cum Pontifice super Regalia conferret, & si æquis conditionib⁹ posset, negotiũ cõponeret.

IX. Erit fortasse qui scire rationes cupiat, quæ hinc Gallum movebant, ut Regaliam defenderet, inde Romanum Pontificem, ut oppugnaret: breviter illas expendamus. Ex parte Pontificis hæc dicebantur: *Jus Custodiæ, seu Regaliæ, utpote contra leges Canonicas, & Patrum Decreta inductum, extendi non posse, nisi quantùm privilegia, consuetudo, & Ecclesiarum fundationes admitterent. Non hoc agi, ut Rex tam bene de Ecclesia merito hoc jus adimatur, sed tantùm, ut extra limites non excurrat: iniis Ecclesiis, quæ jam olim hoc onus tulissent, pergeret Rex privilegio suo uti, illis modo abstineret, quæ hactenus immunes fuerant. Non posse Regem ullo privilegio, aut consuetudinis, & fundationis titulo eas Ecclesias occupare, quas recentibus victoriis Galliæ adjectas, nunquam fundâsset, nunquam possedisset; cur ergo in istas vedem proferret? Concilium Generale Lugdunense in Gallis celebratum, sancteque habitum terminos jam olim fixisse, quos egredi non liceat, ut videlicet jus Regaliæ, ubi hactenus longâ consuetudine obtentum esset, permitteretur, non tamen de novo, ubi non erat, induci posset, qui secus facerent, & facientibus non obsisterent, anathemate, & diris ferirentur; hoc solum, nec aliud Romanum Pontificem velle; esset tantùm Lugdunensi Concilio*

locus, nec amplius controversiam ullam fore. Ex Regiis monumentis, observantiâ quatuor & ultra saeculorum, & celebriorum Galliæ Jurisconsultorum testimonio satis constare, multas Ecclesias, & præsertim Apamiensem à Regalia fuisse immunem; cur istam aeque in servitutem raperent? defuturum partibus suis Papam, si hoc permitteret, nam exemplum in alias Ecclesias Regesque manaturum cum ingenti rerum sacrarum, & Episcoporum damno, idque tanto magis, quod obtentu Regaliæ tot alii abusus miscerentur. Non esse Regios decimis, oblationibus, piis legatis, aliisq; proventibus contentos: nomine fructuum, collationes omnium beneficiorum, (exceptis curatis,) Canonicatuum, præbendarum Theologicalium comprehendi, & iis palàm exponi, qui plus gratiæ non meriti afferant; nec aliam institutionem, quàm Principis placitum requiri: sic Ecclesiasticam disciplinam omnino everti: nec posse summũ Pastorem, nisi officii aut immemorem, aut negligentem connivere: aliud esse jus Regalia, aliud abusus tam indignos; istos tollerent, & illud non impugnari. Respondebant ex adverso Galli: Regem nihil novi molitum, nec aliam, quàm Regum prædecessorum viam insistere, eorumque vestigia illi pro regula, & legibus esse. Jus Regaliæ ex jam saeculis, & multò ante Lugdunense Concilium immotum stetisse, nec posse tanto tempore firmatum sine injuria, & damno everti.

Non illud gratis, & precariò à Regibus obtentum, sed summis in Ecclesiam, præsertim Romanam beneficiis: Inspicerent tot Episcopatus in Gallia fundatos, dotatosq;; tot feuda collata, tot templa, tot loca pia, tot præbendas, aliaque innumera; hæc omnia bases esse, quibus Regalia insistat, nec posse hanc Regibus adimi, quin omnia illa Regibus restituantur. Si deessent alia, hoc unum instar omnium fore, quòd se, suaq; omnia, etiam Coronam, quam capite ferrent, tuendis Ecclesiis earumque juribus Reges addixissent, quantulum hoc esset præmium tantis beneficiis? & tamen hoc ipsum Clementiâ Regis multo minus, leviusq; effectum. Fuisse olim jus Regalia sic constitutum, ut tenerentur Episcopi Reges ad bella comitari, arma, pecuniamq; conferre, Aulam ipsam, militesque hospitio excipere, multaque alia præstare, nunc Episcopis remissa. Ipsos vacantium Ecclesiarum fructus sic à Moderno Rege distribui, ut tertiam partem Electis Pastoribus cedat; quod supereſt, non profanis usibus sed hæreticorum bono impendi, quid ipse Papa melius faceret? Laborare ipsum Regem, nec sanguini, nec thesauris in augenda Catholica Religione parcere, majori ne scias fortitudine, an pietate; & Romæ circa pauculos fructus tantum pulveris, & contentionis esse? Nihil ab ipso Rege

decisum,

decisum, sed Henrici Magni sententiæ locum datum esse, idque non temere, & inconsulto, sed adhibitis pertitissimis juxta, & æqui amantissimis, quosque ipsi Episcopi judices optassent. Nihil amplius à Rege fieri potuisse, quo conscientiæ suæ consuleret: ab istis jus Regaliæ illimitatum, ac universale, & in omnes Ecclesias extensum agnosci: ipsos Episcopos, virosq; Religiosos, extra paucos certatim subscribere: non posse sibi Regem persuadere paris & Doctrinæ, & pietatit viros aut velle, aut posse falli, solemque Romæ tantum, non Parisiis illucere. Falli omnino, qui crederent, fuisse Ecclesias aliquas Regaliæ non obnoxias: Regum enim indulgentiâ, non jure aliquo, aut privilegio libertatem consecutas: quis nesciat gratias non præscribi? Idipsum Episcopos intellexisse, qui per annorum intervalla hanc immunitatem à Regibus peterent, nunquã petituros nisi debitum agnoscerent. Jus hoc custodiæ, & occupandorum fructuum Coronæ inexum esse, & à nullo Regum alienari posse, remittiq; & si qui prædecessorum remisissent, potuisse id facere, quoad viverent, seque ipsos tantum, non successores obstringere. Nihil aliud Regem quàm sua petere, nec de lucro, sed dignitate certamen esse, nec sibi minorem, quàm Papæ necessitatem incumbere jus Regale, quod à Majoribus accepisset, tuendi: hoc enim, cùm thronum conscenderet, jurâsse, & hanc ipsam Religionis esse causam, juramenta servare.

Lugdunense Concilium quod attinet, illo potius causam Regis adjuvari, quàm opprimi, cùm antiquis possessoribus Regaliam confirmet, & illud tantùm vetet, ne ab aliis usurpetur. Mirum esse, Episcopis omnibus Regiam causam probantibus duos solùm, Apamiensem, & Alectensem adversari; quasi verò æquum videri possit, ut omnium auctoritas, & sententia duobus cedat, assurgatq;; & tamen utriusq; contumaciam Romanum Pontificem haud latere, qui in causa Jansenii duobus Summis Pontificibus Alexandro VII. & Clementi IX. pertinaciter obstiterint, nec Amicorum aut precibus aut rationibus flecti priùs potuerint, quàm armatum Vaticanum viderent, & fulmen eminus coruscare, tum verò coactos manum dedisse, nec tam reverentia summi Pastoris, quàm metu victos esse. His ergo tam paucis, tamq; obstinatis, nec minùs Romæ, quàm Galliæ molestis major fides habenda esset, quam aliis omnibus? habere Gallicanam Ecclesiam, quod meritò doleat, si Pontifex Max. Prælatos doctrina & virtute, tantoque numero insignes duobus illis non tantùm æquet, sed etiam posthabeat. Denique Concilio Lugdunensi definitum esse, jus Regaliæ tutò ab iis possideri, qui longa consuetudine, aut privilegio munirentur: solùm ergo quæstionem facti superesse, an longa

hæc consuetudo omnes Galliæ Ecclesias occupasset: hic de facto, non jure certari, & proinde ad solum Regium Senatum sententiam pertinere, cùm nihil sacri admixtum habeat: & meritò calumniatores esse, qui propterea dicant turbari à Rege Ecclesiasticum forum, cùm ad hoc juris tantùm quæstiones pertineant, quæ nulla hic vertitur, utpote in Lugdunensi Concilio jam finita.

Ad has Gallorum exceptiones aliæ à Pontificiis oppositæ. *Extra lineam esse, quæ à Gallis dicerentur, nec ad materiam, de qua agitur, pertinere. Pontificem Max. nec tam ignarum esse, nec tam ingratum, ut quantum Galliæ Regibus debeat, aut nesciat, aut neget. Beneficia, quæ in Ecclesiam Romanam contulissent, nunquam effluxura; & quàm altè Romani Pontifices memoriæ illa inscripserint, testari tot privilegia, indulta, gratias, aliaque quàm plurima, quæ Reges vicissim à Christi Vicario acceperint. Cæterum donato etiam totius Orbis Imperio, & Coronâ quam capite Reges gestent, nunquam effecturos, ut officio, & partibus sibi à Christo impositis, sancteque juratis Pontifex Romanus deesse possit. Non privilegia, non consuetudines, non libertatem, non Regaliam denique ipsam impugnari, sed abusus tantum, quibus Regaliæ nomen imponant. Collationes beneficiorum invadi, impediri Canonicas Institutiones, jus custodiæ, & fructuum occupandorum ad Ecclesias extendi omnium testimonio liberas, exemptasque; & hoc ipsum custodiæ jus tanquam Coronæ proprium, innatumque, non verò à summis Pontificibus acceptū palàm jactari. Episcopos, qui ausis tam indignis se opponant, tanquam perduellionis reos toto Regno agitari, & quod in sinum communis Ecclesiæ Patris lachrymas suas & querelas effundant, in exilium, & ad pœnas rapi: libertatem denique Ecclesiasticam sic deleri, ut vestigium ejus vix aliquod appareat. Hæc quâ ratione, quo privilegio, consuetudine excusari possint? has Pontificis Romani querelas, non alias esse; nec ad istas prius à Gallis responsum iri, quàm sacrorum Canonum, Ecclesiæq; disciplinâ penitus oppressâ. Non hæc in angulis & occultè fieri, ut ad illa credenda opus habeat Pont. Max. duorum Episcoporum testimonius, Apamiensis videlicet, & Alensis. Nimis hæc aperta, solique exposita esse, ut ab aliquo ignorari possint, multoq; minùs ab illo, qui in fastigio Ecclesiæ veiut speculâ positus, orbem circumspiciat. Nihil ergo Gallos agere, dum privilegia, dum consuetudines, ipsumq; Lugdunense Concilium suæ causæ prætexant: nihil istorum à Romano Pontifice oppugnari, nec antiquos terminos convelli, sed novos tantùm abusus, quos nulla consuetudo, aut privilegium purgare possit, damnari: hos si tollant, pacem cum Christo, ejusq; Vicario, nec aliter fore.*

Hæc,

Hæ, ùt credimus, potissimæ rationes erant, quibus utrinque pugnabatur: alia non tam ex solido, quàm declamantium more, & pro singulorum affectu producta, omnibus, ut fieri amat, dicere aliquid volentibus. Nos potiora selegimus.

X. Romæ interim, dum gliscentibus turbis remedium quæritur, pejora in Galliis agitabantur. Exacerbaverant Episcopos variæ Pontificis querelæ, missique libelli, & quod mireris, illos maximè offendit, quorum causæ tam ardenter studebat. Notabantur Romæ Gallicani Pastores tanquam officii sui negligentes, desidesque, quique plùs aulæ servirent, quàm Ecclesiæ, nec tam, quid Papæ deberent, intueri, à quo Infulas acceperant, quàm quid Regi placeret: Si animosè principiis obstitissent, Regem veneratione Sacerdotum jam dudum alium fore, nunc verò eorum conniventiâ, & blanditiis, qui mederi debebant, plagam incruduisse, & extra remedium esse, non tàm ægroti, quàm Medicorum culpâ.

Querelis accesserant anathemata, & censuræ, quibus Regalistæ omnes petebantur, & nominatim Tolosanus Archiepiscopus: atque, ut infortunia rarò sola, sed catenatim incedunt, aliud evenit, quod Archiepiscopum Parisiensem vehementer incitavit. Haud procul Parisiis in paupere Monasterio sanctimoniales ex ordine D. August. degebant, quibus mortuâ, ùt vocant, Matre, aliam Archiepiscopus præfecit; hâc paulo post è vivis sublatâ, alia iterum ab Archiepiscopo suffecta, sed Religionis, & habitûs alterius, ac cum titulo Abbatissæ perpetuæ. Dolebant sacræ Virgines sibi Electionem ademptam, & contra Regulæ Decreta, longasque consuetudines Matris titulum in Antistitæ mutatum, nec singulis trienniis, sed perpetuo datam. Tantoque magis dolorem augebat, quòd viderent alterius ordinis, aliisque moribus fœminam delitias in paupere Monasterio captare, nobilique Matronæ similem servos alere, in Chorum velut Capitolium cum pedo, & tintinnabulo argenteis magnificè vadere, pulvinari, & tapetibus per pompam, & delitias substratis. Hæc, ùt dixi, numquam hactenus usurpata oculos Familiæ simplicis feriebant; Archiepiscopo igitur supplicant, ut dignetur Antistitam pauperi Monasterio gravem, & Disciplinæ inutilem aliò movere, & quam vellent eligi, permitteret: rejectæ preces, obtentu Regii Chirographi, & necessitate collapsas Monasterii facultates per Abbatissam reparandi. Repetebant Sanctimoniales, mirum esse, si quæ splendidè, & cum apparatu viveret, ac lautas quotidie epulas adornaret, instrumentum haberetur instaurandis potiùs, quàm consumendis opibus, si

bus, si quæ essent. Romam ergo confugiunt: illic auditæ, Decretum Matrem aliquam liberè eligendi impetrant, omnique obedientia in delicatam Antistitam solvuntur. Hinc enim vero ab Archiepiscopo, aliisque Galliæ Prælatis querelæ. Exacerbatis ergò animis, & in communem causam sociatis facile fuit, eam tempestatem cogi, quæ postea erupit; easque propositiones conflari, quæ adversus Romanam authoritatem præsidio essent, si aliqua, quæ Gallis displicerent, imperâsset.

Hic contentionis hujus ortus, hic progressus fuit, exitu adhuc pendente. Hinc in multos Galliæ prælatos Romani Pontificis indignatio, & in Gallis par indignationis offensa. Ex hac non dicam vindictæ, sed injuriæ, ùt putabant, arcendæ causa, Parisios Comitia indicta, & in Comitijs propositiones contextæ, quæ infra producentur.

XI. Cæterum, ùt, quæ hactenus diximus, evadant clariora, Pontificis Romani ad Regem Christianissimum Diploma subjungimus.

Primum Breve Apostolicum

Ludovico Francorum Regi.

JAm pridem inaudivimus non deesse Majestati Tuæ Consiliarios, & administros, qui tibi persuadere niterentur, ut usum illum antiquum custodires, fructuum vacantium Ecclesiarum, quod Regaliam vocant, ad eas quoque Regni tui Ecclesias extenderes, quas illi juri obnoxias nunquam fuisse, vel ex ipsis Fisci Regii tabulariis liquidò constat. Sed Nos memoriâ repetentes, omnem de hac re controversiam, communi olim Ecclesiæ Catholicæ consensu, & benignâ Sedis Apostolicæ indulgentiâ providè, sapienterque compositam fuisse in Generali Concilio Lugdunensi, minimè adcredendum adduci poteramus, Majestatem Tuam consiliis hujusmodi aures præbituram aliquando esse, multò minùs admoturam operi manum, invitâ Synodo tantæ apud universam Ecclesiam auctoritatis, & reclamantibus constitutionibus, & exemplis Regum Majorum tuorum, qui constitutionem in eadem Synodo ad preces Regias, Regiis Legatis præsen-

præsentibus, in ipsa Gallia, & totâ Gallicâ Gente efflagitante, sancitam, per integrum quatuor ferme sæculorum spatium certatim probârunt, observaveruntque, & præcipuo in honore semper habuerunt; nec verò simile videbatur Majestatem Tuam, postquam tantum sibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ maximis pro Religione Catholica rebus gestis comparavit, ut nullius Majorum Tuorum Regum clarissimorum memoriæ possis invidere, velle rem aggredi, quæ, nullâ vel urgente necessitate, vel æquitate suadente magnum esset quàm plurimis Galliæ Episcopis, eorumque Clero incommodum, & justum dolorem allatura, non sine gravi Catholicorum omnium sensu, qui in Francorum Annalibus, & in sacrorum Canonum Statutis animadvertunt, quantum id veteri consuetudini, & Ecclesiasticæ libertatis, ac disciplinæ rationibus adversetur. Unde plerique tum veteres, tum recentes Galliæ scriptores, quantumvis Majestati Tuæ & imperio subessent, & auctoritati magnitudinique impensiùs studerent, in eos, qui præfatam Regaliæ extensionem suadere ausi fuerunt, tanquam in malæ, perditæque causæ Patronos, & favorem Aulæ captantes liberâ indignatione invecti, stylum subinde strinxerunt; nullus verò Galliæ Regum vel tentare id voluit, vel tentatum exequi innituit, memor à sapiente præclarè præcipi: Ne transiliamus terminos, quos posuerunt Patres nostri. Illud præterea nos hujus periculi metu, curâque liberabat, quòd, cùm Majestas Tua multis ab hinc annis hujus Sanctæ Sedis liberalitate aucta, ornataque sit penè supra votum indultis amplissimis, præter ea, quibus etiam Reges, Majores Tui, ejusdem Sedis benignitate gaudebant, nominandi ad beneficia Ecclesiastica, putavissemus, ipsam sanctissimi, sapientissimique olim Galliæ Regis exemplo cogitare potius de se tam gravi periculoque sarcina exonerando, quàm

do, quàm novis ineundis rationibus Regiæ in sacros reditus auctoritatis amplificandæ. Sed ubi allatæ ad nos fuêre b.m. Alectensis Episcopi litteræ, in quibus post debitas Religiosi in hanc sanctam Sedem obsequii, & filialis observantiæ significationes suas ad Nos querelas, quas propè jam moriens postea renovavit, ob Regaliæ usum in Diœcesim suam, quæ ab eo libera semper fuit, nuper invectum deferebat, unaque appellationem à sententia Metropolitani Narbonensis; deinde etiam docti sumus idem Apamiensi Ecclesiæ pariter liberæ contigisse, ac tandem Gallici Regni Ecclesiæ hujusmodi onere jubentur assuescere: mirati vehementer sumus, Constitutionum Apostolicarum, & Generalium conciliorum Decretis, ac tam certâ, compertaque apud omnes veritate & justitiâ potiores fuisse illorum conatus, qui terrena potius, & caduca, quàm cœlestia, & æterna respicientes, dum Majestatis Tuæ gratiam, potentiam amplificando, aucupantur, molestissimos Tibi, & valde periculosos conscientiæ terrores quod Deus avertat, in id tempus præparant, cùm in districto Dei judicio mortales omnes, quocunque tandem potentiæ & dignitatis loco sint, diligenter reddere debent omnis anteactæ vitæ rationem. Nos itaque pro nostra non minus erga æternam, quæ magnæ nobis curæ & est, & esse debet, Majestatis Tuæ salutem, quàm erga inclitum Clerum, & Religiosissimos Galliæ Præsules, imò erga universam Ecclesiam, cujus in hoc negotio procul dubio causa agitur, paternâ charitate seriò admonendum Te, & vehementer hortandum, obsecrandumq; judicavimus, ut à tam injustis ac pernicioſis consiliis animum abducas: præfatis Alectensi, & Apamiensi, cæterisque Regni Tui Ecclesiis, quæ usui Regaliæ obnoxiæ non fuére, suas libertates, atque immunitates tutas relinquas, ne eas de cætero ullo modo labefactari sinas, sed quidquid in contrarium hactenus a-

nus actum, tentatúmque est, reparari, atque in pristinum statum restitui cures: néve cœlestis beneficentiæ fontem, quam subditæ Tibi gentes, pietatis inprimis, justitiæque suæ merito, sicuti credere nos juvat, expertæ hucúsque sunt, secus non agendo, & Dei, per quem regnas, Ecclesiam graviter lædendo obstruas, qui scias hujus quoque vitæ bona, & regnorum felicitatem, & incrementa à divina bonitate unicè dari, expectandáque esse, sicuti innumera omnium gentium, ac temporum exempla testantur. Nos sanè hos animi Nostri sensus in sinu tacitos continere nõ patitur, vel Nostri pastoralis officii ratio, cui sollicitudo incumbit omnium Ecclesiarum; vel justitiæ debitum, quo omnibus ad hanc sedem ex veteri, justóque more, quem à nulla humana potestate impediri fas est, recurrentibus jus reddere, consilium, opem, ac paternum patrocinium præstare; vel denique necessitas occurrendi scandalo, quò Christiani latè populi ad tantæ rei exitum conversi afficerentur, si à laicali potestate Ecclesiæ, earúmque Antistites, & ministri suis libertatibus, atque immunitatibus, earumq; usu, & antiquâ concessione contra generalium Conciliorum Decreta, & veterem inconcussámque observantiam, spoliarentur, non alio prætextu, quàm novæ, & inauditæ opinionis nullo jure nixæ, cui nonnulli postea accesserunt, non quod aliquid novi afferrent, quod rei veritatem tam apertam posset in dubium revocare, sed ut rem suam agerent, nihil solliciti, si publica perderent. Speramus Majestatem Tuam causæ justitiâ, & æquitate cognitâ, quæ patetipsa per se, Paternæ cohortationi, ac precibus nostris, pro spectata animi tui pietate, & sapientia, perpetuaque in hanc Sedem observantia auscultaturam, Nosq; curâ non minùs molestâ, quàm necessariâ, inter tot alias, quibus circumdamur, liberaturam. Sanè si aliter suadentium

dentium consilia Majestas Tua paulò attentiùs excusserit, facilè intelliget, homines gratiæ & fortunæ inhiantes, obtentu Regiæ potestatis suam firmare velle; neque tam esse amplitudinis Tuæ cupidos, quàm laudis inimicos, ut qui ad omnem posteritatis memoriam illustribus factis Christianæ Reipublicæ salutem tueri, & Religionem amplificare tantopere studuisti in alienis terris, nunc à Te ipso quodammodo alienus, Ecclesiæ libertatem, auctoritatemque in tuis imminutam velis; quasi verò facilè tibi persuaderi posse confidant, æquum esse, vel fieri posse, ut nobilitetur & crescat ex Ecclesiæ ruinis Imperium, quod Religiosissimi fortissimique Reges Majores Tui mirifico in eandem Ecclesiam studio, & pari in Apostolicam Sedem pietate Tibi eorum vestigiis strenuè insistendi, amplissimum reliquerunt. Tu Reges eos, Fili charissime, vel etiam Te ipsum imitare, & eorum tuaque præclarè facta in mentem revoca. Nos quidem oblivisci non possumus prædecessores nostros Romanos Pontifices, qui similibus de causis graves, ac diuturnas pati ærumnas, & immanes contentionum ac periculorum procellas, in eo confisi, qui mari ventisque imperat, invicto animo subire non dubitârunt. Hæc ad Majestatem Tuã inviti scribimus, qui in materia lætioris argumenti versari magnopere cuperemus, sed postquam Apostolicæ servitutis onus subeundo divinæ voluntati paruimus, liberum Nobis jam non est exequi nostram, quæ tuæ obsecundare quacumque in re vellet; sicut in pluribus, quas nobis ratio temporum, & publicæ pacis studium hactenus indulgere permisit, cognoscere potuisti. Significavimus hæc ipsa Oratori Majest. Tuæ nobili viro Duci de Estrè, ut Tibi pluribus referret, itidemque venerabili Fratri Archiepiscopo Adrianopolis Nuncio apud Te Nostro, quem, ut de tota re dis-

seren-

ſerentem diligenter, ac benignè pro more Tuo audire velis, vehementer à Te petimus, ac Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur.

Secundum Breve Apoſtolicũ.

Ludovico Francorum Regi.

EX litteris, quibus Majeſtas Tua ad noſtras 12. Martii datas reſpondit, & ex iis, quæ ad nos retulit venerabilis Frater Archiepiſcopus Adrianopolitanus, eò rem adductam videmus, ut Nos vel officio Noſtro deeſſe, retinendo verbum in tempore ſalutis, vel Tibi fortaſſe moleſti eſſe cogamur. Sed dabis, chariſſime Fili, Paſtoralis officii debito, dabis paternæ ſollicitudini, atque amori in Te Noſtro, ſi Te malè conſulentium culpâ in ſummo æternæ ſalutis periculo conſtitutum videntes, opportunè, importunè inſtamus, & obſecramus, clarâ voce clamantes, ut è tam præcipiti loco pedem referas. Duo inprimis ut certa, atque indubitata affirmari cognovimus ex tuis litteris. Primùm quidem Regaliæ jus, uti nuncupant, in Eccleſias Galliæ univerſas Majeſtati Tuæ competere, tanquam Regiæ coronæ inſitum, & innatum; deinde clariſſimos Reges majores tuos jus illud exercuiſſe, dum viverent, & ad Te morientes hæreditario ordine tranſmiſiſſe; quibus à Te creditis minimè miramur, ſi ad eos progreſſus fuiſti, quæ talium principiorum conſentanea erant. Verumtamen illa tam aliena à vero ſunt, ùt nihil magis. Nemo enim ſanæ mentis, & doctrinæ auſit in dubium revocare, nullum ſæculari poteſtati in res ſacras jus eſſe, niſi quatenus Eccleſiæ indulſit auctoritas. Nunc autem non ſolùm Galliæ Regibus non indulſit, ut Regaliam prædictam extenderent ad Eccleſias illi oneri non aſſuetas

sed etiam id fieri apertè vetuit in Generali Concilio Lugdunensi, quod Gallia inprimis veneratur, & sanctum habet. Reges prædecessores tuos, quotquot fuêre, ejusdem Concilii dispositionem religiosè semper, & per quadringentorum ferme annorum spatium custodivisse; & si quis eorum de illa confringenda cogitavit, re meliùs pensatâ, ab incepto destitisse audimus, in confesso esse apud omnes scriptores, præsertim Gallos, & Regia ipsa tabularia ad oculum demonstrare. Quamobrem pati non possumus, nec debemus Majestati Tuæ obtrudi errorem tam manifestum, tam conscientiæ Tuæ, tam Galliæ Regno, tam Ecclesiæ universæ pernicioſum; semel enim admisso Majestati Tuæ licere adversùs Generalis Concilii Decreta, adversùs Regum Majorum Tuorum exempla, adversùs ipsam rerum sacrarum naturam, & primogeniam Ecclesiarum libertatem, jus Regaliæ in eas quóque Ecclesias, quæ hujusmodi oneri obnoxiæ nunquam fuêre, ídque palàm dissentiente, & reclamante, & ineluctabilem cœlestis iræ animadversionem multis cum lacrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem, sicuti vetus consuetudo poscebat, nonnulli Galliæ Episcopi à Metropolitanorum sententiis appellârunt; nemo non videt, quæ inde Ecclesiæ catholicæ deformatio, ac ruina; quæ sacrarum, ac profanarum rerum confusio, sublato quodammodo inter spiritualem, & sæcularem Potestatem pariete medio, sit consecutura, non in Gallia solùm, sed in omnibus aliis Christiani orbis Provinciis manante in dies latiùs exempli auctoritate. Accedet ad hæc, nisi error tam absurdus, ac tam certus corrigatur, gravis jactura, & periculum animarum in isto Regno: illi enim quos, Majestas Tua vacantium Ecclesiarum fructibus augebit, in quibus Ecclesiis jus illud locum non habet, cum progressu temporis.

poris, vel monitu Sacerdotum, quibus Arcana conſcientiæ ſuæ detegunt, vel etiam ipſi per ſe, ut in re clara, & aperta viderint, in quos ſe laqueos induerint, & in quod animam ſuam perditionis æternæ diſcrimẽ adduxerint, tot cenſuris, adeoque tot Sacrilegiis obſtricti, tot illicitè perceptis bonis Eccleſiæ, quæ reſtituere cogantur, incredibile dictu eſt, quâ animi perturbatione, quibus conſcientiæ terroribus agentur, Regiam beneficentiam Tuam magni infortunii loco habituri. Quorum profectò malorum, & diſcriminum culpam, niſi providè arceantur, Majeſtas Tua haud dubiè in diſtricto DEI Judicio ſuſtineret. Vehementer itaq; Majeſtatem Tuam rogamus, ut pro eximia animi tui æquitate, & ſapientia rem ſeriò perpendas, ac ſi innumeris ampliſſimi Regni Tui negotiis impediris, quo minùs eam per Te cognoſcas, viros aliquos non tam doctrinâ, quæ non adeò magna requiritur ad hujus cauſæ cognitionem, quàm pietate fidéque præſtantes, conſulas, vel, ſi placet, evolvas acta ipſa Cleri Gallicani nuper impreſſa, quæ Tibi rei veritatem luculenter aperient. Quâ cognitâ minimè dubitamus, quin Majeſtas Tua illicò declaret nihil Tibi majori curæ eſſe, quàm reddi Deo, quæ Dei ſunt, à quo tantas opes, tam ſplendidum amplúmque Regnum, & omni Regno potiora tot præclara animi corporiſque bona accepiſti. Longiùs fortaſſe, quàm patitur, vel evidens cauſæ juſtitia, vel egregia virtus Tua, in hoc argumento immoramur. Verùm non ut Te confundamus, hæc ſcribimus, ſed tanquam Filium chariſſimum admonemus, animo reputantes, nihil prodeſſe homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Speramus, chariſſime Fili, opus non fore, ut novis eximiam religionem, æquitatemq; Tuam precibus in hoc negotio interpellemus; ea cæ-

teroqui est rei magnitudo, & gravitas, in qua non Gallicanæ solùm, sed totius Ecclesiæ dignitas, salusque vertitur, ut pro Apostolici officii nostri munere extrema omnia pati potiùs, quàm causam istam negligenter agere debeamus. Reliqua super hoc argumento accipies à præfato Nuncio Nostro, ac Tibi Apostolicam benedictionem perpetuo cum felicitatis Tuæ voto conjunctam amantissimè impartimur.

Tertium Breve Apostolicum.

Charissimo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo Innocentius Papa XI.

CHarissime in Christo Fili: Binis jam litteris fusè, & luculenter ostendimus, Majestatem Tuam etiã in concordi ferè omnium Galliæ scriptorum testimonio, & ex ipsis Regij tabularij tui actis, quod esset Ecclesiæ libertati injuriosum, omni divino, humanóque juri contrarium, & alienum, perpetuo Regum Majorum Tuorum more, & exemplo editum, septem ab hinc annis à Te decretum, quo consuetudinem illam custodiendi fructus, & vacantium Ecclesiarũ quam Regaliam nuncupant, ad eas quóq; Ecclesias extendi jubes, quæ hujusmodi oneri nunquam obnoxiæ fuêre, in quibus litteris vehementer à Te pro Pastoralis officij Nostri debito, & pro paterna, quam gerimus, salutis Tuæ cura efflagitavimus, ut Decretum ipsum, aliáque deinceps acta adversus jura libertatésque Ecclesiarum abrogari, aboleríque mandares; erat sanè illud etiam causæ ipsius meritum, ea de Regij animi tui æquitate, & magnitudine opinio Nostra, ut certâ spe duceremur, Majestatem Tuam omnibus in locum pristinum quàm primùm repositis, cor Tuum ab ulteriori tantæ rei sollicitudine tot aliis in Catholicæ Ec-

clesiæ

cleſiæ Procuratione diſtrictum liberaturam. Verùm poſtquam plurium menſium ſpatium, quod longanimitati Noſtræ probandæ ab ultimis litteris effluxit, nullum adhuc neque ad eas reſponſum, neque ex eis fructum videmus, quin etiam plurimorũ litteris,& ſermone nos pro comperto habemus, omnia deteriore in dies loco eſſe, & prætextu Regaliæ hujuſmodi beneficiorum collationes, & Canonicas inſtitutiones impediri, Epiſcoporum auctoritatem peſſundari, Eccleſiaſticam diſciplinam, ordinemque turbari, novam denique praxim veteri Eccleſiæ praxi, & divinæ inſtitutioni contrariam invehi à Sæculari poteſtate, neque ea clam, ut timidè fieri reperimus; ſed apertè,& manu Regiâ. Non dicimus hoc loco, ne actum agamus, quot inde ſcandala, & quærelæ, quot in Clerum Gallicanum incommoda naſcantur, quod Eccleſiæ univerſæ à tali exemplo periculum, quæ tempeſtas immineat, quæ nomini, átque honori Tuo macula, quæ Conſcientiæ labes inuratur: ſatis enim ea in ſuperioribus litteris indicavimus, ſatis patent ipſa per ſe; non patitur tamen ſincera, ac planè paterna erga Te, Regnumq; iſtud ampliſſimum charitas Noſtra, Nos in tanta divini honoris injuria, in tam gravi Tui ipſius periculo adhuc ſilere, ſed cogimur iterum intimo cordis affectu, & in viſceribus Jeſu Chriſti rogare, obſecraréque M. T. ut memor ejuſdem Chriſti Verborum ad Eccleſiæ Præpoſitos: qui vos audit, me audit, Nos potiùs, qui Tibi Parentis, & quidem amantiſſimi loco ſumus, audire velis, vera & ſalutaria ſuadentes, quàm filios diffidentiæ, qui terrena tantùm ſapiunt, quíque conſiliis in ſpeciem utilibus, ſed reverâ perniciosis incliti iſtius Regni fundamenta in rerum ſacrarum reverentia,& in Eccleſiæ auctoritate, juribúsq; tuendis poſita convellunt; qui quidẽ, ſi ii eſſe vellent, quos eſſe ipſorum

digni-

dignitas,& officiũ, Tuáq; ſingularis in eos benignitas cogit. imitari potiùs deberent integritatem, fidémque eorum, quos olim pari loco poſitos memoriæ proditum eſt, & in Gallicani Cleri acta nuper relatum, liberâ aliquando voce in ſimili cauſa monuiſſe Reges Prædeceſſores tuos: meminiſſent, quid & quâ juris jurandi Religione, ubi Regni gubernacula ſuſcepturi, ſacro chriſmate inungerentur, polliciti Deo fuiſſent, ſe videlicet divinę ejus gloriæ omni ope, & ſtudio inſervituros, & pro Eccleſiæ ſuæ S.æ juribus, & libertate aſſerenda paratos ſemper fore ſanguinem ipſum, vitámque profundere: conſiderarent fluxam, & fugacem eſſe mortalium vitam, Regũ præſertim, ac Principum, qui, ubi ad diſtrictum Dei judicium vocarentur, illuc accederent ſine cuſtodibus, ſine comitatu, ſine ullis Regiæ, vel dignitatis inſignibus, vel potentiæ præſidiis nudi, atque inermes, reddituri omnis anteactæ vitæ rationem Judici ſcrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non eſt acceptio perſonarum, qui poteſtatem habet mittendi in gehennam, ubi potẽtes tormenta patiuntur. Nec ſuperiori ſæculo defuit in Gallia Epiſcopus, qui in frequenti aliorum Præſulum, aulæque Procerum coronâ apud Henricum Regem hujus nominis Tertium Cleri Gallicani cauſam in re non abſimili orans Regi dixerit: obſervatum fuiſſe, nunquam Regias in Gallia ſtirpes defuiſſe, niſi ubi Reges indebitas ad beneficia nominationes arrogare ſibi cœpiſſent, à quibus S. Ludovicus Rex Chriſtianæ humilitatis non minùs gloriâ, quàm Regiæ dignitatis culmine ſublimior, uſque adeò abhorruiſſet, ut ultro etiam Pontificiâ authoritate ſibi delatas rejecerit. Fuit hæc quondam in Gallia, imò ad hæc noſtra tempora ſtrenuè retenta eſt penes Epiſcoporum ordinem Apoſtolica loquendi libertas, nihil metuens, nihil ſperans, niſi à Deo; neque

id ſo-

id solùm per Reges licuit, sed ita Episcopo tũ monita semper accepta sunt, ut Episcopi ipsi, & sibi meritam laudẽ, & causæ optatum exitum sint consecuti, manseritque propterea inviolata tandem, atque inconcussa sanctio Oecumenici Concilii Lugdunensis: adeò, ut nonnulli Galliæ Reges impios, & sacrilegos publico Decreto eos appellaverint, quicunque Regaliam & Ecclesias ei non assuetas extendere aliquâ ratione tractarent, sicut in nostris annalibus traditum reperitur; hæc autem temporis præsentis infirmitas eò acerbior nobis accidit, quòd scimus M. T. nihil ducere inter Regii animi Tui ornamenta præclarius Zelo justitiæ, & studio Divini honoris, pro quo tam pia, & tam salutaria decreta nuper edidisti, ac tam multa tanta cum nominis tui laude, & bonorum omnium lætitia in præsens agis, destruendo Synagogas, & ædes hæreticorum, ut tibi non minora in cœlo statuere videaris conservatæ propagatæque Religionis trophæa, quàm in terris relicturum speramus devictarum Gentium Barbararum. Cavendum tamen diligenter est, ne quod dextera, hoc est, ingenita pietas Tua ædificat, destruat sinistra, hoc est, callida, & iniqua consilia dicentium tenebras lucem, & lucem tenebras: Cùm moneamur Apostolico Oraculo; qui in uno delinquit, esse omnium reum: non defuere hâc etiam occasione in Gallia quidam, neque plures deessent ex fratribus nostris Episcopis, viri fortes, & Divinæ legis, & libertatis Ecclesiæ Zelatores, qui gravissimam hanc, & toti Franciæ Regno, imò Ecclesiæ universæ cõmunem causam pari constantiâ, & spiritu apud Majestatem Tuam agerent, sed metu quodam, ut ipsis videtur, justo ignoscendoque; ut Nos autem judicamus, vano, & non solùm Episcopali officio, sed etiam magnanimitati, æquitatique Tuæ injurioso retenti silent, expectantes, dum humilitas

Nostra à filiali Tua in hanc S. Sedem observantia impetret, quod à Regia Tua justitia Ecclesiis debitum poscere ipsi non audent. Itaque in his litteris Nostris illorum omnium justum dolorem, & preces agnosce, quinimò Dei ipsius voluntatem ore Te Nostro alloquentis, ac seriò monentis, ut præfatum Decretum, & quidquid ejus occasione adversùs jura libertatesque Ecclesiæ actum, gestumque hactenus fuit, corrigi, emendarique omnino cures; alioquin magnopere veremur, ne subire aliquando debeas, quam Tibi aliàs in litteris denunciavimus, & nunc iterum, & tertiò invitique quidem, quantùm pertinet ad sensum amoris in Te Nostri, sed Deo Nos interiùs movente apertè denunciamus, Cœlestis iræ animadversionem; Nos sanè neque hoc negotium per litteras ampliùs urgebimus, neque desides erimus in adhibendis remediis, quæ traditæ Nobis divinitùs potestati competunt, quæque in tam gravi, & periculoso morbo omittere, sine gravissima neglecti Apostolici muneris culpa non possumus; neque tamen ullum inde incommodum, aut periculum, nullam quantumvis sævam, atque horribilem tempestatem pertimescemus, ad hoc enim vocati sumus, neque facimus animam Nostram pretiosiorem, quàm Nos, probè intelligentes, non forti solùm, sed etiam æquo animo subeundas esse tribulationes propter justitiam, in quibus, & in Cruce Domini Jesu Christi gloriari oportet. Causã Dei agimus, quærentes, non quæ Nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, cum Eo posteà, non Nobiscum Tibi negotiũ erit imposterũ; cum Eo scilicet, adversus quem non est sapientia, non est consiliũ, non est potentia. Nos, postquam Ministerii Nostri partes plantando, & rigando, sicut oportet, implevérimus, expectabimus, dum operi incrementum det Deus, à quo accurata prece flagitare non desinemus, ut verbis, &

exhor-

exhortationibus hiſce Noſtris vim, & robur infundat. Majeſtatis Tuæ animum ad ſalubriora conſilia flectendo, unde & mereri Tu poſſis, & Nos lætari, res Tuas omnes ſecundiores indies curſum fluere, ſubditas Imperio Tuo gentes perpetuâ, ac optimâ pace florere, Tibique Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ, die XXIX. Xbris. M.DC.LXXIX.

Litteræ S. Pontificis, ad Conventum Pariſienſem.

VEnerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, &c. Paternæ charitati, quâ chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Ludovicum Regem Chriſtianiſſimum, & Eccleſias veſtras, vos ipſos, & univerſum iſtud Regnum amplectimur, permoleſtum accidit, ac planè acerbum cognoſcere ex veſtris litteris die tertiâ Februarii ad Nos datis, Epiſcopos, Clerumque Galliæ, qui corona olim, & gaudium erant Apoſtolicæ Sedis, ita ſe erga illam in præſens gerere, ut cogamur multis cum lacrymis uſurpare propheticum illud: *Filii matris meæ pugnaverunt adverſum me.* Quamquam adverſùm Vos ipſos potiùs pugnatis, dum Nobis in ea cauſa reſiſtitis, in qua veſtrarum Eccleſiarum ſalus, ac libertas agitur, & in qua Nos pro viribus, & dignitate Epiſcopali in iſto Regno tuenda, ab aliquibus Ordinis veſtri piis, ac fortibus viris appellati abſque mora ſurreximus, & jam pridem in gradu ſtamus nullas privatas Noſtras rationes ſecuti, ſed debitæ Eccleſiis omnibus ſollicitudini, & intimo amori erga Vos Noſtro ſatisfacturi.

Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum eas litteras continere in ipſo earum limine intelleximus: nam præter

ea, quæ de norma in comitiis convocandis, peragendisque servata afferebantur, animadvertimus, eas orditi à metu Vestro, quo suasore nunquam Sacerdotes Dei esse solent, & in ardua, & excelsa pro Religione, & Ecclesiastica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo constantes. Quem quidem metum falso judicavistis posse vos in sinum Nostrum effundere. In sinu enim Nostro hospitari perpetuò debet Charitas Christi, quæ foras mittit, & longè arcet à se timorem. Quâ charitate erga vos, Regnumque Galliæ paternum cor Nostrum flagrare multis jam, ac magnis experimentis cognosci potuit, quæ hic referre non est necesse. Si quid est autem, in quo bene merita de vobis sit charitas Nostra, id esse imprimis putamus; hoc ipsum Regaliæ negotium, ex quo si seriò res perpendatur, omnis ordinis vestri dignitas, atque authoritas pendet. *Timuistis* ergo *ubi non erat timor*: Id unum timendum vobis erat, ne apud DEUM, hominesque redarguitritè posseris, loco atque honori vestro, & Pastoralis officii debito defuisse: memoriâ vobis repetenda erant, quæ antiqui illi Sanctissimi Præsules, quos quàm plurimi postea quâlibet ætate sunt imitati, Episcopalis constantiæ, ac fortitudinis exempla in hujusmodi casibus ad vestram eruditionem ediderunt. Intuendæ imagines Prædecessorum vestrorum, non solùm qui Patrum, sed qui nostrâ quoque memoriâ floruerunt, & qui Ivonis Carnotensis dicta laudatis, debuistis etiam facta, cùm res poscceret, imitari. Nôstis quantùm is fecerit, passusque sit in turbulenta illa, & periculosa contentione inter Urbanum Pontificem, & Philippum Regem, muneris sui esse arbitratus, contra Regiam indignationem stare, bonis spoliari, carceres, & exilia perferre, deferentibus aliis causam meliorem. Officii vestri erat Sedis Apostolicæ authoritati Vos

adjun-

adjungere, & Pastorali pectore, humilitate sacerdotali causã Ecclesiarum vestrarum apud Regem agere, ejus conscientiã de tota re instruendo, etiã cum periculo Regium in vos animum irritandi, ut possetis imposterùm sine rubore in quotidiana Psalmodia Deum alloquentes Davidica verba proferre: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Quanto magis id vobis faciendum fuit, tam perspectâ & exploratâ optimi Principis justitiâ, & pietate, quem singulari pietate Episcopos audire, Ecclesiis favere, & Episcopalem potestatem intemeratam velle vos ipsi scribitis, & Nos magna cum voluptate legimus in vestris litteris. Non dubitamus, si stetissetis coram Rege pro causæ tam justæ defensione, néque defutura vobis verba, quæ loqueremini, néque Regi cor docile, quo vestris annueret postulatis. Nunc, cùm muneris vestri, & Regiæ æquitatis quodammodò obliti in tanti momenti negotio silentium tenueritis, non videmus, quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum adductos, quòd in controversia victi sitis; quòd causâ cecidistis. Quomodò cecidit, qui non stetit? ecquis vestrûm tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam curavit apud Regem? Cùm tamen prædecessores vestri in simili periculo constitutam, non semel apud Superiores Galliæ Reges, imò apud Hunc Ipsum liberâ voce defenderint, victoresque à Regio conspectu decesserint, relatis etiam ab æquissimo Rege præmiis pastoralis officii strenuè impleti? Ecquis vestrûm in arenam descendit, ut opponeret murum pro domo Israel? quis ausus est invidiæ se offerre? quis vel vocem unam emisit memorem pristinæ libertatis? clamaverunt interim sicuti scribitis, & quidem in mala causa pro Regio Jure clamaverunt Regis administri, cùm vos in optima pro Christi honore sileretis. Neque illa

solidiora, quòd reddituri Nobis rationem, seu verius excusationem allaturi, rerum in hujusmodi comitiis per vos actarum exaggeratis periculum, ne Sacerdotium & Imperium inter se collidantur, & mala, quæ exinde in Ecclesiam, & in Rempublicam consequi possent; proinde existimâsse vos ad officium vestrum pertinere aliquam inire rationem tollendi de medio gliscentis dissidii, nullam verò apparuisse commodiorum remedio à Patribus judicato, utili condescensione Canones temperandi pro temporum necessitate, ubi neque fidei veritas, neque morum honestas periclitetur. Deberi ab ordine vestro, deberi à Gallicana, imò ab universa Ecclesia plurimum Regi, tam præclarè de Catholica Religione merito, & indies magis mereri cupienti; propterea vos jure vestro decedentes illud in Regem contulisse. Omittimus hîc commemorare, quæ significatis de appellato à vobis sæculari Magistratu, à quo victi decesseritis; cupimus enim ejus facti memoriam aboleri, & volumus ea Vos verba à litteris vestris expungere, nec in actis Cleri Gallicani resideant ad dedecus vestri nominis sempiternum. Quæ de Innocentio III. Benedicto XII. Bonifacio VIII. in vestram defensionem adducitis, non defuêre, qui doctis litteris ostenderint, quàm frivola, atque extranea sint causæ, & magis notum est, quàm ut opus sit commemorare, quo Zelo, quâ constantiâ eximii illi Pontifices Ecclesiæ libertatem defenderint adversùs sæculares Potestates, tantùm abest, ut exemplo eorum possint errori vestro suffragari. Cæterùm ultro admittimus, & laudamus consilium relaxandi Canonum disciplinam pro temporum necessitate, ubi fieri id possit sine fidei, & morum dispendio; imò addimus cum Augustino toleranda aliquando pro bono unitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda sunt, neque eradicanda zizania,

ubi

ubi periculum sit, ne simul etiam triticum eradicetur. Id ita tamen accipi oportet, & in aliquo tantùm peculiari casu, & ad tempus, & ubi necessitas urget, licitum sit, sicuti factum est ab Ecclesia, cùm Arrianos, & Donatistas Episcopos ejurato errore suis Ecclesiis restituit, ut populos, qui secuti eos fuerant, in officio continerent. Aliud est, ubi disciplina Ecclesiæ per universi amplissimi Regni ambitum sine temporis termino, & manifesto periculo, ne exemplum latiùs manet, labefactatur, imò evertitur ipsius disciplinæ, & Hierarchiæ Ecclesiasticæ fundamentum, sicuti evenire necesse esset, si quæ à Rege Christianissimo in negotio Regaliæ nuper acta sunt, conniventibus, imò etiam consentientibus vobis, contra notam jam vobis in eam rem mentem Nostram, & contra ipsam jurisjurandi Religionem, quâ vos DEO, Romanæ, vestrisque Ecclesiis obligâstis, cùm Episcopali charactere imbueremini, hæc executioni mandari, & malum invalescere diutiùs differendo permitteretur; ac non ea nos pro tradita divinitus humilitati Nostræ suprema in universam Ecclesiam potestate solemni more, prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, improbaremus. Cùm præsertim per abusum Regaliæ non solùm everti disciplinam Ecclesiæ res ipsa doceat, sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari facilè intelligamus ex ipsis Regiorum Decretorum verbis, quæ jus conferendi beneficia Regi vindicant, non tanquam profluens ex aliqua Ecclesiæ concessione, sed tanquam ingenitum Regiæ Coronæ. Illam verò partem litterarum vestrarum non sine animi horrore legere potuimus, in qua dicitur, vos jure vestro decedentes illud in Regem contuliſſe, quasi Ecclesiarum, quæ curæ vestræ creditæ sunt, essetis arbiri non custodes, & quasi Ecclesiæ ipsæ, & spiritualia earum jura possent sub

pote-

potestatis sæcularis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum libertate in servitutem dare deberent. Vos sanè ipsi hanc veritatem agnoscitis, & confessi estis, dum alibi pronunciâstis, jus Regaliæ servitutem quandam esse, quæ in ea præsertim, quæ spectant beneficiorum collationem, imponi non potest, nisi Ecclesiâ concedente, vel saltem consentiente. Quo jure vos ergo jus illud in Regem contuliſtis? cumque sacri Canones distrahi vetent jura Ecclesiarũ, quomodò vos distrahere in animum induxistis, quasi eorundem Canonum authoritati derogare liceat vobis? Revocate in memoriâ, quæ inclitus ille vester Clarevallensis Abbas, non Gallicanæ modò sed universalis Ecclesiæ Lumen à Vobis jure merito nuncupatus, Eugenium Pontificem officii sui admonens, reliquit scripta præclarè; meminisset se esse, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt, esse quidem & alios cœli janitores, & gregum pastores, sed cùm habeant illi assignatos greges singuli singulos, ipsi universos creditos, Unicum, nec modò ovium, sed & Pastorum Eugenium esse Pastorem, ideoque juxta Canonum statuta alios Episcopos vocatos fuisse in partem sollicitudinis, Ipsum in plenitudinem potestatis. Ex quibus verbis quantùm vos admoneri par est de obsequio, & obedientiâ, quam habetis huic sanctæ Sedi, cui Nos Deo authore, quamquàm immeriti præsidemus, tantumdem Pastoralis Nostra sollicitudo excitatur, ad inchoandum tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia fortasse longanimitas Nostra, dum pœnitentiæ spatium damus, hactenus distulit, Apostolici muneris executionem; quamobrem per præsentes litteras traditâ Nobis ab Omnipotente Deo authoritate, improbamus, rescindimus, & cassamus, quæ in istis vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliæ, cum omnibus inde secutis, & quæ imposterùm attentari

tari contingat, eáque perpetuò irrita, & inania declaramus, quamvis, cùm sint ipsa per se manifestè nulla, cassatione, declaratione hujusmodi non egerent. Speramus attamen vos quoque ipsos re meliùs consideratâ, celeri retractatione consulturos conscientiæ vestræ, & Cleri Gallicani existimationi, ex quo Clero, sicuti hucúsque non defuêre, ita imposterùm non defuturos confidimus, qui boni Pastoris exemplo libenter animam ponere parati sint pro ovibus suis, & pro testamento Patrum suorum. Nos quidem pro officii Nostri debito parati sumus, DEI adjutrice gratiâ, sacrificare sacrificium justitiæ, & Ecclesiæ jura, ac libertatem, & hujus S. Sedis authoritatem, dignitatémque defendere, nil de Nobis, sed omnia de Eo præsumentes, qui Nos confortat, & operatur in Nobis, & qui jussit Petrum super aquam ambulare; *præterit enim figura hujus mundi, & dies Domini appropinquat.* Sic ergo agamus Venerab Fratres, ac dilecti filii, ut, cùm Summus Paterfamilias, & Princeps Pastorum rationem ponere voluerit cum servis suis, sanguinem pessumdatæ Ecclesiæ, quam suo cruore ipse quæsivit, de Nostris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apostolicam benedictionem, cui cælestem accedere exoptamus, intimo Paterni amoris affectu impartimur. Datum Romæ die XI. Aprilis M. DC. LXXXII.

Dilectis in Christo Filiabus Monialibus, seu Canonissis Regularibus Congregationis Beatæ Mariæ Virginis nuncupatis, Monasterii loci de Sciaron, Parisiensis Diœcesis, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini Servi DEI Petri Fourier.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilectæ in Christo Filiæ, allatum ad Nos est, monialem

quandam Ciſtercienſis, ſeu alterius, non tamen Veſtri Ordinis Mariam Angelicam Le Maiſtre nuncupatam, prætextu Regiæ nominationis ad perpetuam, ſeu temporalem iſtius Monaſterii præfecturam ſe in ejuſdem poſſeſſionem, effractis violenter clauſtri veſtri foribus, dum vos ad Divinam opem implorandam preces ad aram ſuppliciter funderetis, immiſiſſe. Eam ſanè ex hujuſmodi facto cepimus intimi doloris amaritudinem, quam rei ipſius atrocitas, & grave ſcandalum, quod exinde profectum eſt, expoſcebat, néque minori commiſerationis ſenſu proſecuti vos fuimus. Qui cognitam, & perſpectam habemus pietatem, átque egregiam diſciplinam, quâ inſtituti veſtri, præſertim in gratuita & fideli puellarum inſtructione normam tenetis, ſperamus non defutura Vobis veriora ſolatia à Patre miſericordiarum, qui Virtutem veſtram ita exercet, & quaſi per ignem probat, ut ornet, & illuſtret magis, & ampliori mercede ſuo tempore coronet: Præcipimus interim Vobis, ne præfatæ Mariæ Angelicæ ullum obedientiæ actum exhibeatis, aut quidquam faciatis, quod trahi aliquo modo poſſit in approbationem, & conſenſum eorum, quæ hâc occaſione à quocúnque, quovis colore peracta, & patrata ſunt, quæque Nos Apoſtolicâ authoritate nulla, átque irrita declaramus, & (quatenus opus ſit) caſſamus, omniáque & ſingula tam à dicta Maria Angelica, quàm ab ejus fautoribus attentata annullamus, revocamus átque abrogamus; ſed procedatis juxta Regularum veſtrarum præſcriptum, ad eligendum de gremio veſtro Matrem, ſeu Prioriſſam triennalem eâ charitate, & prudentiâ, ut monaſterio veſtro præeſſe cum laude poſſit. Cæterùm mandamus, ut ſorores ſeu Matres veſtræ, Moniales dicti veſtri Monaſterii, quæ auſu temerario religatæ aſſeruntur, quantò citiùs redeant, & ibi voce activâ

& paſ-

& passivâ frui, potiri & gaudere possint, Vobisque & ipsis, totique Congregationi Beatæ Mariæ Virginis instituti præfati Servi Dei Petri Fourier, & præsertim vestro Monasterio Pontificium Nostrum patrocinium ex animo pollicemur, dum accuratis, & jugibus precibus vestris necessitates Ecclesiæ, & Nos ipsos commendamus, quibus Apostolicam Benedictionem paternè impartimur. Datum Romæ die VII. Augusti. M. DC. LXXX.

Marius Spinola.

Litteræ ab Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque Cleri Gallicani deputatis ad Regem Christianissimum datæ, & Latinitati ex Gallico redditæ.

Domine, &c.

INtelleximus, nec absque intimo doloris sensu à S.mo D. N. Romano Pontifice ad Majestatem Vestram delatas esse litteras, quibus non solùm Majestatem Vestram exhortandam ducit, ne aliquas nostrarum Ecclesiarum Regaliæ subjiciat; Verùm etiam, nisi Paternis, ac sæpe repetitis admonitionibus acquiescat, suâ potestate se usurum, denunciat; Enimverò Nostrarum partium, Nostríque obsequii esse credimus minimè in re tanti momenti silentium tenere, eo præsertim temporis, quo invito, ægróque animo ferimus Filium Primogenitum, Ecclesiæque Protectorem iis omnino minis, eâdémque acerbitate tractari, quâ Príncipes solent, qui Ecclesiæ jura invadunt. Non est Nobis animus cum Majestate Vestra in eo negotio disceptare, in quo ab Eadem tot argumenta notásque pietatis, & justitiæ jam dudum accepimus; sed tantùm hanc novam agendi rationem dolentes intuemur, ex qua tantùm abest; ut Ecclesiæ, Sedique Romanæ honoris aliquid, & emolumenti accedat ut potiùs ingentia utrique mala pessimique effectus timendi sint, quis enim non videat intempestivâ hâc severitate eorum animos, & molitiones ali, qui turbido, inquietóque ingenio sunt, & contra Sanctitatis Suæ ge-

nium, ac intentiones rectissimas occasionem hanc amplectuntur, vindictam, privatosque affectus explicandi, & Majestatis Vestræ, ejusque Prælatorum honori, quod jam dudum faciunt, acerbè insultandi. Ipsi omnino sunt, qui lapidem omnem movent, industriamque collocant dignitati Sacerdotali cum Regia collidendæ, eo potissimùm tempore, quo nunquam magis oportuit utramque fœderari, & nunc maximè, cùm, quæ Religioni augendæ, Disciplinæ exornandæ, expugnandisque erroribus Hæreticorum, à Majestate Vestra quotidie fiunt orbe toto, cantantur; Enimverò nec consilia Nobis, nec media desunt, quibus auctoritate Majestatis Vestræ, & potentiâ nixi, tam pernicioſos funestosque eventus evertere possimus, explicatâ videlicet summo Pontifici animi nostri sententia, aliisque remediis, quæ tam gravi malo conveniunt, maturè adhibitis, illæsa tamen ea Reverentia, obsequioque, quæ Christi Vicario profitemur. Hoc siquidem Prædecessores nostri solemne semper habuerunt, ut Zelo, quo Ecclesiasticam libertatem tuendi flagrabant, Reverentiam adjungerent tot titulis cum naturæ, tum Religionis suis Regibus debitam. Et quemadmodùm Majestati Vestræ inter alia tot decora illud etiam accessit, ut Majores Suos omnes potentia, & Religione post se relinquat, ita nos quoque sic obstrictos habet, devinctosque, ut ab Ejus obsequio nulla ratione, nullisque artibus avelli possimus. Serviet hæc animi nostri contestatio eludendis conatibus omnium sacræ Sedi, Regnoque inimicorum, eamque Nos tantò libentiùs, &, quàm fieri potest candidissimè, repetendam ducimus, quòd necessarium credamus, ut totus Orbis intelligat, & amorem Ecclesiis, & Venerationem Regibus debitam conjungi à Nobis posse. Qui erimus perpetuùm

Majestatis Vestræ

Humillimi, obsequentissimi, fidelissimi, obligatissimi
Servi & subditi

Archiepiscopi, Episcopi
cæteríque Deputati, &c.

XII. Ha-

XII. Hactenus Innocentii XI. Pontificis Max. litteræ, in quibus & libertas Pontifice digna, & Majestas, ad quam scribit, observata publico reverentiæ, & authoritatis temperamento, & tamen à quibusdam inhumanitatis notatæ sunt, quòd dicerent, oportuisse Regem majestate, & victorijs ferocem molliùs tractari, nec minis, sed obsequio flecti.

Sed qui hæc dicunt, officium satis considerant Pontificis Max. nec morem; quis enim Regem veritatis admoneat, tacente Petro, Christique Vicario?

Inter tot adulantium illecebras miserrima sit Principis conditio, si ne à Patre quidem veritatem audiat. Eodem calamo scripsit Innocentius XI. quo Illius Prædecessores ad Reges scripsêre, imò dulciore, ùt patebit ex fragmentis paulò post recitandis; recitabimus verò eo animo, ut intelligat Lector Summorum Pontificum semper hunc animum, & morem fuisse, ut Dei sapientiam, cujus in Ecclesia personam sustinent, imitarentur, *quæ operatur omnia fortiter, & suaviter.*

Innocentius III. ad Alexium Comnenum Imperatorem. (a) sic loquitur: *Mira est Imperialis sublimitas, quòd Te misi fuimus in Nostris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi non causam, sed occasionē præbuit, quòd legisti B. Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: Nos autem etsi nō increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare: cùm B. Paulus Apostolus Episcopū instituens ad Timotheum scribat: Prædica Verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia; Non enim os nostrum debet esse ligatū, sed patere debet ad omnes ne secundùm Propheticum verbum simus canes latrare non valentes. Unde correctio Nostra Tibi non debuit esse molestia, sed magis accepta, quia Pater Filium, quem diligit, castigat: debitum igitur Pastoralis officii exequimur, cùm obsecramus, arguimus, quando increpamus, & non solùm alios, sed Imperatores, & Reges, & ad ea studemus adducere, quæ Divinæ sunt placita Majestati.*

Symmachus Papa in Apologetico ad Anastasium Imperatorem: precor Imperator, inquit, *pace tuâ dixerim: Memento te hominem, ut possis uti concessa Tibi divinitùs potestate, quia etiamsi hæc sub humano prævenêre judicio, sub divino necesse est, ut discutiantur examine. Fortassis dicturus es, scriptum esse omni Potestati subditos nos*

(a) in c. 6. de major. & obed.

esse debere. Nos quidem Potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non eriqunt voluntates. Defer Deo in nobis, senatui, & Collegio Clericorum Romæ, & Nos deferemus Deo in Te. Cæterùm si Tu Deo non defers, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis. Dicis; quòd mecum conspirante Senatu excommunicaverim Te. Ita quidem Ego, sed rationabiliter factum à Decessoribus Meis sine dubio subsequor, & contestari meâ voce non desino, ut Te memineris hominem, quantâlibet sis mundi Potestate subnixus, circumspiciásque cunctos, qui Catholicam fidem persequi, & affligere sunt conati, quemadmodùm prævalendo defecerint, &c.

Stephanus Papa Basilio Imperatori: *Accipe quæso Imperator optimam in partem, quæ subjicio: Datum Tibi est, ut cures, quo pacto Tyrannorum impietatem, & immanitatem potentiæ ferro præcidas, subjectis tuis jura administres, leges condas, terrâ, marique exercitum componas, hæc sunt capita, curæque imperii Vestri. Nostri verò cura gregis tantò præstantior est, quantũ est inter cœlestia, ac terrestria discrimen: obtestor igitur Tuam pietatem, ut Principum Apostolorum instituta sequâre, magnâque veneratione amplectâre, omnium enim in orbe Terrarum ordo, & Pontificatus Ecclesiæ à Principe Apostolorum Petro originem accepit, per quem & Nos sincerâ, & incorruptâ doctrinâ instruimus, & docemus omnes: Tua verò Majestas perpendat potiùs, si ex grege DEI (quod opto) est, ovem se esse, & limites Apostolorum ne transilias.*

Gregorius Papa Leoni Isaurico Imperatori: *obsecutus es*, ait, *pervicaci animo Tuo, ac domesticis perturbationibus, & scripsisti*: IMPERATOR SUM, & SACERDOS. *Audi humilitatem Nostram Imperator: cessa, & sanctam Ecclesiam sequere, prout inveneristi, atque accepisti: Non sunt Imperatorum dogmata, sed Pontificum, quoniam sensum Christi nos habemus: alia est Ecclesiasticarum Constitutionum institutio, & alius sensus sæcularium. In administrationibus sæculi militarem, ac ineptũ, quem habes sensum, ac crassum, in spiritualibus dogmatum administrationibus habere non potes, &c. Imperatores, qui piè, & in Christo vixerunt, Ecclesiarum Pontificibus obedire minimè recusârunt, nec eos vexârunt. Tu verò Imperator, cum transgressus fueris, ac perversus evaseris & manu propriâ subscripseris, ac confessus fueris, eum, qui terminos Patrum tollit execrabilẽ esse, in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum sanctum à Te alienâsti, & animam Tuam in barathra, & prærupta loca præcipitem egisti, quòd humiliari nolueris, durámque cervicem Tuam submittere. Ecce, nunc quóque Te hortamur, pœnitentiam age, & converte-*

re,

re, átque ad veritatem ingredere, sicut invenisti, & accepisti, custodi.

Ambros. Theodos. Imp. *Fortasse Princeps dignitas ista, quâ præditus es, & licentia, quã Tibi sumus, animo caliginẽ offundit, neq; sinit reputare, quàm sit atrox facinus, ac detestabile, quod admisisti. Ego autem scire Te pervelim, unum Deum esse potentem omnium rerum, & Dominum hujus Universitatis: mortales verò nihil nisi cænũ, & inane nomen: néque in hac communi miseria singularem esse Vestram Regum conditionẽ: ex luto vilissimâ rerum naturæ parte ficti, & excitati mox in lutum reciditis, Vósq; temporis momento mors æquat illis ipsis, quos nimirum eluditis umbratili hoc imperio. Agnosce crimen, & perhorresce, néque ausus fueris temeratũ istud caput intra sacratos templi fines inferre; tantùm humani sanguiuis hausisti, ut procul inde sis amovendus, ubi celebrantur Augustissima Mysteria Redemptionis humanæ,* &c. Extincto Maximo Tyranno, & Mediolani agente Ambrosio, facinus accidit, quo res Catholicorum turbatæ. Incensa fuerat à Christianis majori studio, quàm prudentiâ Judæorum Synagoga, & Lucus Valentinianorum. Hi Diis triginta thus adolebant. Res ad Imperatorem delata; qui turbarum metu Synagogã ab Episcopo, & Christianorum impensis reparari mandat. Movere se continuò Ambrosius, qui tum denegabat Aquilejæ, datâque epistola, Imperatorem à sententia revocare. Ubi inter alia: *Peto, ut patienter sermonem meum audias; nã si sum indignus, qui à te audiar, indignus sum, qui pro te offeram, cui Tua Vota, cui Tuas committas preces. Ipse ergo nõ audies eum, quem pro te audiri velis? non est imperiale libertatem dicendi negare: néque Sacerdotale, quod sentiat, non dicere. Relatum est à Comite Orientis incensam esse Synagogam, idq; authore factum Episcopo. Jussisti judicari in cæteros, Synagogam ab ipso ædificari Episcopo. Non adstruo expectandam fuisse assertionem Episcopi. Hoc dico, non vereris Imperator, ne non acquiescat sententiæ tuæ? Non etenim vereris, quod futurum est, ne verbis resistat Comiti Tuo? necesse erit igitur, ut aut prævaricatorem, aut Martyrem facias. Hâc propositâ conditione puto dicturum Episcopum, quòd ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos concluserit; hoc, inquam, dicet, ne amittat occasionem Martyrii. O beatum mendaciũ! quo acquiritur aliorum absolutio. Hoc est Imperator, quod poposci & ego, ut in me magis vindicares, & hoc si crimen putas, mihi adscribas. Quid mandas in absentes judicium? habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo, quòd ego Synagogam incenderim, certè quòd ego mandaverim, ne locus esset, in quo negaretur Christus. Legimus templa Idolis antiquitùs condita de Manubiis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium. Prô pudor! Theodosi, ergo titulum hunc Judæi in fronte Synagogæ suæ scribent: templum impietatis factum de Manubiis Christianorum?*

Cun-

Cunctabatur tamen Theodosius, & an edictum refigeret, animi pendebat; advolat igitur Mediolanum Ambrosius, & præsentem Imperatorem de suggestu vehementi Apostrophe, indutaque persona Dei sic aggreditur: *Audi Theodosi, quid ad Te pro se dicat Christus; Ego te ex gregario Imperatorem feci: Ego de fructu seminis Tui in throno locavi: Ego Tibi subjeci Nationes Barbaras: Ego tibi pacem dedi: Ego perturbavi hostis tui consilia, ut se ipse nudaret: Ego ipsum usurpatorem Imperii Tui ita vinxi, mentemque ejus ligavi, ut, cum haberet fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis, ne quis Tibi periret, ipse se clauderet. Ego, cùm periculum summum esset, ne alpes Barbari penetrarent, intra ipsum alpium vallum victoriam Tibi contuli, ut sine damno vinceres. Et Tu de Me, inimicis Meis triumphum donas. Et Tu erigis Synagogam hostibus Meis de cadaveribus Christianorum, de sanguine maceratam.* Sic Ambros. peroravit, sic victus Cæsar, qui descendentem de Cathedra sic est affatus: *Contra nos deposuisti hodie Episcope.* Cui Ambros. *non contra Te, sed pro Te locutus sum.* Nec prius ad altare oblaturus accessit, quàm Imperator fidem suam obstringeret. Cui Episcopus: *ergò* inquit, *agam fide tuâ?* respondit Theodosius: *age, fide mea:* qua sponsione repetita, jam securus Deo litavit.

Nicolaus Papa I. ad Michaëlem Imp. *His,* inquit, *ita prælibatis sub conspectu DEI, purè syncerèque pietatem Vestram deprecamur, obtestamur, exhortamur, ut petitionem Nostram non indignanter accipiatis. Rogamus denique, ut Nos in hac vita potiùs audiatis deprecantes, quàm (quod absit) in Divino judicio sentiatis accusantes. Et ideo nolite (precamur) irasci, si vos tantùm diligimus, ut Regnum, quod temporaliter assecuti estis, velimus vos habere perenne: & qui imperatis sæculo, possitis regnare cum Christo. Nam quâ fiduciâ [rogamus] illic DEI præmia petituri estis, cujus hîc Ecclesiæ detrimenta non prohibetis? Non sint gravia, quæsumus Vos, quæ Vestræ salutis æternitate dicũtur. Scriptum legitis, meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici.* Innocentius I. in causâ D. Chrysostomi ad Arcad. Imper. sic scribit: *Vox sanguinis Fratris Mei Joannis clamat ad Deum contra Te ô Imperator, sicut quondam Abel Justi contra parricidam Cain; & Is omnino vindicabitur: ne id modò admisisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnam adversùs Deum, & Ecclesiam Ejus concitâsti. Ejecisti è throno suo, re non judicatâ, Magnum totius orbis Doctorem, & unà cum illo Christum persecutus es. Neq; de illo ita queror, quamvis intolerabilis ea jactura sit, propterea quòd primùm de animarum Vestrarum salute, deinde de illis, qui sapientissimâ, & Divinâ doctrinâ orbati, fame Verbi DEI conficiuntur, sum sollicitus. Nova Dali-*

la

la Eudoxia Imperatrix, quæ paulatim erroris sui noviculâ Te Imperatorum totondit, execrationem sibi ipsi conflavit, grave, &, quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atq; id prioribus suis peccatis superaddens. Itaq; Ego minimus peccator, Cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego, & rejicio Te, & illam à perceptione immaculatorum Mysteriorum Christi DEI Nostri: Episcopum etiam omnem, aut Clericum Ordinis sanctæ DEI Ecclesiæ, qui administrare, aut exhibere Vobis ea ausus fuerit, ab ea hora, quâ præsentes legeritis litteras, dignitate suâ excidisse decerno, quòd si ùt homines potentes, quémque vi adegeritis, & Canones Nobis à Salvatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis, scitote id Vobis non parvum peccatum fore in horrenda illa Judicii die, cùm neminem hujus Vitæ honor, & dignitas adjuvare poterit; Arcana autem, & abdita cordium sub oculos omnium effundentur, atq; exhibebuntur. Arsacium quóque, quem pro Magno Joanne in thronum Episcopalem produxisti, etiam post obitum exauctoramus unà cum omnibus, qui consultò cum eo communicârunt Episcopi, cujus etiam Nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur; indignus enim honore est, qui Episcopatum quasi adulterio polluerit; omnis enim planta, quæ à Patre Nostro in Cœlis plantata non est, eradicabitur.

Paulus III. ad Carolum V. Imperatorem, & Regem in causa Edicti Spirensis, inter alia sic scribit: *Ex Edicto Majestatis Tuæ Acta Conventûs Tui Spirensis cognovimus. Nos verò, Fili, cùm à Te indigna quædam Decreta in Conventu Spirensi ex ipsis actis animadverterimus, indigniora verò designata esse, & talia, ut si propositum exitum, quod Deus avertat, consequantur, non solùm Te in certissimum animæ periculum adductura, sed Ecclesiæ paci, atq; unitati majorem, quàm hactenus perturbationem sint allatura, &c. Hæc, Charissime Fili, cùm ita sint, quæ Tuam ipsius animam in magnum salutis periculum adducant, & Ecclesiæ pacem magis, magísque perturbent, facilè videre potes, nisi per Te quamprimùm his malis remedium adhibeatur, (quod Te facturum speramus,) in quas angustias sis Nos compulsurus: ut aut officio, & muneri Nobis à Deo per ejus Filium dato deesse cogamur cum maximo detrimento, aut iterum severiùs agere, quàm vel consuetudo Nostra, vel natura, vel voluntas ferant. Quamquam Officio quidem deesse in tanto discrimine non debemus prorsus, nec volumus, quantùm per ejus gratiam, cujus vices licèt indigni in terris gerimus, de Nobis polliceri possumus. Insidet enim in animo, & ob oculos Nobis obversatur illud idem, de quo principio diximus,*

Divinæ severitatis in Heli Sacerdotem exemplum, quem non ob id quidem damnatum legimus, quòd in filiis corripiendis prorsus abstinuerit, corripuisse enim eos satis constat ex Scriptura: sed quòd in corripiendo, ut inquit D. Hieronymus, lenitate Patris, non auctoritate Pontificis agebat. Nos lenitate Patris integris prope adhuc rebus usi sumus, quibus ex Edicti forma transactis, (quod Deus avertat,) in Heli exemplo satis vides, in quam Nos necessitatem sis adducturus. Quare Tecum considera, Cæsar, quid Te magis deceat, quid ad Tuum imprimis officium erga Deum, & Ecclesiam magis pertineat, quid honori, & rebus Tuis magis expediat: an ut brachium Nostræ severitati in iis, quæ ad unitatem Ecclesiæ pertinent, præbeas; an potius illis faveas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant, & optant.

Adjungemus denique, quas igne, & Zelo plenas ex horto voluptatum ad Joram Regem Elias Propheta maximus dedit, de quibus 2. *Paralip. 21. Allatæ sunt ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: quoniam non ambulâsti in viis Josaphat Patris tui, & in viis Asa Regis Juda, sed incessisti per iter Regum Israël, & fornicare fecisti Judam, & habitatores Jerusalem, insuper & fratres tuos meliores te occidisti; ecce! Dominus percutiet te plagâ magnâ, cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, universâque substantia tua.*

Comparet jam quilibet, quas ad Orientis, & Occidentis Imperatores summi, & antiqui Pontifices litteras dedêre, cum illis Innocentii XI. ad Regem Christianissimum; inveniet, nisi fallor, in illis flammas, & myrrham esse, in istis flores, & mella, productâ quidem efficaciter veritate, sed tot elogiis, & blanditiis sparsâ, ut mirum sit non placuisse tam comptam, tôtque argumentis Paterni amoris conditam. Planè in tanta Ecclesiæ, Prælatorum, & innocentium clade, quorum voces, & lacrymæ Galliam, Romámque implebant, nihil minùs à Pontifice Max. dici potuit, nisi statuam velis, non Papam: si enim miles infamiam, ultimúmque supplicium meretur, qui pugnam otiosus, inersque spectat, nec gladium in hostem torquet; quantò majore culpâ Vicarius Christi bellum Episcopis, & Ecclesiæ juribus indictum, oppressósque innocentes otiosus cerneret, & gladium Verbi DEI in vagina teneret, expositis interim ad prædam, & injurias ovibus? Enimerò mercenarii hoc exemplum, non boni Pastoris est, dicente Christo: *Bonus Pastor animam suam dat pro Ovibus suis.*

Mercena-

Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt Oves propria, videt lupum venientem, & dimittit Oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit Oves: Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de Ovibus.

XIII. Verùm cùm hoc ipsum Regaliæ argumentum non modò hâc nostrâ tempestate, sed jam olim per gravissimas contentiones agitatum fuerit, & Ecclesiam diu multúmque afflixerit, ut meritò dubitare possis, plúsne illi dirimendo calamis certatum, an armis fuerit; operæ pretium me facturum credidi, si rem totam à suis principiis evolverem; maximè cùm vix aliud in historia Ecclesiastica obscurius occurrat magísque implexum; & faciliùs exitum in Labyrintho invenias, quàm in tot canonibus, decretísque Conciliorum aliter semper alitérque statuentium: facem igitur præferam, quantúmque licuerit claritatem huic nocti affundam.

Jus ergo Regaliæ ex quatuor juribus conflatum est, ex *jure videligendi*, *jure investiendi*; *jure conferendi beneficia Sede Episcopali vacante*; ac tandem *jure proventûs fructûsque, dum nova electio expectatur, percipiendi*: hoc ultimum *temporalem Regaliam* vocant; alia ad Regaliam spiritualem pertinent. De omnibus sigillatim agendum est, sic enim res tota clariùs sub aspectum cadet.

Eligendi ad cathedras Episcopales non eadem semper ratio, sed varia, & multiplex observata est; nec mirum; cùm enim ritus eligendi nullo divino aut naturali jure sancitus sit, sed ex voluntate hominum pendeat, sicut alia humana jura, ita & hoc mutari debuit, novis videlicèt hominum moribus, novas leges exposcentibus; nec enim minùs ridendus est, qui eandem legem omni tempori, quàm qui eandem vestem aptandam velit. Initio Ecclesiæ nascentis, & multò post tempore non Episcopi tantùm, sed etiam populus eligendo Pastori admittebatur. Id tam clarum est, ut negari possit à nemine; ita enim expressè testantur S. Clemens Papa in *epistola, quam ex manuscripto codice Junius Patricius vulgavit*, ubi dicit, sic ab Apostolis constitutum esse: S. Cyprianus *epist. 68.* Origenes *homil. 6. in Levit.* & videri possunt varii de hac re canones apud Grat. *d. 63.* Sic Anno CCCXXVI. Athanasius postulante omni populo electus est: Sic Anno CCCLXIX. Basilius: Sic Anno CCCLXXIV. Ambrosius; Sic quamplurimi alii, quorum electiones in Annalibus Ecclesiasticis videre est. (a) Ratio

(a) Vide Cabassutium ad can. 4. Concilii Nic. fol. 109.

verò ob quam eligendis Episcopis populus admittebatur præcipua fuit, ne Pastor invitis, & nolentibus datus, parùm reverentiæ & amoris haberet, nec enim amamus, quæ non eligimus: deinde quia electio ad Episcopatum vices Matrimonii spiritualis refert, Matrimonium verò cum invitis non est. Ceterùm cùm ad electiones, & Clerus, & Populus convenirent, aliæ tunc Cleri, aliæ populi vices erant. Populus enim propriè non eligebat, nec ejus suffragium necessitatem inducebat, ùt habetur in can. 13. *Concilii Laodiceni*, (quod auctore Baronio Niceno antiquius est) *c. non est permittendum. d. 63. epistolâ Leonis 1. ad Episcopos Viennensis Provinciæ in c. Vota d. 63.* & idem Leo *epist. 90. in c. 1. d. 62.* & Stephanus Papa *epist. ad Archiep. Ravennatem in c. nôsse. d. 63.* S. Basilius *epist. 64. & epist. 75. ad Neocæsarienses.* Concilium Antiochenum (quod celebratum est Anno CCCXXXXI.) *can. 18.* Concilium Oecumenicum 7. alias Nicænum 2. An. DCCLXXXVII. celebratum. *canon. 3.* allegans canonem 4. Concilii Nicæni primi, in quem canonem Theodorus Balsamon, & Zonaras affirmant post Concilium Nicænum 1. consensum populi non amplius necessarium fuisse, sed totum eligendi jus ad Episcopos translatum esse. Cùm ergo in allegatis auctoritatibus expresè *inter electionem & petitionem distinguatur, & hanc populi, illam Episcoporum esse dicatur, oportere illum à civibus recipi, quem Episcopi elegissent: Si populus à Clero electum temere recuset, non ideò electionem irritam esse: solos Episcopos eligere, &c.* ex his, inquam, aliisque palam est, consensum popularem, nec propriè electivum fuisse, nec semper necessarium. In electionibus ergo futuri Pastoris populus aut optabat tantùm petebátque, aut testimonium de vita & moribus eligendi ferebat exemplo non præcepto Apostolorum *1. ad Tim. 3. Act. 1. & 6.* aut tantùm consulebatur: aut factâ electione populi consensus expetebatur, non quia necessarius, sed ne invitis Pastor obtruderetur. (a)

Advertit verò Baronius ad Annum CCCLXIX. tunc postulationem populi pro legitima habitam esse, cùm suffragia ordinatè per Artificum sodalitia, & Nobilium familias inibantur, non verò si confusè turba conclamaret. Sic ergo populus optabat potiùs, quàm eligebat,

Alia ratio Clericorum, & Episcoporum Provincialium fuit, qui verè

(a) Quæ omnia probantur ex c. 1. d. 62. c. nôsse d. 63. c. vota. d. 63. Cypr. epist. 33. Athanas. aliisque supra cit.

verè eligebant. De his ita ſtatutum fuerat, ut cathedrâ Epiſcopali vacante Metropolitanus Synodum Provincialem in Civitatem, cui Epiſcopus præficiendus erat, indiceret, ibique Epiſcopus à Clero eligeretur, populo conſenſum, aut teſtimonium dante. Oportebat verò Epiſcopos aut omnes convenire, aut ſi non poſſent, tres ſaltem unà cum Metropolitano; reliquis, qui aberant, ſcripto ſaltem ſuffragium dantibus, aliter facta electio pro nullo habebatur. (a) Cùm verò tempus, & experientia docuiſſent, magno Eccleſiarum damno, Synodos Provinciales expectari, (quæ nec facilè, nec citò cogebantur,) & electiones differri, Synodi Provinciales auctoritate ſummorum PP. omitti cœptæ, Clero (optante tamen populo) poteſtas eligendi data, à quibus decretum factæ electionis Metropolitano transmittebatur, & hic causâ maturè diſcuſsâ electionem aut admittebat, aut reſcindebat. (b) Petrum de Marca Archiep. Pariſ. de Concord. Sacerdotii, &c. *lib. 8. c. 8. n. 6.* Erat etiam Metropolitani officium, vacanti Eccleſiæ Epiſcopum, quem *Viſitatorem*, aut *Interventorem* vocabant, ſubmittere, qui electionem promoveret, curarétque partium ſtudiis, & diſcordiis longè ſubmotis ſuffragia liberè conferri, eo fere modo, quo apud Athenienſes populariſus ſuffragiis proëdri præponebantur, *teſte Julio Polluce lib. 8. de Officio Intervenientorum* (a)

Cœpit paulatim etiam populus ab electionibus removeri, ùt patet ex legibus à Juſtiniano latis *L. 42. C. de Epiſcop. & Novellâ 123. cap. 1. & 137. cap. 2.* ubi ſtatuitur, ut Clerici & primates tres nominent, & exiſtis unum Metropolitanus eligat: tandem omnis ad electionem acceſſus partim conſuetudine, partim latis Canonibus populo prohibitus eſt, ùt patet ex *cap. 51. de elect. cap. 2. de Judic.* cùm enim modus eligendi ſit juris merè humani, mutari pro neceſſitate potuit. Apoſtoli quidē electiones non ſoli, ſed corā tota congregatione inſtituebant, *ùt habetur in Act. c. 1. 6. 13.* & ideo S. Cyprianus *Epiſt. 68.* ſcribit, traditione divinâ, & Apoſtolicâ obſervatione indictum eſſe, ut Epiſcopi coram plebe eligerentur, non quòd hoc juris & præcepti divini Apoſtolici fuerit, (nec enim quidquid Apoſtoli obſervabant, jus & præceptum erat,) ſed quod moris & exempli. Ratio verò populum excludendi multiplex fuit; quòd videlicèt aucto fidelium numero convocari ſine gravi difficultate,

(a) Vide paſſim d. 63. & Concil. Sardic. can. 5. Laodicen. can. 13. Nicæn. c. 4. & 6. Antiochen. c. 19. (b) Vide epiſt. Leonis PP. apud Grat. c. 36. & c. 27. d. 63. & c. 1. d. 62. (c) Vide S. Greg. l. 11. Reg. ep. 19.

& tumultu vix posset ; quòd discordiis ac partium studiis usque ad rixas, & bellum cædesque scinderetur : quòd affectu pletúmque & favore non merito vota conferret : quòd potentiorum, qui Episcopatus aut sibi, aut suis, affectabant, metu & præmiis facilè vinceretur, nec tam eligeret, quàm venderet ; quòd invitos ad dignitates compelleret : quòd unius Ecclesiæ Episcopos ad aliam vocaret, *ut habetur in c. Osius. 2. de Elect.* & denique, ùt dicitur *l. ad bestias. 31. ff. de pœn. l. Decurionum. 12. §. 1. C. eod.* quòd judicium vulgi inconstans sit & varium, & ideò vanæ voces populi non sint audiendæ.

Principes quod attinet, res sic se habet. Negari haud potest, jam primis Ecclesiæ annis, cùm pace fidelibus redditâ, & Constantino rerum potito, illa suis legibus vivebat, gravissimè vetitum esse, ne Episcopi fierent, qui non à Clero electi, à populis expetiti, solâ Principum voluntate promovebantur. Sic expressè habetur inter canones Apostolicos *c. 29. (aliàs 31.) & can. 3. Concilii Nic. 2.* quod etiam canonem Apostolorum adducit : *& act. ult. Concilii Constantinopolit. 4. & octavi Oecumenici*, in quo monita sunt cedro æternáque memoriâ digna, quæ à Basilio Augusto sunt ad Patres Concilii & Laicos perorata. (a) Non ideò tamen Principum consensus negligebatur, cùm in quamplurimis Episcoporum electionibus videre sit Principis nutum expetitum esse, idque aut diuturnâ consuetudine, aut honestate, aut etiam aliquo jure inductum est ; cùm enim sacri canones ex populorum votis Episcopos eligi vellent, quantò magis ex voto Principis, qui caput & apex est Reipublicæ ? Sic Joannes Chrysostomus ex voluntate Arcadii Imp. Epiphanius ex Justini, Menas ex Justiniani, Nicetius Episcopus Lugdun. ex Regum Francorum ; sic denique quamplurimi alii ex aliorum Principum assensu nutúque electi sunt. Immo cùm magna necessitas, aut metus civilium discordiarum premeret, Episcopi jus eligendi ipsis Imperatoribus demandabant, & istorum præcepto tota electio stabat. Exempla sunt illustria in Nectario, Proclo Patriarchis Constantinopolitanis, Imperio Theodosiorum electis. (b) Elegans etiam hujus rei exemplum est apud Theodoricum *l. 4. c. 6.* Baron. *ad Annum CCCLXXIV.* ubi cùm Auxentio Episcopo Mediolanensi è vivis sublato, ingentes futu-

(a) Vide Spondanum Anno DCCCLXIX. n. 9. ræ dis-

(b) Vide Sozom. l. 7. c. 8. Socr. lib. 5. c. 8. & l. 7. c. 29. & l. 7. c. 30.

ræ dissensiones prævidérentur, Arianis & Catholicis pro novo Antistite pugnaturis, Episcopi Orthodoxi Valentiniano Imperatori hanc provinciam eligendi Pastoris imponunt, illius Majestatem & potentiam Arianis objecturi, quam tamen modestissimè Augustus recusavit. Imò in hoc ipso necessitatis publicique periculi casu etiam Romanum Pontificem multi Imperatorum elegerunt, maximè cùm schisma votis certantibus Ecclesiæ imminebat, néque tunc proprio jure Imperatores, sed delegato utebantur, & nomine ac voto Cleri populíque; sic à Valentiniano cum Damaso in schismate Ursicini: ab Honorio cum Bonifacio in schismate Eulalii: sic cum aliis Pontificibus factum: supra etiam notavimus, mortuo Auxentio Episcopo Mediolanensi, cùm ab Arianis schisma timeretur, partes eligendi ab Episcopis Orthodoxis Valentiniano Imperatori esse impositas. Immo in Concilio Lugdun. 2. Imperatoribus aliísque Principibus sæcularibus potestas à Pontifice & Concilio demandatur curandi, ut quæ de summo Pontifice deligendo statuta sunt, exeeutioni dentur. (a) Cùm ergo Principes sæculates avertendo schismati, extremæque Ecclesiarum calamitati electionibus Pontificum aliorúmque Antistitum se immiscebant, jure non proprio utebuntur, sed à Clericis delegato, immo ab ipsa natura, quæ in tali casu Principibus, tamquam Advocatis & Protectoribus Ecclesiæ jus eam defendendi permittit. Illud verum est, intra limites Principes non stetisse, sed ultra provectos esse, necessitate in moram conversâ. Id verò manifestè ut appareat, rem totam à suis principiis, & per annos singulos repetemus, est enim maximi momenti, & quam vix ab aliquo rite pertractatam invenies. Ergo

Anno CCCLV. Primus Constantius Imperator Arianus, quod ne ab Ethnicis quidem tentatum fuerat, Liberio in exilium pulso, Felicem II. Cathedræ Romanæ imponit.

Anno DXXVI. Theodoricus Italiæ Rex æquè Arianus, Constantii exemplum imitatus, Felicem IV. Pontificem jubet, & paulo post qui triginta tres annos felicissimè regnaverat, in præmium usurpatæ, præter alia scelera, potestatis miserrimè extinguitur.

Anno DXXXIII. Athalaricus Italiæ Rex non contentus electio-

(a) Vid. c. ubi 3. de elect. in 6. §. præterea.

electionum confirmationes sibi vendicare, certam insuper pecuniæ vim Pontifici Rom. aliisque suæ ditionis Episcopis imponit.

Anno DLV. Justiniani Imperatoris non assensu tantùm, sed etiam promotione extincto Vigilio, Pelagius Pontificatu donatur, & deinceps exemplo ab Arianis ducto, pecunia electis Pontificibus imperatur, non aliter confirmationem obtenturis. Adeò cupiditas lucri ne piissimo quidem Principi pepercit. Doluit vehementer hanc Romanæ Ecclesiæ miseram conditionem Gregorius M. *dirósque persecutores ac regio nomine indignos* appellavit, qui hæc molirentur, ut videre est in *Psalm. 4. pœnit.* & tamen cùm alium Pontificatum evadendi aditum non haberet, Mauritio Imperatori idem Gregorius supplicat, ne sui electionem à Clero populóque factam admittat: quod cùm non impetraret, pecuniam solvit, & caput infulæ submisit. (a) Interim dum ab Imperatore consensus expectabatur, electus Papa officio abstinebat, & Ecclesia à quattuor Vicariis, inter quos electus, curabatur. (b)

Anno DCLXXXI. Constantinus Pogonatus dato ex Concilio 6. Oecumenico ad Agathonem Papam diplomate remittit, pecuniam hactenus pro confirmatione solvi solitam, salvo tamen jure confirmandi.

Anno DCLXXXIV. Idem Constantinus Benedicto II. necessitatem petendæ Constantinopoli confirmationis remittit, sic tamen, ut confirmatio ab Exarchis, qui nomine Imperatorum Italiam gubernabant, peteretur. Id videtur testari Anastasius in vita Cononis Papæ, qui post Benedictum II. Anno 686. electus est; Baronius tamen repugnat ad *Annum 686.*

Anno DCCLXXIV. Adrianum I. Carolo M. jus tradidisse eligendi Papam omnésque Episcopos investiendi, scribit Sigebertus Monachus Gemblacensis in Chronico, qui post Annos CCCXXXVIII. scripsit; recitat hoc privilegium Carolo concessum Gratianus in *c. Hadrianus 22. d. 63.* Verùm præter Baronium & Spondanum ad Annum DCCLXXIV. Sigebertum egregiè confutat Petrus de Marca Archiep. Paris. *l. 8. c. 12.* Sed quidquid de veritate hujus privilegii sit, certum videtur, aut à Carolo non acceptatum, aut renuntiatum illi fuisse, cùm ex testimonio Flori Magistri Carolo contemporanei, quém-

(a) Vide Gregor. Turon. l. 10. c. 1. & Joan. in Vita Gregor. l. 1. c. 39.
(b) Vide Bedam 2. hist. Anglic. 19. Baron. ad Annum 590. & 650.

quemque Walafridus in carm. ad Agobardum Archiepisc. Lugdun. magnis laudibus affecit, constet, sine ullo Principis consensu Papam tunc temporis eligi solitum. Verba Flori sunt in fragmento de elect. ex editione Papirii Massoni aqud Balluzium in notis ad Agobardum *p.152.* operâ Agobardi. fol.414. Petrum de Marca *cit.n.4.* Spondanum *ad Annum DCCCXIII. In Romana Ecclesia usq; ad præsentem diem cernimus absq; interrogatione Principis solo dispositionis Divinæ judicio, & fidelium suffragio legitimè Pontifices consecrari.* Ipse Carolus tantùm abest, ut sibi electiones Episcoporum adscripserit, ut potius publico diplomate eas liberas, & ex canonum præscripto à Clericis fieri decreverit, út expressè habent capitularia Caroli, & Ludovici Imp. *lib.1.c.84.* & *c.sacrorum canonum 34. d.53.* Lupus Ferrar. *in epist.81.* (hic ex Monacho Benedictino in aulam Ludovici Pii Imp. translatus fuerat.) Totum jus Episcopos nominandi Imperatoribus, & Regibus Franciæ non ex privilegio Hadriani, sed Zachariæ Pontificis ob temporum calamitatem, quibus Laici palam passimque Episcopatus involab nt, unicè derivat, nullâ factâ mentione hujus privilegii ab Hadriano concessi, quod utique nunquam omisisset, utpote & recentius, & amplius. Ipse Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Anno DCCLXXXIV. data Episcoporum in Regno Longobardico electiones à Clero populoque factas solus confirmat, & de Ecclesiâ Ravennate idem manifestè apparet ex epistola ejusdem Hadriani Anno DCCLXXXVII. ad Carolum scripta. Ex quibus omnibus palam est, privilegium illud à Sigeberto consignatum, aut fictum, & nunquam Carolo concessum esse, aut nunquam acceptatum; fatetur etiam Maymburg. *l.10. de l' Arianisme f.155.* Hincmarus tamen Episcopus Rhemensis epistolâ ad Carolum Calvum, Florus in Frag. cit. de Electionibus, Spondanus ad Annum DCCCXIII. n.7. fatentur, consensum Regium in electionibus Episcoporum consuetudine inductum, & necessarium fuisse, mittique Visitatorem à Principibus solitum, qui curaret in electionibus omnia canonicè peragi, idque tunc temporis necessarium omnino fuit, competentium ambitione omnia vi, metu, ac largitionibus miscente, ex qua ipsa causa executio eorum quæ pro electione Pontificum statuta sunt, Principibus sæcularibus committitur, in Concilio Lugdunensi 2. in *c.3. de elem. in 6.* sed de electionibus Episcoporum postea.

Anno DCCCXVII. Ludovicus Pius Imperator in celeber-

rimo & frequentissimo Conventu Aquisgrani electionem Romani Pontificis libertimam reddit, eximitque ab omni consensu Imperatorum aut Præfectorum; nam antea Græcis imperantibus consensus ab Exarchis petebatur (eâ solùm conditione, ut à Clero populoque peracta electione Legati ad Imperatorem mitterentur, qui nomine electi Pontificis inter hunc, & Imperatorem *amicitiam & charitatem* (verba sunt Ludovici) *ac pacem sociarent*... (a)

Anno DCCCXXIV. Lotharius Ludov. Imperatoris filius Romam proficiscitur, schisma ob electionem Eugenii II. natum componit, & nequis electioni Romani Pontificis interesset præter eos, quos sacri canones admittunt, edicto vetat. (b)

Anno DCCCXLVII. Leo IV. Pontifex renuntiatur, & Privilegium liberæ electionis à Lothario Imperatore iterum confirmatum est, Leone reciprocè obstricto, ut legibus imperalibus, cùm temporalia negotia agitarentur, uteretur. (c)

Anno DCCCXCVII. Stephanus VII. potentiâ Marchionum Tusciæ solio imponitur. Hi mole Hadriani potiti, divitiis, armis, & clientelis præpotentes, electiones Pontificum sibi per nefas vindicârunt. Nihil corruptis fictisque illis Pontificibus fœdius visum, qui hoc tempore Vaticanum insedêre. Alii pecuniâ promoti, alii vix puritiam egressi, alii per mutuas cædes, alii, quod supra pudorem & fidem est, meretricis arbitrio omnia Romæ potentiâ & libidine miscentis: & tamen inter tot vitia, causasque Romanos Pontifices aversandi, nullum tunc schisma in Ecclesia visum, omnibus in Vicario etiam indigno Christum adorantibus. Joannes enim X. à Marozia nobili, & præpotente scorto intrusus, & tamen à Clero, Populoque, majoris mali, & schismatis metu pro legitimo Papa receptus, (quod etiam in aliis intrusis observatum) Berengarium Imperatorem coronat, ab Archiepiscopo Hamburgensi rogatus pallium mittit, ab Ordonio Rege Legionensi splendidâ Legatione honoratur; Legationem ab Orientalibus expetitam pro ineunda concordia Constantinopolim mittit; confirmat electionem Archiepiscopi Rhemensis, &c. Sic iterum Joannes XI. quamvis à scorto Marozia natus, intrususque, & deinde à Clero, & Populo communi consensu receptus, nihilominus Theophylacti Patri-

(a) Vide lib. 1. Capitularium cap. 84. &c. ego Ludov. 30. d. 63. §. quando.
(b) Vide Sigon. de reb. Italiæ ad ann. 825. Gretsch. c. 11. Apolog.
(c) Vide c. 31. d. 63. & c. 9. d. 10.

Patriarchæ Constantinopolitani electionem confirmat, eidemque ac successori jus Pallii in perpetuum concedit, & à tota Orientali Ecclesia semper alias in schisma præcipiti, pro capite, summoque pastore agnoscitur. Ex quibus facilè intelligas verissimè à B. Leone dictum esse: *Petri Vicarium dignitatem etiamnum in indigno hærede non deficere*: alius quippe est honor qui personæ, alius qui officio debetur, hunc dignitati, illum virtuti dicamus.

Anno DCCCCLXII. Otto Magnus Romam intrat, Pontifici Romano, quæ ab Imperatoribus donata, à tyrannis verò ablata fuerant, restituit, sancitque, ut electio Romani Pontificis canonicè deinceps fiat, idque Clerus, & universa Nobilitas se facturam juramento promittat, nec ante electus Papa consecretur, quàm Legati ab Imperatore adveniant. Extorsit hanc legem tot jam annos cum ingenti totius Ecclesiæ scandalo, grassata tyrannorum potentia, Romanam Sedem opprimentium. (a)

Anno DCCCCLXIII. Otto M. Joannem XII. quòd Adalberto Berengarii filio studeret, urbe pellit, & Romanos juramento adstringit, numquam præter voluntatem Imperatoris Papam electuros.

Anno DCCCLXIV. Leo VIII. Othoni Imperatori jus Pontifices, aliosque Episcopos eligendi, & investiendi donat, ùt habetur *inc. 23. d. 63.* Synodalis hæc Leonis Constitutio extat apud Cranzium Metrop. Saxon. *l. 4. c. 20.* Sed multis ex capitibus falsi postulatur, quòd videlicèt data habeatur tertio Calend. Maji; cùm tamen ex Reginone illius temporis scriptore constet, Othonem expugnatâ Româ non Calend. Julii in ipsâ Vigilia S. Joannis Baptistæ urbem ingressum esse, & synodo Lateranensi adfuisse: quòd ponatur annus Othonis & Leonis secundus, cùm tamen Othonis tertius, & Leonis primus fuerit: quòd Episcopi, qui subscribunt, alii sunt ab iis omnibus, qui anno Superiori easdem Ecclesias regebant, & in synodo Rom. Joannem XII. exauctorarunt: oportet ergo intra eund. annum repentinâ morte omnes sublatos esse: & si hoc fingas, constat Joannem Episcopum Narniensem posteà in Pontificem electum esse, retento nomine Joannis XIII. quomodo igitur Martinus Episcopus Narniensis in hac synodo subscribit, vivente adhuc Joanne ejus-

(a) Vide Baron. ad hunc ann. & Gretsch. c. 20. Apolog. & c. 32. d. 63. cum seq.

dem sedis Antistite. Plura addit Baronius *adhunc annum*. Sed quidquid de veritate hujus privilegii sit, valere ex eo saltem capite non potuit, quod non à legitimo, sed Pseudopapa concessum. Leo enim viventibus adhuc Joanni XII. & postea Benedicto V. legitimis, verisque Pontificibus suppositus est, ob quam causam Dithmarus Episcopus Marseburg. ejus temporis nobilissimus scriptor *lib. 2. Chron.* testatur, exercitum Imperatoris sævissimâ peste, cum ingenti procerum & Antistitum clade; deletum esse; & hoc forsan causa fuit, ut Ottonum sanguis & familia in tertio hærede deficeret, nec ultra 65. Annos rerum & imperii potita sit, quamquam æterna credi debuisset, magnitudinem rerum, quæ ab Ottone M. gestæ sunt, æstimantibus.

Anno M.XIV. Henricus I. Imperator dato regio, ex omnium statuum consensu, diplomate, liberam electionem Clero, populoque Romano restituit, reservatis tamen juribus sibi ab Eugenio, Leone, aliisque Pontificibus datis. *V. c. 32. d. 63.*

Anno M.XXXXVI. Henricus II. cum exercitu in Italiam venit, indictaque synodo Gregorium VI. metu schismatis renuntiare cogit, cui suffectus omnium Romanorum consensu Clemens II. Gregorio inter alia crimini datum, quod nullo Henrici suffragio electus esset.

Anno M.LIX. Nicolaus Papa II. Henrico III. Imperatori in schismatis extincti præmium jus confirmandi Pontificis, jam à Cardinalibus electi concedit, quòd si contingeret Cardinales aut factionibus aut tyrannorum potentiâ, aut aliàs impediri, ut ipsemet Imperator, ejusque Successores, Cleri & Cardinalium nomine, Pastorem Ecclesiæ darent. *V. c. in nomine Domini d. 23.*

Anno M.LXI. Totius Cleri, Populique Romani consensu Alexander II. eligitur. Hinc ab Henrico IV. schisma, qui Cadaloum Antipapam Alexandro sufficit; nec enim Pontificem eligi potuisse dicebat, Imperatore aut ignaro, aut invito. Diu schismate conflictata est Ecclesia, sed vicit totius orbis Christiani sententia, Alexandrum pro legitimo Pastore venerantis. Conquerenti Annoni Archiepiscopo Colonienſi in Concilio Mantuano, quòd absque mandato, assensuque regio Alexander evectus esset, responsum ab Hildebrando Archidiacono, aliisque Cardinalibus; nullum Imperatoribus in electiones Pontificum jus ei-

jus esse, sacris Canonibus id expresè vetantibus. Vide (a)

Anno M. LXXIII. Eligitur Gregorius VII. qui qualis, quantusque fuerit, non ex virtutibus, non ex vitæ innocentia, non ex miraculis, non ex historicis illorum temporum, sed ex testimonio Henrici IV. implacabilis Gregorii hostis desumptum velim. Gregorius ut primùm electus est, statim ad Imperatorem misit, qui electionem significarent, rogarentque, ne in illam consentiret. Imperator Gregorio rescribit, electionem ipsius in Romanum Pontificem cælitus esse factam, neminem illo Pontificatu digniorem esse: non posse improbari à se, quod Deus comprobâsset: eum Patrem & Benefactorem vocat; ab eo suorum peccatorum veniam petit, & denique totam epistolam elogiis implet, quam reperies inter epistolas Gregorii VII. *lib. 1. post epist 29.* (b) Hic ergo est ille Gregorius, quo nemo infractiùs contra Reges, & Imperatores causam & libertatem Ecclesiæ sustinuit, adeò ut dubitari de nimio rigore posset, nisi cœlo teste absolutus esset. (c)

Anno MC. XIX. Callistus II. in synodo Rhemensi, (cui 426. Patres & Ludovicus Crassus Rex Francorum adfuit:) ex omnium Patrum voto jus investiturarum Laicis, & Principibus interdicit, & Henricum Imperatorem anathemate ferit, quadringentis viginti sex facibus simul extinctis, quas Patres manu gestabant. Verba Canonis sunt: *Investituram Episcopatuum, & Abbatiarum, aut quarumlibet Ecclesiasticarum possessionum per manum Laicam fieri penitus prohibemus.*

Anno M.C. XXII. Romæ generale Concilium, & supra trecentos Episcopos frequens in Laterano habitum, ubi tandem Henricus Imperator ad officium rediit, absolutusque est; libertas electionum Episcopalium, & præsertim Pontificia, post certamina tot annorum, reddita; investituræ quoad spiritualia abolitæ, & pax tandem reducta. Laus tanti operis, & à quingentis annis agitati Calisto II. Pontifici Max. debita. Ab hoc tempore pax inter Sacerdotium Regnumque sancita, & jacta illius altissimæ quietis fundamenta, quâ Romani Pontifices modo fruuntur. Electiones Episcoporum extra Germaniam, præsertim verò summorum Pontificum, ab omni Principum assensu exemptæ, in Germania Clero quidem

(a) Acta Concilii Mantu. & Baron. ad annum 1064. (b) Vide etiam vitam Greg. & Maymb. l. 2. de la decadenz. fol. 227. (c) V. Leon. Ostiens. l. 3. c. 53.

permissæ, sed tamen præsente Imperatore, ejusve Legatis, eâque conditione, ut à Clero electi ab Imperatore per sceptrum Regalia & feuda postea reciperent. Eventus ergo docuit, quæ pro Ecclesiarum libertate contra Imperatores Gregorius VII. tanto ardore molitus est, prudentiæ non temeritatis fuisse; nec enim vicisset Ecclesia, si Gregorius non pugnasset, hujus belli, curisque tantum gloriæ & triumphi paratum est. (a) Ratio ob quam Principes ab electione Romani Pontificis excluſi, varia fuit; quòd pecunia, non merita, spectabantur: nec enim Imperatores tot aliis curis belli domique impliciti, merita eligendorum aut cognoscebant aut curabant; quod illi præferrentur, qui Aulam sequebantur, & plus gratiâ aut comendatione apud Principem valebant: quid verò absurdius, quàm in aula castrisque Papatum mereri? quòd Principis voluntas non tam votum, quàm imperium esset, & ita libertas eligendi calcaretur contra Imperatoris placitum nemine aussuro; nam si auderet, Principis offendendi metus erat, nec metus tantùm, sed parata etiam vindicta: quòd Imperatores Cleri consensu non starent, sed omnium approbatione electis, alios Pseudopontifices opponerent, sicque civili bello in Ecclesiam grassante, omnia sacra & profana, cæde sacrilego fædarentur: quòd cùm forma electionis sit humani juris, & experientia docuisset, exspectato Principis assensu, Ecclesiam miserimè conflictari, supremi Pastoris officium & cura fuit, electionis formam mutare, & malo aliàs immedicabili remedium afferre: quod denique & Patrum & Imperatorum decretis sancitum sit, abusu privilegia amitti; maximè cùm Principes non tam hoc privilegio exuti sint, quàm sponte abstinuerint, eique non solùm in Conciliis Rhemensi, & Lateranensi, sed etiam in comitiis generalibus Wormatiæ habitis renuntiaverint, communi Henrici IV. omniumque Imperii statuum consensu, ùt videre est locis suprà citatis. Istud etiam in hoc argumento memoria & notatu dignum est, omnes ferè Imperatores Regesque, quotquot jura electionis Romanæ turbârunt, aut infelici morte extinctos, aut aliàs præsenti supplicio pœnas dedisse. Constantius spectris, umbrisque mortuorum ante oculos errantibus, & mæstitiâ diu confectus, & à Genio Tutelari quem discedentem vidit, desertus, corpore tandem instar

(a) Vide T. X. Concilior. Edit. Paris. Siggerum in Ludov. V. Abbat. Ursperg. Baron. Spondan. ad hunc annum; & Maymburg. de la cadenz. lib. 4. d. 399.

instar foculi ardente, quo tangentium quoque manus urebantur, in febri extinguitur. Idem fere Theodorico Regi finis. Athalaricum Regem in ipso juventutis flore, sextum decimum ætatis annum agentem morbus absumpsit. Justinianum priùs in hæresin lapsum, & immortalitatem sibi promittentem, in ipso persecutionis impetu, quam Orthodoxis parabat, mors improvise occupavit. Ottonis Magni posteritas variis cladibus afflicta est, & in primo nepote deleta. Henricus II. intempestivâ morte anno ætatis nono supra tricesimum excessit: diu inter dæmonum manus colluctatus, ejus animam expetentium, vix tandem precibus B. Laurentii, quem eximiè coluerat, subtractus periculo est. (a) Henricus IV. à filio perduelli diuturnum carcerem passus, imperio exutus, in exilium actus, mortem quotidie à veneno & ferro ante oculos oberrantem cernens, Leodii tandem vitam infelicem absolvit: Anonymus tamen apud Abbatem Urspergensem ante exitum pœnituisse tradit, acceptâque factorum veniâ cum Ecclesia in gratiam rediisse, sacrumque epulum libâsse. (b) Henricus V. continuis fere bellis afflictus, diris percussus, tandem, nullo masculo hærede relicto defungitur, & ita imperium ab Alemannis ad Saxones transit, Lothario II. Saxoniæ Duce à Proceribus electo.

Anno MCC.LXXIV. Concilium Lugdunense II. à Gregorio X. celebratum, in quo totum jus Pontificem Romanum eligendi solis Cardinalibus, exclusis non tantùm Principibus, sed etiam populo, collatum. (c) Sciendum enim est, fuisse longissimo usu receptum, ut electionem Romani Pontificis votum & optio Romani populi præcederet; quod expresè S. Cyprianus testatur *epist. 4. & epist 52.* & videre est in omnibus fere summorum Pontificum antiquis electionibus, idque exemplo Eleazari, quem Deus coram universo populo consecrari Pontificem jubet; & Apostolorum *Actorum 1. & 6.* Quimos diutissimè observatus est, ut apparet in electione Alexandri III. qui Anno MCLIX. Pontifex communi Clericorum, populique voto renuntiatus est. Imperitè, sedmore suo, Novatores ab exemplo Apostolorum, utrique Ecclesiæ, divinum præceptum deducunt: nec enim aut Christi aut Apostolorum exempla in præceptis sunt, alioquin quàm multa

(a) Vide Baron. & Spondan. ad Annum M.LVI. (b) Vide etiam Maymb. de la decad. l. 4. f. 352. (c) V. c. ubi 3. de elect. in 6. §. præt. & §. ceterum.

multa præcepta ipsi offenderent? usus Ecclesiæ in iis, quæ ad fidem non pertinent, mutari potest, debetque, ùt necessitas exigit, præsertim auctoritate Ecclesiæ: & mirum est à Novatoribus usum, moremque fidelium allegari, & pro præcepto urgeri, cùm ipsi nullis Ecclesiæ præceptis, nullaque traditione stringi velint. (a) Ubi docet in iis, quæ ad fidem non pertinent, sed ad solos mores, penes Ecclesiæ arbitrium esse, ut alias & alias leges statuat, & antiquis abolitis novas substituat: cùm enim leges humanæ moribus, temporibus, utilitati, aliisque circumstantiis aptari debeant; sicuti ista mutantur, ita & leges mutari oportet, alioquin quæ prius salubres, postea rebus mutatis noxiæ evadent; nam & medicus, mutatis in corpore humano morbis, mutabit medicinas, numquam eodem remedio contrariis malis profuturo; quod nisi faciat, non tam curabit, quam perdet, & quæ prius fomenta, postea venena fient; & hæc est illa serpentis prudentia nobis à Christo in Evangeliis commendata: verno enim tempore appetente, hausto fæniculi succo, senectam & antiquitatem exuit, & in novam membranam transit; sic prudens, cum tempus & res poscunt, non dubitabit antiquis legibus novas supponere.

Ex hactenus de Romanorum Pontificum electione dictis, facilè conjicias, quæ Episcopalium electionum conditio fuerit; quis enim dubitet Principes sæculares, qui tantum sibi juris in Papam sumebant, multò plus in Episcopos sumpsisse? ergo vix aliquas in Germania, Gallia, Hispania, electiones Antistitum reperias, quæ non ex Principum aut consensu, aut voto, aut imperio fierent, quamvis ut suprà notatum, id graviter Canones prohiberent, cùm Principum voluntas pro imperio esset, imperium verò pro necessitate, sicque electionum libertas pessum ibat. Vide multa exempla electionum regio consensu aut imperio factarum apud Gregorium Turonensem. (b) Huic malo ut Concilium Parisiense III. mederetur, edidit Anno DVII. can. 7. quo vetabantur electiones regio imperio violari, & à Rege electi omnino sacerdotiis arcebantur: Anno tamen DXLIX. Concilium Aurelianense V. licèt can. 11. electiones Episcoporum solis Clericis, & populo concedat, vetetque, ne Principes ad *consensum faciendum*

(a) Vide S. Augustin. l. 2. de Baptism. contra Donatistas. c. 3. & 9.
(b) lib. 4 c. 7. & 11. & c. 15. & l. 5. c. 47. & l. 6. c. 39. & l. 3. c. 1. & l. 8. c. 23.

dum (verba sunt Concilii) *cives aut Clericos, quod dici est nefas, inclinent:* canon tamen 10. approbationem electionis Regiæ voluntati permittit. Idem in Concilio V. Parisiensi Anno DCXV. & edicto Regis Clotarii confirmatum, sícque consuetudo in jus & legem versa. Idem quoque jus Regibus Hispaniæ (nam Gothorum Reges nominationem Episcoporum jam olim sibi vendicaverant) in Concilio Toletano XII. can. 6. aut collatum, aut confirmatum est Anno DCLXXXI. habetur is canon apud Gratianum *can. 25. d. 63.* Videntur Reges Galliæ Hispaniæque exemplum à Græcis Imperatoribus accepisse, qui multùm in Electionibus Patriarcharum, aliorúmque Episcoporum sibi tribuebant, & exempla, historiam Ecclesiasticam legentibus, passim occurrunt. Septimo sæculo labente Martellus rerum in Francia potitus, unà cum aliis juribus Ecclesiasticis etiam electiones sibi adscripsit; maximè Clericorum palatinorum, ùt videre est apud Lupum Ferrat. *epist. 81. 98. & 99.* Quæ res & Martello fatalis fuit, & Ecclesiæ, tantâ rerum omnium inductâ confusione, tantâ morum corruptelâ, ut Episcopatibus laici fruerentur, teste S. Bonifacio *epist. ad Zachariam Papam,* & Hadriano I. *in privilegio Ecclesiæ Rhemensi dato apud Flodoard.* Huic malo ut mederetur Zacharias Papa, Pipino Francorum Regi privilegium dedit, ad omnes Regni vacantes Ecclesias, Episcopos nominandi. Id expressè testatur Lupus Abbas Monasterii Ferrariensis apud Senonas in Galliis in epist. ad Amulum Archiepiscopum Lugdunensem: est verò epistola 81. additque causam concessionis, *propter temporis acerbitatem*: testatur etiam Johannes X. PP. epistolâ ad Herimannum Colonienſem Anno DCCCCXXI. ubi, *sicut priores suos Antecessores, nostrorum Antecessorum auctoritate, Episcopum per unamquámq; parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Carolus Rex faciat ordinando statuimus.* Fatetur etiam Maymburg histor. Iconoclast. *f. 259 l. 2.* & præsertim Florus cognomento Magister, Diaconus Ecclesiæ Lugdun. omnium ore laudatissimus: hic in fragmento de electione (quod circa annum DCCCXX. scripsit, ediditque post Papirum Massonũ Stephanus Balluzius, & habetur ad calcem operum S. Agobardi) *omnium,* inquit, *Ecclesiarum Antistites absque ullo consulto mundanæ potestatis à temporibus Apostolorũ, & posteà per annos fere 400. ordinatos fuisse constat.* & infrà. *quòd verò in quibusdam Regnis posteà consuetudo obtinuit, ut consulto Principis ordinatio Episcoporũ fieret, &c.* Est quoq; celebre testimonium Paschalis II.

in privilegio inveſtiturarum Henrico Imperatori conceſſo, apud Malmeſpurienſem *l. 5.* & della Marca *l. 8. c. 20. n. 4.* ubi conceptis verbis hoc privilegium ſummis Pontificibus adſcribitur. Id verò privilegium varias ob cauſſas Regibus Francorum à Zacharia conceſſum; quòd calamitas temporum id expoſceret, potentioribus laicis Epiſcopatus involantibus, qui non aliter quàm Regiâ poteſtate coërceri poterant: quòd Pipini ingentia in Eccleſiam Catholicam, Sedemque Romanam merita eſſent, quibus meritò præmium aliquod debebatur: quòd longâ conſuetudine Regius conſenſus jam olim interpoſitus electionibus eſſet, & conſenſus jam fere in imperium tranſiſſet. Prudentis ergo conſilii fuit, concedere quod prohibere non poterat, neceſſitate in legem & præmium versâ. Hoc ergo jus & privilegium in Pipini ſucceſſores propagatum eſt; enimverò ante privilegium Zachariæ Reges non jure, ſed facto eligebant; nec electioni aliud præter conſenſum accommodabant.

Anno DCCCXVI. Ludovicus Pius Pipini Nepos Aquiſgrani in celeberrima ſynodo, ad Epiſcoporum preces, id ardenter expetentium, electionibus veterem uſum, canonicam libertatem reſtituit, permiſitque Epiſcopos ex Cleri, populique conſenſu eligi. Sic habetur *l. 1. capitular. c. 48.* Eodem decreto Ludovicus vetuit, ne, quod fieri ſolebat, ſacerdotia muneribus emerentur, qui turpiſſimus quæſtus à Theodorico Gothorum Rege inductus eſt, teſte Gregorio Tur. *de vit. patr. c. 3.* adeò ut non Imperatoribus & Regibus tantùm, ſed etiam Epiſcopis ordinantibus pecunia ſolvenda eſſet, idque vario prætextu, Enthroniſmi, Emphanias, Paſtilli, &c. unde Enthroniſtica, & Emphaniſtica vocabantur; quorum modus à Juſtiniano in Patriarchis reductus fuit ad 20. libras auri; in tenuioribus Epiſcopatibus ad 300. vel 200. ſolidos. (a)

Quamvis verò Ludovicus Imperator libertatem eligendi Epiſcopos Clero reliquerit, non ideò tamen neceſſitatem Regii aſſenſûs videtur remiſiſſe, ùt apertè conſtat ex iis, quæ Florus loco citato, Concilium Pariſ. Anno DCCCXXIX. celebratum *l. 3. c. 22.* quod habetur *Tomo 3. Concilior.* Hincmarus *epiſt. 12.* Patres in ſynodo apud Theodonis Villam Anno DCCCLIV. Joannes PP. X. *ep. ad Herimannum Colonienſem* Anno DCCCCXXI. Flodoardus *l. 3. Hiſtor. Rhem. cap. 35.* Frodoardus in Chron: Anno DCCCCLXII. teſtantur; & deniq; Sigeriusin

(a) Vide Novell. 123. c. 3. & c. 16. & l. ſi quemquam. Cod. de Epiſc. & Cler.

rius in vita Ludovici Grossi, ubi scribit in Conventu Catalauni habito, Archiepiscopum Trevirensem coram Paschali II. & Ludovico Rege testatum esse, à tempore Gregorii M. antequam electio publicaretur, admoneri Imperatorem solitum; cui si electus placeret, tunc demum electionem vulgatam fuisse, & Episcopus consecratus Imperatorem adibat, petebátque Regalia, quæ cùm per annulum, pedúmque accepisset, homagium Cæsari præstabat. Assensus tamen, aut voluntas Regia nullam inducebat necessitatem eligendi quem Rex optabat, ùt eleganter, prolixéque docet Hincmarus loco cit. nec omisso Principis assensu irrita electio reddebatur, sed tantùm litibus ac discordiis exposita, teste Floro citato, & tunc quoque suas partes Pontifices Romani interponebant, quod fatetur Petrus de Marca. (a) Hic status electionum fuit usque in Annum MCXXII. quando in Concilio Lateran. sub Callisto II. Pont. Max. electiones Episcopales in plenissimam libertatem assertæ, & ab omni Regio assensu exemptæ, salvâ tamen Regibus feudorum & Regalium investiturâ per sceptrum faciendâ. Anno tandem MDXV. post insignem ad Marignanum victoriam, cujus merces & præmium Ducatus Mediolanensis fuit, Franciscus I. Galliarum Rex cum Leone X. Bononiæ congressus, abolitâ Pragmaticâ sanctione, tot discordiarum matre, Concordata iniit, quibus jure eligendi à Capitulis avocato, integra facultas ad Episcopatus vacantes nominandi, Regi concessa est; jus tamen electiones & nominationes confirmandi Papæ reservatum. Eadem Concordata in Concilio Lateranensi sess: 2. lecta & approbata sunt, ac Concilii auctoritate firmata. Pragmaticam hanc sanctionem consensu Ecclesiæ Gallicanæ Carolus VII. Galliæ Rex Anno MCCCCXXXVIII. ediderat, quâ decreta Concilii Basileënsis recipiebantur, illa inprimis, quibus libertas electionum reddebatur, & gratiæ expectativæ, & Beneficiorum reservationes vetebantur. Sæpe in hanc Pragmaticam Roma declamavit, irrito semper conatu. Pius II. Ludovici XI. primus animum flexit, evicítque, ut Pragmaticam aboleret, sed repugnante Parlamento, nec finem querelis ponente, iterum Pragmatica valere jussa, iterum in usum deducta. Conati sunt quidem Sixtus IV. & Julius II. illam evertere, sed nullo eventu; donec inter Leonem X. & Franciscum I. conventum est. Doluit enim verò Clerus Gallicanus hac

(a) lib. 8. cap. 16. num. 6.

conventione, seu Concordatis libertatem eligendi sibi ademptam, & ideò ad futurum Concilium generale provocavit. (a) Sed vix est, ut aliquid hac provocatione sperare possit, concordatis in Concilio Lateranensi confirmatis, quod Concilium pro generali Reges Galliæ etiam habuêre, & publicè professi sunt, ùt ex actis Concilii patet, & ad illud Ecclesia Gallicana sæpe vocata, multúmque expectata est, submotis, quæ obtendebantur, impedimentis. Multiplex ratio Regem ad hanc cum Pontifice conventionem movit: quòd graviſſimo bello cum Carolo Imperatore implicitus mallet Pontificem amicum, quàm hostem habere: quòd Ecclesiâ Gallicanâ sæpius ad Concilium vocatâ, nec tamen comparente, timendum erat, ne Patrum suffragiis Pragmatica damnaretur, sícque aut invitus causâ caderet, quod & damni & dedecoris plenum erat, aut perpetuis litibus, ac schismate, cum Romanis Pontificibus collideretur, quod eo potiſſimùm tempore, cùm à Carolo sæviſſimum bellum instaret, omninò fugiendum: prudentis ergo Consilii fuit, tempestatem præoccupare, navigio in tutum, nec sine spoliis, recepto; iis enim concordatis jus omne electionum lucrabatur, nec leviores Pontificem causſæ movebant: Cum potentiſſimo Rege, eóque & victore, & vicino, recepto Mediolano, pacem jungebat: Annatas à Concilio Basileensi vetitas lucrabatur: Pragmaticam sanctionem, toties irritóque conatu, à summis Pontificibus appetitam delebat, & tandem Concilium Basileense patrocinio florentiſſimi Regis exuebat. Nec Clerus Gallicanus de sublatis electionibus conqueri posse videbatur. Cur enim non posset Leo Papa id Francisco Regi concedere, quod jam dudum Zacharias Pipino, Clero Gallicano nihil contra moliente? quòd si minus in Francisco meriti, quàm in Pipino fuit, non minus tamen in Leone necessitatis. Deinde modicum id erat, quod per concordata Clero adimebatur; nam etiam ante concordata assensus Regis eligendis Episcopis necessarius erat, immo preces Regiæ ex præscripto Pragmaticæ sanctionis, electiones prævenire, & poterant & solebant. Quis verò nescit preces Regum pares imperio esse? juxta illud Taciti, & Ausonii: *Potentiſſimum impetrandi genus est, cùm rogat, qui potest jubere; tunc enim preces quidem sunt, sed quibus contradici non potest.* Nihil ergo concordatis, præter nomen electionis Clero ademptum, collatione ipsâ dignitatum, precũ obtentu,

(a) Teste de Marca lib. 6. c. 9. & c. 10.

tentu, jam in Reges translatâ. Et in hoc fortè sensu sustineri utcumque potest, quod scribit Maymburg, *Histor. Iconoclast. l. 2. f. 259.* pactis inter Leonem & Franciscum initis, nullum novum jus Galliæ Regibus quæsitum, sed illud tantùm confirmatum, quod privilegio Zachariæ jam olim obtinebant. Id verum est, si velit preces Regias electionibus interponi solitas, eundem penè effectum habuisse, quem jus nominandi, & præsentandi, per concordata Regibus permissum, quod etiam fatetur della Marca Archiep. Paris. *lib. 6. c. 10. n. 13.* extra hunc sensum falsum est, jus ad Episcopatus nominandi jam ad Reges ante concordata ex privilegio Zachariæ spectâsse; huic enim privilegio jam olim Ludovicus Pius renunciaverat *l. 1. capitular. c. 84.* & in Concilio generali Lateranensi sub Callisto II. libertas eligendi Clero permissa, nec Regibus aliud præter assensum & approbationem relictum est. Et verò si per concordata nullum jus Regibus datum, quid caussæ fuit Clero Gallicano concordatis repugnandi ob electiones ademptas, appellandique ad futurum Concilium? Hæc ergo sunt, quæ de electionibus & nominationibus Episcoporum dicere habui, quod quidem, quantùm in re obscura implexâque fieri potuit, diligenter etiam per annorum seriem tractatum est, siquid verò me fugit, aut minùs Lectori arridet, veniam difficultati dabit, & meliùs aliquid in solem expromet. Nunc ad investituras pergo, quæ proximè ad electiones sequuntur.

Postquam Regum Christianorum indulgentiâ factum est, ut Ecclesiæ non solùm magnâ vi auri, argenti, gemmarúmque, verùm etiam multis magnísque feudis, dominiis, ac jurisdictione, donarentur, hæc ipsa amplitudo, opésque servitutem Ecclesiis parârunt. Auctâ igitur in Episcopis potentiâ, aucta quoque aut invidia, aut cupiditas, aut formido, aut denique necessitas in Principibus est, eos sibi obstringendi, à quibus metuere poterant. *Duplex*, inquit Bernardus, *serm. ad Pastor. inf. dominium Prælatorum: habent enim Claves Ecclesiæ quibus claudunt, & nemo aperit; habent & Regalia, quia Domini sunt urbiũ & oppidorum, nec solùm Episcopatus sed etiam consulatus habent, ut merito eis dicatur: quid ultra debui facere & non feci? sed quod datum est illis in adjutorium, factum est illis in scandalum.* Hinc ergo nata servitus electionum, & necessitas eos ad infulas provehendi, quos Reges aut juberent, aut saltem cuperent; quamquam idem fere erat cupere, quod jubere, natæ etiam investituræ, quæ vox Caroli M. tempore non-

dum erat ad significandam concessionem Episcopatuum institutæ, ùt notat Baronius, & post illum Marca, *l. 8. cap. 12. n. 7.* Cùm enim lege Salicâ (quâ solâ Reges utebantur) qui fundo aliquo, aut feudo, jure beneficiario, à Rege donabantur, in signum traditæ potestatis, baculum, festucam, aut aliquid simile acciperent, & secutis post annis, gladium etiam, aut vexillum; idem quoque ad Episcopos extensum, ut videlicèt feuda, & Regalia Episcopatibus annexa, traditâ à Rege Cruce, annuloque, post electionem acciperet, & juramento etiam, quod homagium, vel hominium dicebatur, eidem Regi se obstringeret, id verò fiebat manu Episcopi in Regiam manum insertâ. Hoc ergo ritu investitura dabatur, quæ, ùt dixi, Crucis annuliq; traditione, & juramento constabat; & hoc modo investiti à Regibus reperiuntur, S. Rembertus Archiepisc. Bremensis à Ludovico Pio. S. Romanus Episc. Rothomag. à Clodovæo II. Vlstanus Episcop. Vigornienſ. à S. Eduardo. Ivo Carnotenſ. à Philippo I. (a) Nec mirum videri debet hujusmodi investituris etiam sanctos acquievisse: id quippe in usum & morem transierat, & nondum summi Pontifices damnaverant, nec ad aliud spectare videbantur investituræ, quàm ad Regaliam & feudorum concessionem, non verò ad officium Episcopale, aut dignitatem spiritualem; & ideò à Gallisto II. tandem in Concilio Lateranensi admissæ sunt; erátque in omnium oculis exemplum B. Gregorii, qui imperatam pecuniam adepti Pontificatûs præmium Mauritio Imp. solverat, id verò longè pejus investituris erat; sed necessitas vicit, nec pecunia ideò data, ut Pontificatum emeret, quem maximè fugiebat; sed ut occurreret pejoribus malis, &, ùt Theologi loquuntur, *redimendæ vexationis causâ.* Anno MLXXVIII. primus in Concilio Rom. V. teste Malmesburiensi in Wilhelmo I. Gregorius VII. investituris bellum indixit, eásque & homagium Regibus præstari ab Episcopis solitum omnino vetuit, anathemate in Reges & Imperatores pronuntiato, qui illas darent acciperéntve. Enimverò classicum hoc fuit, quo diuturnis & gravissimis bellis prælusum est, Ecclesiâ Romanâ Imperióque diu multúmque collisis. Causæ investituras delendi hæ à Gregorio prolatæ. *Eas ab Hadriano II. & Concilio Oecumenico VIII. can. 22. jamdudum proscriptas esse; Regum esse palatia & urbes condere, eásque quibus vellent donare, non verò infulas & sacerdotia; hæc extra Regiam potestatem esse, solisque*

(a) Vide Ivon. epist. 8. & 190. Matthæum Paris. in Eduard. & Auctuarium vitæ SS. Remberti & Romani.

solisque sacerdotibus commissa, non ergo quæ Regũ non sunt, donari à Regibus posse; quid verò esse investituras, nisi Episcopatuum donationes? à Regibus crucem, à Regibus annulum, à Regibus virgam pastoralẽ electis dari quid hæc aliud, quàm Episcoporum insignia esse? & quid aliud sit Episcopos facere, quàm hæc conferre? cogi sacerdotum greges aulas & castra sequi, alioquin ignotos neglectósq; procul infulis haberi, iis solùm admotis, qui Regium latus sequerentur, sicq; non merito, non virtuti, sed gratiæ tantùm & obsequiis dignitates locari, immo, quod turpius & nefas dictu sit, Episcopos pecuniâ fieri, & velut in publico mercatu Ecclesias iis cedere, qui plus pretii obtulerint; sic fieri, ut sceleratissimi quíq; integerrimis ac probatissimis præferantur; quanto hoc Regum dedecore, Ecclesiæ contemptu, animarum periculo damnóq;? quo deinde vultu egregios hos Antistites ausuros Regibus obsistere, quibus tot vinculis astringantur? populos monere, quos exemplis corrumpant? nihil aliud investituris agi, quàm ut disciplinâ Ecclesiasticâ penitùs excisâ, & Reges frano, & Antistites reverentiâ, & populi verecundiâ peccandi careant: nullum ergo remedium tot malis superesse quàm ut fontes claudantur, unde illa proveniunt. Frustra verò tuendis investituris privilegia usumq; prætexi; primò enim privilegium nullum ostendi posse, quod enim illud? quando & à quo datum? deinde non plus firmitatis privilegio quàm legi esse, hanc verò, cùm in publicam perniciem vertitur, aut planè extingui, aut saltem à legitimo Magistratu deleri posse, & tandem omni jure sancitum esse, ut abusu privilegia tollantur; abusum verò nullo temporis decursu muniri, & pestis more, quantò diuturniorem, tantò pejorem esse. Hæ fere rationes erant, quibus Gregorius investituras persequebatur. Opponebant ex adverso Principes. *Duo in Episcopatibus spectari posse, & sacram dignitatem, & jura ac dominia temporalia; hæc investituris, non illa à Regibus dari: nec enim tantum aut ignorantiæ, aut impietatis Regibus esse, ut sibi, quæ Dei sunt, usurpent. Si non erubescant Principes thesauros suos Regiásque opes in Episcopos effundere, cur isti erubescant à Principibus accipere? & si accipiunt, cur nolint palàm profiteri? alterutrum eligendum Episcopis esse; aut investituras accipere, aut Regiis Patrimoniis carere; hanc esse naturam feudi, nec posse aliâ conditione tradi. Nullum hactenus è tot retrò Pontificibus ausum hunc lapidem moliri, litemq; Regibus intendere, solum Gregorium post tot annorum decursus novam aciem instruere, pacémq; turbare: num ergo tot alii & sanctissimi Pontifices, aut oculis carebant, quibus hos abusus ac sacrilegia viderent, aut linguâ calamóque, quibus proscriberent? mirum ergo esse, aut illos non vidisse, quæ modò Gregorius videat,*

videat, aut Gregorio non probari, quæ illis semper probata sint. Si qui abusus hujusmodi investituras incurrant, paratos Reges opem omnémque operam illis purgandis polliceri; Gregorii tantùm esse remedia præscribere, non defuturos suis partibus Principes, quorum æquè ac Pontificum interfit iis infulas imponi, qui Ecclesiæ æquè ac Regno dedecori non sint. Ceterùm si omnia illa è medio tolli oporteat, quæ abusu aliquo fœdantur, parùm esse Gregorio investituris irascí, totum orbem vertendum esse, cùm totus abusibus scateat, prudentem agricolam sterilibus quidem aridísque ramis arborem purgare, non tamen excindere, alioqui pejus re medium periculo fore. Hæc Gregorio pro investituris objecta ab illis sunt, qui Principum partes tuebantur, præsertim Ivone Episcopo Carnotensi. (a) Offensus vehementer est hâc epistolâ Urbanus II. eóque indignatio processit, ut Ivo de Episcopatu deponendo cogitaret, ùt patet ex ejusdem epistola *68.* sed Urbano paullo pòst è vivis sublato, Ivo in gratiam cum Episcopatu rediit. Victor III. Pontif. Max. qui Gregorio successerat Anno MLXXXVII. in synodo Beneventana æquè sub anathemate Investituras prohibuit. Idem ab Urbano II. in synodo Claremontana repetitum Anno MLXXV. *can. 16.* adhibitum tamen temperamentum est, ut videl. Reges abstinerent tantùm solemnitate annuli & virgæ pastoralis, aliàs jure suo uterentur. Ita colligitur ex *epistola 60.* Ivonis; constat verò, decretis Urbani synodíque Reges Galliæ acquievisse. Paschalis II. qui Urbano successit, constantissimè Investituris obluctatus est, Anno tamen MCVII. post acre cum Henrico Rege Angliæ certamen ita conventum est, ut electi homagium quidem Regi præstarent, hic tamen nullum per baculum annulúmq; investiret. Sed multò gravior ab Henrico IV. Imp. tempestas in Paschalem incubuit. Hic Gregorii VII. & Urbani II. vestigiis insistens, repetitis Conciliis, Imperatoribus investituras abrogaverat, anathemate in Episcopos vibrato, qui illas à laicis reciperent. Henricus altâ dissimulatione iram contegere, & tandem rebus toto Imperio compositis, florentissimis copiis cinctus, inter quas tricies equitum millia, in Italiam movere. Color expeditioni quæsitus, velle Imperatorem Romæ more Majorum coronari. Copiæ, quo iter commodius esset, bîfariam per Tyrolim & Sabaudiam divisæ Mediolani convenerunt: hinc Romam progressæ sunt, expugnatis deletisque urbibus, quæ militem morari auderent. Pontifex ubi exercitum prope urbem vidit, suspicatus quod erat, obtentu pacis vim admoveri, Legatos mittit, pacémque his conditionibus impetrat; Imperator in-

(a) In epist. 65. ad Hugonem Archiepisc. Lugdun.

tor investituris cederet, Pontifici Romano vitam, libertatem, largitiones à Pipino, Carolo, Ottone aliísque Imperatoribus factas tueretur: Pontifex verò Imperatorem coronaret, juberétque Episcopos Regalia, feuda, ditionésque, quas à Regibus accepissent, restituere, solísque aris, ac fidelium oblationibus, ùt olim in primitiva Ecclesia, contentos esse. (a) Subscriptum utrímque, conventúmque in has conditiones; sed, ùt eventus docuit, irrito effectu, Episcopis Germaniæ, quorum spolia petebantur, nunquam consensuris. Henricus Romam invectus est, intérque plausus communésque omnium voces eum Imperatorem & Augustum acclamantium, Vaticanum intravit: rogatus verò à Paschali, ut, quod jam priùs spoponderat, investituris palàm cederet, cessurum se respondit, si Episcopi Regalibus feudísque abirent, quæ ab Imperatoribus acceperant; hîc enimverò querelæ, strepitus clamórque Episcoporum negantium posse Ecclesias suas Pontificis Romani arbitrio spoliari, ipse priùs provinciis Regnísque, quæ à Pipino & Carolo acceperat, renuntiaret, secuturam exemplum Germaniam; hanc verò nudari, Româ tot Principum Regúmque spoliis onustâ, iniquum esse. Dum ergo mutuis altercationibus omnia complentur, jussu Imperatoris Paschalis abductus traditúsque custodiæ; hinc mutuæ Germanos inter Romanósque cædes, Henricus in faciem ictus vix mortem evasit. Paschalis non tam carceris malorúmque tædio, quibus flecti à sententia nunquam potuit, quàm suorum querelis, metúque inprimis expugnandæ diripiendæque Urbis, paratíque schismatis, vinci se tandem passus, investituras Henrico cedit, eámque cessionem, & diplomate, & sacratissimo Eucharistiæ epulo, cujus unam partem ipse acceperat, alteram Imperatori tradiderat, obfirmat. Id Anno MCXI. factum. (b) Dici non potest, quàm ægre ab omnibus fere Cardinalibus, & Episcopis animo hoc privilegium (quod ipsi pravilegium vocabant:) acceptum fuerit, adeò, ut Anno MCXII. in Conciliis generalibus Lateranensi, & Viennensi declaratum sit, irrita fuisse, quæ à Paschali gesta & concessa fuerant, utpote vi metúque, & contra Patrum Cano-

 númque

(a) Vide epist. Pasch. 22. ad Henric. & Chron. Cassin. lib. 4. cap. 37.

(b) Vide Wilhelmum Malmesburiensem l. 5. de gestis Reg. Angl. & Petrum Diacon. l. 4. & Baron. ad hunc annum.

númque sanctiones extorta. Immo non defuerunt in Galliis viri sanctitate & miraculis clari, qui assererent, non quidem ipsum actum investiendi hæresin esse; sed hæreticos videri, qui pertinaciter defenderent, Episcopos à laicis investiri oportere. Ii fuerunt inter alios S. Godefredus Episcopus Ambianens. S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, S. Bruno Episcopus Signinus, Joannes Archiepiscopus Lugdunensis, ac denique communi voto Patres omnes Concilii Viennensis. Errat ergo Maymburg, suóque more censuram præcipitat, dum Brunonem Episcopum temeritatis accusat, quòd investituras hæresis notâsset; quî enim temerarius; qui tot Patres virósque præclaros in Galliis, aut duces suæ sententiæ, aut comites habuit? immo totum Viennense Concilium? Ratio ob quam isti investituras hæresis postulabant, fuit, quòd Principes, cùm Episcopos investiebant, annulum & crucem, seu virgam pastoralem electis porrigerent; hæc verò insignia esse non temporalis alicujus, sed Episcopalis & Ecclesiasticæ dignitatis, quam qui diceret posse à laicis conferri, utique pro hæretico habendus esset: esto enim Principes negarent, sed quod ad sacram dignitatem spectat, conferre velle; videbantur tamen aliud agere, quàm dicerent; quippe qui sacræ dignitatis insignia traderent; quemadmodum pro hæreticis semper habiti sunt, qui voces homiusii, & Christotoci usurpabant: quamvis se Catholicos esse dicerent, & hæreses Arianam ac Nestorianam execrari. Hæresis ergo non ex animo, qui occultus est, sed ex facto æstimabatur: rursus hæresin censebant eorum sententiam, qui dicerent, investituras toties ac tot Conciliis, summorúmque Pontificum decretis vetitas, nihilominùs licitas esse. (a) Ipse Ivo Episcopus Carnotensis (b) negat quidem, sententiam investituras defendentium hæreticam esse, fatetur tamen schismati vicinam; cùm tamen annulus, & virga signa sint ex sua natura indifferentia, nec investituræ Divino aliquo, sed humano tantùm jure prohibitæ; potuisse illas, immo & debuisse à Paschali Pontifice Imperatoribus, majoris mali, & schismatis vitandi causâ, concedi. Hæc ferè sunt, quæ in hac celebri controversia utrimque magnáque animi contentione jactabantur. Paschalis factorum pœni-

(a) Vide epist. Joannis Archiep. Lugdun. quæ inter epist. Ivon. est. 227.
(b) epistol. 233.

pœnitens abire Pontificatu ſtatuerat, ſed permiſſus non eſt. Tandem in Concilio Lateranenſi Anno MCXVI. ſeipſum ignaviæ accuſans, privilegium Henrico datum damnat revocátque, & inveſtituras, eósque qui illas darent, recipiéntque, perpetuo anathemate ferit, nullâ tamen Henrici mentione factâ, quem ſe nunquam excommunicatione percuſſurum, juramento promiſerat. Paſchali è vivis ſublato, Gelaſius II. omnium voto ſuffectus eſt, ſed quòd palàm edixiſſet, ſe nunquam inveſtituris aſſenſurum, ab Imperatore Germanisque Romam pervolantibus graviſſima paſſus, confectúsque ærumnis eſt. Succeſſit Calliſtus II. à quo tandem, ùt ſuprà dictum eſt, pax Imperio & Eccleſiæ reddita eſt, electiones Epiſcoporum ab Imperatoribus ad Clerum translatæ, ipſis verò Imperatoribus inveſtituræ Regalium relictæ, ſic tamen, ut non per annulum pedúmque, ſed per ſceptrum darentur. Ejusdem Calliſti decreto abolitum jus homagii ab Epiſcopis præſtari ſoliti; hujus ſolemnitas erat, ut Epiſcopus Regiæ manui ſuam ſupponeret, ſícque fidelitatem juráret; juramentum enim fidelitatis jam olim in Hiſpania, Gallia, Anglia, & Germania ab Epiſcopis præſtari Regibus ſolebat. (a) Hic ergo inveſtiturarum ortus, progreſſus, exitúsque fuit. P. Maymburg *lib. delle decadenze, f. 408.* Sanctum Anſelmum Archiepiſc. Cantuarienſ. imprudentiæ notat, parúmque rebus gerendis accommodatum dicit, quòd homagium Henrico Regi Angliæ præſtare, ab eóque inveſtituras accipere diu recuſaverit. Verùm quàm lubricæ ſint hujus Critici cenſuræ, quámque ad aulæ potiùs gratiam, quàm veritatis (quod in Eccleſiaſtico meritò diſpliceat) compoſitæ, tu ex hiſtoria cognoſce. Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quòd contra Guibertum Antipapam pro Urbano II. ſtaret, Guillelmus Rex abire in exilium juſſerat: Guillelmo extincto Henricus ſucceſſerat, à quo Anſelmus revocatur. Paullo pòſt inveſtituras accipere, Regíque homagium præſtare rogatus, negat ſe id facere, tot Conciliis, tot Pontificibus prohibentibus, poſſe; miſſurum tamen Romam, qui ſenſa Pontificis perquirerent; Epiſcopos canonum cuſtodes, non corruptores eſſe; quid Angliam,

(a) Vide Concil. Toletanum 16. & Duziacenſe (oppidum Provinciæ Rhemenſis) ex Malmesb. l. 2. de geſtis Pontif. Angl. & l. 3. videantur Concil. Toletan. 4. c. 75 & Tol. 10. c. 2. & Concil. Turon. 3. c. 1. & Aquiſgr. Anno DCCCXXXVI. c. 12. & Gratian. in 22. q. 5. ubi eleganter effectus juramenti fidelitatis deſcribuntur.

quid Galliam, quid Orbem universum dicturum esse, si, quæ nuperrimè in Concilio Romano tot Patrum suffragiis sancita fuerant, subverti ab Anselmo viderent? Romam ergo à Rege, ab Archiepiscopo Legati ad Paschalem missi: Paschalis investituras omnino damnare: repetita iterum legatio, at æquè repetita repulsa. Sed cùm legati à Rege missi corruptique muneribus dicerent, Paschalem investituris acquiescere, nec tamen voluisse id litteris commendare, ne gratia in exemplum transiret, id verò constanter pernegarent, quos Archiepiscopus miserat, idque allatis à Pontifice ad Anselmum litteris confirmarent, tertia ad Pontificem legatio instructa, sed à Pontifice responsum, non posse investituras à se permitti, quas toties Prædecessores damnaverant; idque decreto firmavit, quod in Concilio Lugdunensi lectum acceptúmque est. Quid Rex faceret toties repulsus? ipsum Anselmum, & Wilhelmum electum Exoviensem Episcopum mittit, qui Pontificem flectant. Tanta Wilhelmi perorantis eloquentia fuit, ut, cùm dicendi finem fociisset, omnes admiratione suspensi hærerent, obstinatóque silentio, quæ ab Anglo dicta fuerant, comprobarent. Additi Wilhelmo animi: *illud*, inquit, *scitote, priùs Henrico Regi, & coronam, & caput, quàm investituras adimi posse.* Hîc Pontifex rupto silentio, vultúque in majestatem composito, *Et ego*, inquit, *ne quidem pro capitis mei redemptione patiar illum investituras habere.* Secuta omnium Purpuratorum, & Antistitum acclamatio Pontificem collaudantium. Anglus silentio, & pudore defixus. Henricus verò Rex Anselmum regno, & Archiepiscopatu abstinere jubet, sed paullo pòst revocatum, omni honore cultúque excipit; convenerat enim inter Pontificem Regémque, ut hic quidem homagia ab Episcopis reciperet, eósque, quod temporalia spectat, investiret; annuli tamen, pedíque collatione abstineret: quod ubi Anselmo significatum, promptissimè acquievit; hinc pristina illi à Rege gratia. Sic Anselmi certamen habuit. Jam hîc lectoris arbitrium esto, annon omnes ab Anselmo prudentiæ partes expletæ. Quòd Legatos Romam miserit, quòd distulerit, quòd rogaverit, quòd ipse in Italiam venerit, quòd acceptâ semel à Pontifice indulgentiâ continuò acquieverit; hæc omnia reverentiæ in Regem suum data: quòd verò tot à Gregorio, ab Urbano, à Paschali, à Romano, Lugdunensi, aliisque Conciliis decreta Regiæ voluntati, suísque commodis præhabuerit, id planè pastoralis constantiæ,

ac li-

ac libertatis fuit ; plus enim Episcopus Pontifici ac Conciliis, quàm Regi suo debet; cùm & ipsi Reges Conciliis, ac Pontifici subdantur. Jubet Rex, Vetat Papa, cujus imperium præferas ? Regium ? sic omnino Maymburgo visum, sed aliter Anselmo ; sed quanto Anselmus melior majórque, tanto hujus quàm illius melior æquiórque sententia. Jam ad ultimum Regaliæ caput, quod in custodia, ac usufructu bonorum Episcopalium Sede vacante consistit, calamus vertendus est.

Primis Ecclesiæ temporibus non alii Episcopis proventus erant, quàm fidelium oblationes, decimæque ; his sustentabantur. Constantinus lege lata (*quæ est prima C. de SS. Eccl.*) permisit fidelibus, ut bona ac latifundia, quæ vellent, Ecclesiis relinquerent : hinc Ecclesiarum opes vehementer auctæ. Divi Augustinus, ùt est in ipsius vita apud Possidium *c.* 22. & Chrysostomus *hom. 22. in Matth.* quo & curis rerum temporalium, & invidiâ ex opibus ortâ levarentur, latifundia, quæ Ecclesiis obvenerant, Laicis permittere conati sunt, solis oblationibus victuri, sed numquam persuaderi fidelibus hoc potuit. Præcipua Clodovæi, Pipini, Carolique M. liberalitas fuit, integras provincias, immo Regna Ecclesiis donantium. Nec caussæ tam largæ profusionis aberant. Summis & ipsi beneficiis ab Ecclesia affecti erant. Huic Clodovæus Religionem, & cum Religione tot victorias & incrementa, Pipinus Regnum, Carolus Imperium debebant. Interat quoque Episcopos potentiâ & opibus augeri, ii siquidem nec bellis gerendis, nec rebus novandis apti, minus Imperatoribus afferebant metûs, plus verò fidelitatis ; quam fuisse caussam Carolo M. Episcopos ditandi notat Malmesburiens. *de gestis Reg. Angl. l. 5.* Notat etiam Baronius ad Annum MLV. cùm hoc ipso sæculo Canones pœnitentiales, expiandis in hac vita peccatis revocati essent, & tamen ob eorum acerbitatem, peccandique frequentiam, quàmplures aut spem veniæ deponerent, aut pœnitendi conatum; pœnarum redemptio induci cæpta est, ut quantum videlicèt pauperibus, aut Ecclesiis donaretur, tantùm pœnitentiis decederet; hinc à divitibus profusæ donationes. Auctis ergo Ecclesiæ opibus, ne deessent, qui illas curarent, sacris Canonibus sancitum est, ut iis Oeconomi, qui ex Clero legi debebant, præficerentur. *Ita statutum in Concilio Chalcedonensi can. 26. Hispalensi secundo cap. 9. Toletano quarto cap. 47. Ni-*

ceno secundo c. 11. (a) Præcipuum verò Oeconomi officium erat, ut defuncto Episcopo, proventus Ecclesiæ curaret, custodirétque successori tradendos. Concil. Chalcedon. *can. 25.* & ibi Zonaras. Et cùm Principes sæculares vacante Ecclesiâ facultates redditúsque sibi vendicarent, severè id eis prohibitum in Conciliis *Ilerdensi c. 16. Chalcedonensi. c. 22. Claremontano, Lateran. &c. V. c. 22. & 25. 16. q. 7. & Concilium Francofordiense* Anno DCCXCIV. *can. 41. Pontigon.* Anno DCCCLXXVI. *can. 14. Trosleianum* Anno DCCCCXXI. *can. 14.* sed nullæ leges coërcendæ Principum cupiditati pares fuêre, adeò ut nomine obtentúque custodiæ, omnia vacantis Ecclesiæ bona sibi Principes addicerent, nec solùm quæ titulo Regalium feudique Ecclesiæ obvenerant, sed etiam decimas, supellectilem, ipsásque Beneficiorum Ecclesiasticorum collationes. Videtur aliquibus hæc consuetudo circa sæculum undecimum invaluisse, post Callisti II. cum Henrico Imperatore initam conventionem; enimverò nullam ejus mentionem Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. & ipse Callistus fecêre, facturi utique, si illam agnovissent, ut qui ob solam Investituræ solemnitatem non dubitârunt tot Imperatoribus bellum indicere, séque, totámque Ecclesiam tot ærumnis, & persecutionibus involvere. Planè jam ab Anno MCLXI. sub Ludovico juniore, Philippo Augusto, Ludovico IX. Galliæ Regibus, hunc ipsum morem occupandi bona vacantis Ecclesiæ obtinuisse, demonstrant varia exempla, quæ Auctor libertatum Ecclesiæ Gallicanæ congessit, *Tom. 2. tit. 5. tit. 16. tit. 4.* & della Marca *lib. 8. c. 22. n. 8.* Idem dicendum est, de Collatione Præbendarum, quæ nomine fructuum, pendente electione veniebant, quæque à summis Pontificibus Innocentio III. Anno MCCX. in causâ Thomæ Argentolii à Philippo Augusto nominati, Clemente IV. Anno MCCLXVII. Gregorio X. Anno MCCLXXI. aut approbatæ, aut saltem permissæ fuerunt, ùt apud citatos Auctores videre est. Illud tamen negari haud potest, hanc ipsam vacantium bonorum occupationem priùs saltem, quàm in legitimam consuetudinem transisset, gravissimis proborum censuris vapulâsse: Patres Concilii Troslejani *pessimum abusum*; Raymundus Comes Barcinonensis in privilegio Anni MCXXXVII. quod apud della Marca reperire est, *l. 8. Nefariam consuetudinem, detestabilẽ, & alienam ab omni jure divino, humanóq;*; Emmanuel Comnenus in constitutione Anno MCL. *Abusum vergentem in Dei*

(a) Vide etiam S. Gregorium l. 2. ep. 22.

Dei contemptum, legísque naturalis eversionem, indignum professione nominis Christiani; Fridericus II. Imperator in constitutione de Anno MCCXIII. (quam editâ Bullâ aureâ Anno MCCXIX. confirmavit) *pravum abusum à suis majoribus inductum*; Et ideò iisdem constitutionibus ad Honorium III. Papam hunc abusum abrogat, abdicátque; Idem ab Ottone III. factum, qui ex Episcoporum ac Principum Germaniæ voto, hanc ipsam *pravam consuetudinem* (sic enim vocant) abolitam voluit, bonis morientium Episcoporum intactis, reservatisque Successori. Ita Principes Germaniæ Innocentio III. Anno MCC. significârunt. (a) Sed quidquid de hoc sit, hoc ipsum Regaliæ jus, quod solâ consuetudine, non lege nitebatur, (saltem si proventus feudales excipias) tandem in privilegium, verúmque jus transiit, quando Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Anno MCCLXXIV. Principibus concessit, ut ubi hactenus consuetudo obtinuerat, vacantium Ecclesiarum fructibus gaudere possent, excommunicatione percussis, qui hoc jus Regaliæ ad loca extenderent, ubi hactenus antiqua consuetudo non fuerat. Causæ ob quas Patribus visum, posse Principibus hoc jus permitti, variæ fuerunt; quòd jam passim, longâque consuetudine, ac infinitis penè exemplis hæc occupatio invaluisset, nec posset aboleri, nisi Principibus gravissimè offensis; necessitas ergo in privilegium transiit; quòd negari haud posset, ingentia fuisse Principum in Ecclesiam merita; istis ergo aliqua merces debebatur, & tunc præsertim, cùm instinctu Gregorii in sacrum bellum accingebantur, non tantùm immensos sumptus, sed etiam sanguinem profusuri; præsertim verò, quòd dignitas Episcopalis, cùm non jure sanguinis, aut hæreditatis, sed tantùm electionis conferri posset, Episcopo extincto, feuda & Regalia devolvi ad Principem viderentur; donec alius in dignitatem succederet, & à Principe Regalium investituram per sceptrum acciperet; si enim, inquiebant, defuncto Antistite, feuda, latifundia, ditionésque ad Regem non redeunt, cur ergo electi Antistites à Rege investituram accipiunt? si enim non habet, dare non potest; aut si dat, ergo habet: quæ ratio in iis potissimùm provinciis valebat, ubi *jus relenii* in feudis obtinuerat; mortuo siquidem vasallo, Dominus interim, donec hæres investiretur, proventus feudales, velut solatium levaménque translati in alios patrimonii recipiebat: & cum hoc onere feuda in Ecclesias transis-

(a) Vide Baron. ad Annum 996.

transisse videbantur; Ceterùm si privilegium Concilii excludas, parùm hæ rationes Principum causam promovebant. Feuda enim Ecclesiis, non Episcopis donata fuerant, & ideò Episcopis sublatis, non idcò recidebant. Deinde vel in ipsis feudis, quæ Laicis conceduntur, quis nescit fructus, qui ante Investituram proveniunt, non Domino, sed vasallis & hæredibus deberi? & demus hæc omnia: quid de decimis, domestica suppellectile, bonis mobilibus, & beneficiorum collationibus dicemus, quæ nec feuda, nec Regalia erant, & tamen à Principibus æquè occupabantur? & ideò ipsi Principes Regésque, ùt suprà vidimus, non tanti has rationes, aut prætextus faciebant, ut hanc occupationem non inter abusus & corruptelas referrent, eámque abdicarent; Ergo si verum fateri volumus, vera & unica Regaliæ origo cupiditas fuit; tum consuetudo; ac tandem privilegium Concilii: hoc solùm Principes absolvit. Reliqua, quæ de investituris & feudis dicebantur, colores tantùm, qui numquam quærentibus desunt, non veritas erant; alioquin Patres Concilii Lugdunensis illimitatè hoc jus, & non tantùm ubi consuetudinis erat, Principibus indulsissent. Quia verò Concilium nihil de collationibus beneficiorum, sed tantùm de fructibus loquitur, noluit Bonifacius VIII. eo privilegio collationes contineri; sed à Philippo Pulchro Galliarum Rege, & Joanne Parisiensi, qui librum ea de re edidit, responsum; rationem Concilii Lugdunensis æquè ad collationes, ac fructuum receptionem spectare: æquè enim illos consuetudine, præscriptione, beneficiis Regum, ac concessione saltem tacitâ Pontificum niti. Quæ Patribus rationes fuêre, vacantium Ecclesiarum fructus concedendi. Cæterùm jus Regaliæ in Galliis extendi ad omnes provincias, (præsertim Burdigalensem, Narbonensem, Arelatensem, & Auscitanam) non posse, docet ex edictis Philippi Pulchri, Philippi Valesii, Ludovici XII. aliisque monumentis Petrus de Marca, Archiepiscopus Parisiens. *l. 8. c. 24. n. 8.* & apertè deduci videtur ex Concilio Lugdunensi, cujus fragmentum habes *cap. 13. de elect. in 6.*

Et hactenus de jure Regaliæ.

§. II.

§. II.

Rationibus, & exemplis ostenditur, animum passionibus agitatum in errores prolabi Ecclesiæ fatales.

Summaria.

1. *Veritas placidum animum requirit, quod ratione, & auctoritate probatur.*
2. *Hæreses pleræque contentionibus, & æmulationi Principium debent, quod exemplis ostenditur Nicolai Diaconi.*
3. *Meletii & Arii.*
4. *Luciferi Episcopi, & Tertulliani.*
5. *Lutheri.*
6. *Henrici VIII. Angliæ Regis.*
7. *Eâdem ratione propositiones Parisiensis Conventûs suspectas reddi.*

I.

Sapienter in bello Catilinario monet Sallustius: *Omnes homines, qui de re dubia consultant, ab odio, ira, & amicitia vacuos esse debere:* Enimverò passiones tincturæ quædam sunt, quas si animus semel imbibat, ægrè alium colorem admittet; rationis libram in unam partem præcipitant, multisque modis veritatem excludunt.

Primò, quia impetu quodam, ùt dixi, voluntatem impellunt, secúmque rapiunt, ut facilius contra torrentem naviges, quàm contra affectum semel incitatum. Deinde, qui voluntas cùm

tas cùm non eligat, niſi quod amat; nec amet, niſi quod placet; nec placeat, quod affectui repugnat; plerúmque id eligitur, quod affectum mulcet: & quemadmodum linguâ bile, aut abſynthio corruptâ, quicquid infuderis, amarum erit: ſic infecto paſſionibus animo quidquid dixeris, etiamſi verum, niſi affectui reſpondeat, diſplicebit, & reſpuet.

Et tandem paſſio plerúmque, & vehemens præſertim, cum corporis alteratione humorúmque conjungitur, qui excitatis velut nebulis objecta aut minora, aut majora, aut alia exhibent, quàm ſunt; nec ſatis rationi permittunt, ut ad ea, quæ occurrunt, advertat, aut ſi advertit, niſu radióque tam debili, ut vix ſentiat, & negligat æſtu animum rapiente: quod ergo judicium de coloribus à cœco expectes? & idcò paſſiones, *perturbationem animi* Philoſophus definit; ùt enim in pellucida, & tralucente aqua fundum videmus, qui turbatâ continuò latet, ſic veritas placidum, quietúmque animum intrat, commotum reſpuit irâ præſertim, quæ quantò plus ſanguinem accendit, tantò plus flammæ, fumíque habet, & veritatem tegit. Audi monentes Sacros Canones. Gregorius *in c. illa. 11. q. 3. Illa*, inquit, *Præpoſitorum ſollicitudo utilis, illa eſt cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor ſibi nihil vindicat. Reſtringenda ſub ratione poteſtas eſt, nec quidquam agendum priùs, quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat: nam commotionis tempore juſtum omne putat, quod fecerit.* Et idem D. Gregor. *in c. ſummopere 11. q. 3. ſummopere*, inquit, *præcavere debent Rectores Eccleſiarum, & qui publica judicia exercent, ut in dictandis ſententiis nullatenus levitate, aut furore ducti ſint præcipites: ſed cauſis priùs diligenter ventilatis, cùm res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc Divina, & humana lex reſolvatur, & tunc ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remotâ perſonarum acceptatione, definitiva proferatur ſententia. Hinc eſt quod Moyſes querelas Populi ſemper ad Dominum, tabernaculum ingreſſus, referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat. Nimirum nos inſtruens, ut non ex corde noſtro, ſed ex præcepto divino, condemnationis, vel juſtificationis ſententiam proferamus.* Et D. Ambroſius *c. Ira 11. q. 3. Ira ſæpe etiam innocentes in crimen abduxit: quia dum juſto ampliùs iraſcimur, & volumus alienum coërcere peccatum, graviora peccata committimus; unde Dominus Jeſus dimittens ad evangelizandum Diſcipulos, miſit eos ſine auro, ſine argento, ſine virga, id*

ga, id est, ut & incentiva litis, & instrumenta eriperet ultionis. Et aptè Seneca, *lib. 1. de Ira cap. 16. Judicis*, inquit, *tum maximè placidus esse debet, & in statu vultus, cùm magna pronunciat.* (a)

Quæ omnia dicta sunt eum in finem, ut agnoscas doctrinam à Conventu Parisiensi nuper propositam, vel hoc ipso suspectam reddi, quòd calentibus adhuc animis, & ùt credebant, injustè lacessitis, concepta, & producta. Quid aliud poterant irati? *habet*, inquit Seneca, *ira aliquid voluptatis, & dulce est dolorem reddere;* In illo videlicèt vindicandi æstu eum laudarent, eámque auctoritatem extollerent, à qua tam acriter vapulabant? & ferientis virgam amplexu exciperent, & non magis, si possent, excuterent?

II. Néque hoc novum in Galliâ, cùm plerásque in Ecclesia turbas ira conceperit ambitioni mixta, & viros etiam pietate, & doctrinâ summos in errorem impulerit. Percurre Historiam Ecclesiasticam, ex qua nonnulla tantùm, ne simus prolixi, decerpamus. Inter primas Hæreses fuit illa Nicolaitarum circa Annum Christi 68. & cum ipsa Ecclesia propè nata, viventibus adhuc Apostolis, cujus meminit D. Joannes in Apocalypsi: Auctorem habuit Nicolaum, ex septem primis Diaconis unum: origo hæc fuit. Ab uxore continentiæ causâ diverterat, sed impatiens amoris pristini thalamum repetiit: hanc ob causam abs Apostolis inconstantiæ postulatus, correptúsque, irâ excanduit, & injuriam, ùt credebat, vindicaturus, Apostolis sordidum errorem opposuit, neminem videlicèt in cœlos admitti, qui voluptati non quotidie litaret. Alii aliter narrant; eum videlicèt, cùm uxorem duxisset elegantis formæ, & propterea zelotypiâ flagraret, ab Apostolis reprehensum esse: Illum ægro animo id tulisse, & ardentem irâ uxori in plenum consessum adductæ Maritum, quem vellet, concessisse. (b)

III. Circa annum Christi CCCVI. & CCCXV. natum est schisma Meletii, & ex isto Ariana hæresis, quâ nulla gravius Ecclesiam Catholicam agitavit, tantúmque sanguinis, ac lacrymarum expressit, totum penè orbem pervagata. Utriúsque initium ex offensis, iratísque animis fuit. Meletium Petrus Alexandriæ

(a) Vide D. Gregor. l. 5. Moral. c. 31. & S. Thomam 1. 2. q. 48. a. 3.
(b) Vide Epiphanium hæresi. 25. & Baronium ad annum 68.

Epiſcopus ob varia crimina Epiſcopatu exuerat, præſertim quòd pœnarum metu minùs fortiter contra infideles aciem duxiſſet, quàm Epiſcopum deceret: Ille pudorem, contemptúmque non ferens, ſchiſma contra Petrum Alexandrinum molitur, totámque Ægypti Eccleſiam perturbat, & in factiones ſcindit: Huic inter primos Arius adhæſit, & ipſe ambitione, iráque in transverſum actus. Fuit Arius, teſte Epiphanio, dialectica præſertim inſignis, & prophanæ litteraturæ admodùm callens, ingenio acri ſubtilíque, pietate, & ſtudio religionis apud plerósque egregiè commendatus, tantâque morum elegantiâ, quam gravitas temperabat, ut animos priùs caperet, quàm obſideret, accedente præſertim eloquentiâ, quâ præpollebat; ſed gloriâ nimius, contemptûsque impatiens, & ideò ad offenſas pronus, nam ùt bene Seneca: *Nunquam ſine querela ægra tanguntur.* Mortuo Achillâ Alexandriæ Epiſcopo ſibi infulas promiſerat, neminem ratus huic dignitati parem: ſed electus Alexander æmulum invidiâ pertulit, quæ tunc maximè ex cinere in flammam emerſit, cùm in publico Catholicorum Conventu ſcripturas doceret; ortâ enim inter diſputandum contentione, ſuámque doctrinam minùs obſervari ab aliis dolens, quàm cuperet, ut æmulos torqueret, (Alexandrum præcipuè, qui Filii cum Patre æqualitatem frequenter repetebat,) eandem æqualitatem impugnare aggreſſus eſt, nec priùs ceſſavit, quàm Epiſcopis, & Imperatoribus in ſententiam ſuam raptis, Eccleſiam, à qua ſe contemptum dolebat, fædiſſimè vexaret. (a)

IV. Eadem peſtis Luciferum Epiſcopum, & Tertullianum perdidit, duos Eccleſiæ nobiliſſimos Doctores, totíque orbi, antequam caderent, ſummâ veneratione habitos. Luciferum commendabat eruditio maxima, pari ſanctitati conjuncta, paríque conſtantiæ in tuenda Religione; pro qua, ùt erat animo invicto, graviſſimas pœnas vicit, & quater in exilium abiit, donec à Juliano Imperatore revocatus, naufragium in portu fecit, quem tormenta non poterant, expugnante irâ. Miſſus fuerat Antiochiam à Summo Pontifice Legatus, ut ſchiſma inter Catholicos componeret, aliis Euſtathium, aliis Meletium Epiſcopum acclamantibus: ſublato

(a) Vide Baronium ad annum 315.

lato è vivis Eustathio Lucifer Paulinum suffecit defuncto prædilectum; quæ res Meletii partem adeò offendit, ut spem omnem conciliandæ pacis abrumperent. Supervenit Eusebius Vercellensis Episcopus, & ipse notæ jam sanctitatis, qui ubi advertit imprudentiâ Luciferi, & Paulini electione, schisma, & discordias extra remedium esse, Luciferum præcipitatæ electionis arguit: *Paulinum Episcopatu quidem dignum esse, sed per mortem Eustathii Deo litem dirimente quid opus fuerit novum ignem accendere, & intempestivâ electione altare altari opponere? si Episcopatum Meletio reliquisset, pacem jam fore, nunc Christianos mutuis contentionibus perire.* Indignissimè hoc Lucifer tulit, cùm crederet eò se provectum, ut errare non posset, nec aliquid facere vituperio dignum; ergo amicitiam cum Eusebio abrumpit, & in Sardiniam profectus ferale Schisma Ecclesiis, bellúmque indicit, in quo mortuum Baronius scribit. Hinc errores, & hæresis Luciferianorum, ex carne videlicèt animam propagari, lapsósque Episcopos non esse ad dignitatem recipiendos, si pœnituerint. (a)

Quid de Tertulliano dicam? qui non tam admirationi, quàm miraculo fuit? Omni scientiarum genere, sacræ, profanæ, naturalis, Divinæ, supra omnem commendationem cultus: Eloquentiâ tam forti invictâque, ut, teste Vincentio Lyrinensi, quot in illo sunt verba, tot oracula; & quot oracula, ac sententiæ, tot palmæ & victoriæ: Sanctitas vitæ, ardórque tuendæ Religionis ingenium & doctrinam æquabant: quicquid scriberet, aut doceret, tot erant trophæa recentésque Catholicorum triumphi; nec in illa tam acri, sæváque persecutione majus habuit Ecclesia aut solatium, aut asylum, quàm Tertulliani calamum, linguámque: quis crederet lapsurum hunc Colossum? lapsus est tamen, non terræ, sed animi motu: quòd Sacerdotes Romani illius gloriæ inviderent; quòd contra ejus sententiam Zephyrinus Papa adulteros ad pœnitentiam reciperet; quòd Episcopatu Carthaginensi, quem ambiebat, repulsus; causæ fuerunt desertæ Religionis, quam toties antè defenderat. Montanismum amplexus est, & fœminarum deliciis captus, quàm plurimis erroribus insenuit, felix pulcherrimis initiis, sed turpissimo fine miserrimus: De utróque scribit Augustinus *Soliloq. cap. 29. Vidimus*

(a) Vide S. Aug. de hæresib. cap. 81. & D. Hieronym. lib. contra Lucifer.

multos Domine, & audivimus à Patribus noſtris, quod utique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor; aſcendiſſe primitus úſque ae cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocâſſe: poſtmodùm autem cecidiſſe úſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe: vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe, & eos, qui inter filios DEI ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe.

V. Nimii ſimus, ſi antiquitatis ſingula exempla producamus: dabimus unum, alterúmve noſtri temporis, ex quibus æquè intelligas, in quos errores animus ambitioni, iraéque impotenter obſequens præcipitet. Quas clades Lutherana hæreſis Eccleſiæ dederit, palàm eſt: ejus origo ex jurgiis, & æmulatione ducta. Wittenbergiæ lauream Doctoralem incinxerat Lutherus, & cum plauſu ob torrentem eloquentiæ, & præſtantiam memoriæ audiebatur: hinc illi cum Theologis Scholaſticis æmulatio nata, quos frequenti diſputatione, editísque libellis, quotidie lacéſſebat. Sub illud tempus Leo X. Chriſtianos Principes ad bellum Turcis inferendum ſociebat, piásque in belli expenſas oblationes colligi juſſerat. Id negotium Patribus D. Auguſtini dari ſolitum; ſed Albertus Archiepiſcopus Moguntinus ex alio Ordine ad hoc munus quæſtores delegit. Conqueri palàm Auguſtiniani hoc contemptum interpretati, datúmque Luthero negotium, ut contra quæſtores pro ſuggeſtu declamaret; fecit hoc ille non tantùm acriter, ſed furioſè; nam impetu, & vindictâ ferebatur: nec contentus vocibus, libros, & diſputationes adjungit, & quod irati ſolent, extra metas procurrens, aram fidei tangit, premítque: hinc ab æmulis, & præſertim Romano Inquiſitore notatus errorum, & minis territus. Nimis erat ſuperbus, ut ſcripta omnium manibus ſparſa recantaret, multóque minùs, ut pateretur æmulos vincere; ergo ut illos perderet, à quibus premebatur, Eccleſiam incendit, perque communes flammas in tutum evadit. Dubites plus damni à Luthero Eccleſia acceperit, an à Friderico Duce Saxoniæ, qui & ipſe privatis injuriis à Papa, & Archiepiſcopo, ùt credebat, offenſus, animum, opes, & aſylum Luthero præſtitit, ſine hoc pariete illa hedera concidiſſet: ergo Schiſma Lutheranum ambitioni, iræ, mutuísque jurgiis debemus.

VI. Idem Angliæ infortunium. Thomas Volſæus Regnum

unà & Regem moderabatur, tanto fastu, ut plerúmque sic juberet: *Rex & ego:* Carolo Imperatori tam charus, ut cùm illi scriberet, ad calcem epistolæ adjungeret: *Filius vester Carolus:* ab hoc Papatum sperabat, sed mutato Cæsaris animo delusus vindictæ se accingit. Suadet Henrico Catharinam Imperatoris Materteram repudiet: Et facilè persuasit aliam amanti; ea fuit Anna Bolena ex Catharinæ gynecæo. Petita à Julio II. Pontifice Max. dispensatio, sed negata, quòd diceret, constante primo Matrimonio eam dari non posse. Rex amore victus Annam occultè prius, dein apertè & cum apparatu ducit. Papa excommunicationem minari. Intercessit tamen excommunicationi Franciscus I. Rex Galliarum, impetravítque terminum, etsi angustum, pœnitentiæ Henrico præscriptæ; die ultimâ jam consumptâ, nec apparente Nuntio in Angliam dimisso, diræ in Henricum pronuntiatæ, publicísque locis affixæ. Vix biduum fluxerat, & ecce! Nuntium, & litteras ab Henrico obsequii, & Reverentiæ plenas, quibus Pontifici causam submittebat; sed divulgatâ jam sententiâ, & paullo pòst in Angliam appulsâ, tantum iræ concepit Rex, ut Papam ejurârit, séque Caput Ecclesiæ jusserit: Recepti in Angliam Lutherani, & fides toto Regno expulsa: huc ira, & indignatio pervenit. Pœnituit enimverò Papam biduum non expectâsse; tantulâ enim morâ Angliæ Regnum constabat; sed Imperatoris Amici Pontificem impulêre, qui serò didicit verissimè à Philosopho dictum: *Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit.* (a)

His exemplis satis, ùt opinor, constat, quantum sit periculi irato, infensóque animo Religioni consulere: quid enim aliud tunc lingua dicat, quàm quo animus redundat? *Habet iracundia hoc mali,* inquit Seneca, *lib. 1. de irâ c. 16. non vult regi, & irascitur veritati, si contra voluntatem suam apparuerit; nec quicquam magnum, nisi quod simul & placidum: malè irato ferrum committitur, & calamus; utróque enim feriet.*

VII. Oportebat planè Gallos cogitare; conventum ab illis hoc tempore indictum, cùm mutuæ querelæ, & offensæ ardebant, & propositiones in Comitiis vulgatas, non Religioni adscriptum iri, sed vindictæ, tantóque magis, cùm viderent Pontificem Max. non sui, suorúmque, sed Episcoporum gratiâ, útque illis libertatem asserе-

(a) Vide Senecam lib. 2. de ira cap. 22.

assereret, in aciem progressum. Enimverò si non gratitudinis, at saltem humanitatis erat, quæ Gallis adeò curæ est, eo tempore, quo Papa pro eorum amplitudine, tam ardenter, támque invictè pugnabat, nihil hostile contra bene meritum moliri: demus Papam terminos egressum; at Illos tuendi causâ hoc fecerat; cur ergo arma in Defensorem conversa, quem potiùs excusari decebat etiam errantem: præsertim in conspectu Hæreticorum, quibus nullum gratius poterat exhiberi spectaculum, quàm Vaticani oppugnatio; si ergo nec sibi parcere animus erat, nec Papæ, saltem Religioni pepercissent, quam risibus hostium, & ludibrio exponebant, Pontificis Auctoritatem tam fœdè, & palàm aggressi; aut distulissent: quod enim in mora periculum, si spatium aliquod componendis motibus darent, & serias, ac tanti momenti curas in serenum, pacatúmque tempus differrent? plus tunc ponderis, & fidei reperissent placidè concepta; nunc per tumultum, & rixas effusa, vel hoc ipso à prudentibus respuuntur, quòd ex impetu fluxerint. Prudenter Livius *Decade 3. lib. 3.* ubi orationem Hannonis recitâsset, quâ Carthaginensibus à Cannensi victoriâ pacem suadebat, Romanis facilè daturis, quia victis; subjungit: *Haud multos movit Hannonis oratio; nam simultas cum familia Barchina leviorem auctoritatem faciebat*; ita quidquid dixeris, quod doctrinam, ac æstimationem Parisiensis Conventus augeat, semper respondebitur: *sed simultas cum Romano Pontifice leviorem auctoritatem facit, irascebantur*: hoc unum, si alia deessent, & doctrinæ fidem, & auctoritati Majestatem ac venerationem ademit, ùt enim & ratio, & experientia ostendit, vera, & à Deo inspirata doctrina pacem amat, & nunquam ex contentione profluxit, *omnis*, inquit Christus, *Matth. 15. v. 13. plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*: quod ambitio, quod ira, quod contentio plantavit, non est doctrina Patris, nec ab hoc plantata, & ideò nec radices factura.

§. III.

§. III.

Quam in hoc Regaliæ negotio PP. Societatis Personam egerint?

Summaria.

1. *Quàm difficilè in causa tam lubrica vitatis extremis medium teneatur.*
2. *Sparsæ in PP. Societatis querelæ.*
3. *Et quibus ex causis in suspicionem adducti.*
4. *Defensa variis rationibus Societas, nec culpam paucorum omnibus adscribi.*

I.

MUlta in hoc Regaliæ negotio, conventúque Parisiensi evenêre, quæ Societatis fidem, tot aliàs vinculis Romano Pontifici obligatam, visa sunt defœdare. Mallemus silentio ea premi, quàm Soli exponi; non quòd Societatis culpam aliquam agnoscamus; sed quòd pejora faciliùs credantur, & plerúmque aliquorum maculæ in omnes redundent, etiam innocentes; non istorum quidem, sed opinantium vitio. Cùm verò, quæ à quibusdam Societatis PP. in hac causa gesta sunt, jam passim, & in publicum emerserint, nostrarum partium duximus, sigillatim omnia, candidéque in medium proferre, & quid veritati consentiat, deinceps aperire.

Nemo inficias iverit, prudentissimum esse, qui mediâ incedit, cùm ad latus præcipitia occurrunt. Causa, de qua agimus, inter potentissimum Regem, & æqui amantissimum Pontificem vertebatur. Christianum ac Religiosum esse, & tamen Vicario Christi obniti, quanti erat criminis? In Gallia vivere, & Galliæ

Regem provocare, quanti periculi? medio ingredi, & ad neutrum flectere utróque invitante, immo premente, quantæ artis juxta ac prudentiæ? Erit ergo, quem sciendi cupido incessat, quam in hac scena Religiosi Personam egerint, Societatis præsertim, Aulis addicti, & in omnem ventum parati.

II. Variæ de illis totâ hâc Historiâ querelæ miscentur. Joannes Cerle Magnus Ecclesiæ Apamiensis Vicarius in Mandato ad Clerum Apamiensem Anno MDCLXXXI. recenset. *Rectorem ipsum Collegii Apamiensis cuidam Regalistæ censuris implicito, à quo alii abhorrebant, apertas ulnas obtulisse, & in amplexum recepto exclamâsse: Vivat Regalia. Crederes in Martyrem, non excommunicatum incidisse. Professorem Rhetoricæ in eodem Collegio Discipulorum coronæ varia, & indigna ex Pontificum vitis narrâsse, quo illis odium, contemptúmque summi Pastoris persuaderet, tantò majori damno, quòd illa civitas nuper ad Catholicam fidem reversa summâ potiùs veneratione in Vicarium Christi imbui deberet.*

Idem Joannes Cerle in libello ad Summum Pontificem dato, post depictam Ecclesiæ Apamiensis miserrimam faciem hæc adjungit: *Non habent alios Regalistæ Consiliarios, Patronos, Amicos, nisi ipsos PP. Societatis: Per hos fit illis in Aulam aditus. Non immeritò quisquam dixerit Regalia Parentes esse; P. Ferner Nutritium, & Educatorem P. de la Chaire; Præconem P. Maymburg.* Hactenus Joannes Cerle.

III. Quod si quæras, quâ ratione fieri possit, ut tam alienâ à suis Institutis pietate, quam profitentur, acceptísque à Romana Ecclesia beneficiis, hæc in animum induxerint? Respondent: *Magnis præmiis, qui Regi faveant, donari: P. Maymburgo, qui classicum discordiis cecinit, opes, Palatia, & honorem delatos. Regio Confessario Societatis Viro Beneficia Regaliæ dispensanda committi; quibus Principes sibi Familias obstringat, & Societatem muniat. Patres navatæ operæ pretium, Collegia à Rege accepisse, & plura in dies expectare. Romanum Pontificem male in PP. affectum, quòd illorum tam multis sententiis, & integro Amadæi libro damnatis plus nimio ostenderit.* Ergo ad lilium divertisse, & apes imitatos in hunc florem, à quo plus mellis sperarent, relicto Vaticano dilapsos.

IV. Hæc utcúnque dicantur, adduci non possumus, ut Societatem ipsam in culpam vocemus: nec vocabit planè, qui Societatis instituta, prudentiam, & à summis Pontificibus accepta beneficia

animo

animo æstimaverit. Solemni voto se Papæ obstringunt, Eique obedientiam profitentur, quam nisi DEO votisque illudant, negare haud possunt; sic enim Diplomate Pontificio Julii III. loquuntur: *Quamvis Evangelio doceamur, & fide Orthodoxâ cognoscamus, omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam Capiti, ac Jesu Christi Vicario subesse, ob devotionem tamen Sedis Apostolicæ, & majorem voluntatum nostrarum abnegationem, & certiorem Sancti Spiritûs directionem, summopere conducere judicavimus, singulos Nos, & quicúnque eandem impostèrùm professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali adhuc voto adstringi, ut quicquid Romani Pontifices jusserint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, sine ulla tergiversatione illico exequi teneamur.* Quis credat eos, qui nefas ducerent sub aprico, nudóque Sole labem aliquam Castitati aspergere, voluisse in conspectu orbis totius Papæ bellum movere, Cui non minùs, immo multò magis obedientiam voto, quàm cælibatum dedicârunt? Cùm Parisiis, Venetiisque PP. pellerentur, hoc illis præsertim vitio, & culpæ datum, quòd nimiam, at Regibus invisam, exosamque Pontifici tribuerent auctoritatem, ùt videre est apud Thuanum *in vita Henrici IV.* nunc si hanc ipsam auctoritatem impugnatum eant, toties, & cum invidia defensam, quid dicat Orbis, nisi Chamæleontem, aut Pavonis caudam PP. imitari, de qua Tertullianus: *Semper alia, nunquam eadem; toties mutanda, quoties movenda.* Quis fidem illis ampliùs haberet, si Cui tantùm debent, non solùm deserant, sed etiam impugnent? Nimis multa, & recentia sunt beneficia, quæ à Paulo III. Julio III. Pio IV. & V. Gregorio XIII. Clemente VIII. Alexandro VII. Societas accepit, ut illorum aut memoriam deponat, aut gratitudinem. Et si alia deessent, illud emineret, quòd Societas, quidquid in Galliis habet, Summo Pontifici debeat. Cùm enim sub Henrico IV. Galliarum Rege sicarius quidam, Castellus nomine, ferrum in Regem strinxisset, sed dente tantùm excusso, manus errâsset; PP. Societatis, quos suspicio afflabat, sed immeritò, totâ Galliâ expulsi, additâ publicâ in loco ex saxo Pyramide, ubi causa proscriptionis legebatur. Sed Clemens VIII. assiduis precibus, querelis, consiliis, Regem pulsare non destitit, donec proscriptio refigeretur, Patribus in gratiam, & regnum acceptis: quod unicè Clementis VIII. precibus & auctoritati datum est, alioquin repugnante Senatu, & infinitas rationes opponente, quas videre est apud

Thuanum *lib. 136.* Sed vicit Clementis in Societatem affectus, Cui tantæ hoc negotium curæ fuit, ut nullum magis, nec unquam cum Ossate Cardinale Pontifex loquebatur, ut Societatis reditum validissimis rationibus & officiis non premeret. (a) Jam prudens aliquis secum expendat, fierine possit, ut Societas in illo Regno, quo cum dedecore excesserat, Romanique Pontificis Beneficio redierat, nunc & restituta, & florens contra Benefactorem insurgat, & illic theatrum amori, & reverentiæ debitum, ingratitudini aperiat, Illique, à quo pacem accepit, bellum denuntiet? quasi verò prudentissimi Viri non facilè præsagiant, se aut ingratitudinis, aut perfidiæ notandos, & causam plerisque oblaturos credendi vera esse, quæ tam multis, variisque libellis contra Societatem, ejusque in Principes fidem quotidie scribuntur.

Nec deerunt, qui, quod olim Veturia filio Coriolano, cùm Patriæ arma inferret, ex persona Pontificis Societati obtrudant: *Ergo nisi Ego Vos Galliæ peperissem, Roma non oppugnaretur? Livius Decade. 1.* Hæc planè de PP. Societatis credi non possunt, quibus si reverentiam in Christi Vicarium etiam demas, satis tamen prudentia consuleret, non posse sine ingenti damno, ultimóque dedecore ab Illis hoc fieri. Redibunt in gratiam Gallus, & Papa: tunc enimverò Pontificem, aulámque Romanam nec facti memoria deseret, nec facilitas, & causæ vindicandi: oculati sunt nimis PP. Societatis, ut ista non videant; Quid profuisset per tot maria, & spatia terrarum sub Gregorio XIII. & Alexandro VII. Japones, Chinásque Romam adduxisse veneraturos Pontificem, nunc verò ab Ejusdem obsequio Gallos avocare? Aut illud adulatio fuerit, aut istud impietas, neutrum in Societatem cadit.

Quæ igitur Apamiis contigêre, aliquorum fuit culpa, quæ adscribi omnibus non debet. Jamdudum jure definitum est, ut delictum Prælati Ecclesiam non oneret, quantò minùs delictum Rectoris, Magistri, aut alterius privati Societatem deformet? quàm tu plantam reperies, inter cujus flores, fructúsque vermis non repat? Ergo Societatem ipsam, non paucos ex illa, hoc est, plantam, non vermes absolvimus, quibus, ùt voles, irascaris, floribus tantùm, fructúque illæsis, nec in culpam adductis.

§. IV.

(a) Vide Epist. Gallicas Ossatis præsertim 8. 10. 11. 27. 119. & 120.

§. IV.

Exhibetur Edictum Regium cum Propositionibus Conventus Parisiensis.

Summaria.

1. *Edictum Regium latinè ex Gallico redditum.*
2. *Declaratio, & Propositiones Conventus Parisiensis.*

I. Edictum Regium, quod ex Gallico latinè dabimus, sic habet.

Ludovicus DEI Gratia, &c.

QVamvis potestatem nostram, auctoritatémque Regiam nulli hominum, solique Deo subjectam esse veritas sit omnino explorata, & extra dubitationem omnem, ac in sacris litteris omnino asserta; non potuimus tamen sine ingenti gaudio declarationem intelligere, quam Ecclesiæ Gallicanæ Deputati in Conventu Parisiis nostrâ permissione celebrato ediderunt. Eóque libentius Supplicationem ab iisdem Deputatis nobis factam admisimus, quâ petebatur, ut eandem declarationem toto Regno publicari juberemus: quòd à Prælatis concepta fuerit tantâ virtute, & doctrinâ conspicuis, quique in ea, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ, nostræq; Coronæ majorem pertinent dignitatem, summo studio incumbunt: præsertim quòd præfatam declarationem suam pari sapientiâ, & moderatione temperaverint: ut nobis omnino polliceamur, eâ subditorum nostrorum in sacram Sedem Reverentiam, ac venerationem promotum, & Ministris Religionis, ùt vocant Reformatæ, omnes prætextus, & cavillationes ademptum iri, quibus caput Ecclesiæ visibilis Ejúsque auctoritatem (quam centrum unitatis Catholicæ agnoscimus) Principibus exosam, gravémque reddere laborant, objectâ quorundam Scriptorum doctrinâ, qui eandem Papæ auctoritatem

ſupra modum exaggerant. Propter has igitur, aliásque rationes graviſſimas, póſtque examinatam in noſtro Concilio prædictam Deputatorum Declarationem, perpetuo hoc noſtro, ſempérq; duraturo Edicto volumus, átq; ordinamus eandem Declarationem in acta publica omnium Curiarum, & Parlamentorum noſtrorum, omniúmque Præfecturarum, Univerſitatum, Facultatum Theologiæ, Juriſque Canonici, quæ noſtro Regno, noſtræq; obedientiæ ſubſunt, referri.

Primò igitur omnibus Coronæ noſtræ ſubditis, átque etiam Extraneis in noſtro Regno exiſtentibus, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cujuscúnque Ordinis, Congregationes, Locíque fuerint, diſtrictè prohibemus, ne aliquid Declarationi præfatæ, & illic comprehenſis Propoſitionibus contrarium doceant.

Secundò, Ordinamus etiam, ut quicúnque ſacræ Theologiæ docendæ admotus deinceps fuerit, priusquam hoc officium aggreditur, ſeu Regularis, ſeu ſæcularis ſit, in Cancellaria ejusdem Facultatis præfatæ Declarationi ſubſcribat, promittátque ſe nihil ab hac Declaratione alienum in Scholis lecturum, aut docturum; cujus ſubſcriptionis ſuæ copias à Notario legitimè factas, per Syndicum Facultatis Theologicæ Ordinariis, noſtróque Regio, & Generali Procuratori transmittet.

Tertiò, Volumus quóque, ut in omnibus Collegiis, aut domibus prædictarum Facultatum, ubi plures ſunt Profeſſores, Propoſitiones eâ Declaratione contentæ ſingulis annis doceantur; ubi verò unicus Profeſſor, quovis triennio.

Quartò, Jubemus deinde, ut ſingulis annis ad Scholarum apertionem nomina omnium Profeſſorum per Syndicum Facultatum Archiepiſcopis, & Epiſcopis locorum, ubi commorantur, noſtróque Procuratori ſicut etiam lectiones Scholaribus impoſterùm dictandæ transmittantur.

Quintò, mandamus pariter, ut nullus Baccalaureus ad Licentiatum aut Doctoratum admittatur, qui non priùs in publica aliqua diſputatione prædictas Propoſitiones palàm defenderit.

Sextò. Exhortamur, ac etiam injungimus omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui in noſtris Regnis, Provinciis terrísq; commorantur, Auctoritatem ſuam efficaciter interponant, curéntque Propoſitiones jam dictas in ſuis Diœceſibus ab omnibus doceri.

Denique omnes Syndici, & Facultatum Decani operam ſedulò dabunt, ut præſens Edictum executioni mandetur, alioquin perinde, ac ſi in illud ipſi deliquiſſent, puniẽdi. Datum 23. Martii Anno MDCLXXXII.

Hacte-

Hactenus Edictum Regium. Sequitur Conventûs Parisiensis de potestate Ecclesiastica Declaratio.

Ecclesiæ Gallicanæ Decreta, & libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumq; fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur, nec desunt, qui earum obtentu primatum B. Petri, ejusq; Successorum Romanorum Pontificum, à Christo institutum, iisq; debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisq; Apostolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus Majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoq; nihil prætermittunt, quo eam potestatẽ, quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam, & gravem Regibus, & populis ostendant, iisq; fraudibus simplices animas ab Ecclesia, Christiq; adeò communione dissocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi, & Episcopi Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum ceteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis diligenti tractatu hæc sancienda, & declaranda esse duximus.

I. Beato Petro, Ejusq; Successoribus Christi Vicariis, ipsi Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad æternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo traditam potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo; & iterum: Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt DEI, Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Regentes ergo & Principes nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subjici, neq; auctoritati Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atq; obedientiâ, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse, eamq; sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs Ecclesiæ, quàm Imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

II. Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atq; immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione custodita Decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur, nec probari, qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minùs approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc

III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu DEI conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam Regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrúmq; terminos manere inconcussos, atq; id pertinere ad Apostolicæ Sedis amplitudinem, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quóque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejúsq; decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium; nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

V. Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesias Gallicanas, átque Episcopos mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simúsque in eodem sensu, in eadem sententia.

§. V.

Hæreticos ad veram Religionem non propterea à faciliùs converti, quòd Catholici eorum postulatis acquiescant, corúmque Doctrinæ propiùs accedant.

Summaria.

1. *Minutâ Pontificis Auctoritate non propterea Hæreticum faciliùs converti.*
2. *Immo ex conniventia insolescere.*
3. *Ipsos verò Catholicos oppugnato Capite turbari, ex sententia D. Cypriani.*

I.

PRæfigitur Declarationi Parisiensi honestissimus titulus, juvandi videlicet Hæreticorum conversionem, quos circumscriptâ Pontificis auctoritate, quam maximè aversantur, sperari potest ad unionem reversuros. Exercent Galli, quam solent urbanitatem, dum amarissimo populo saccarum obtinunt, & sanguinem hausturi inter florum illecebras ferrum abscondunt, dolorémque officiis compensant. Hæretici à Papa non magis, quam Conciliis abhor-

abhorrent; & cùm ista tot capitibus constent, ac difficillimè conveniant, & quàm plurima, ut sint legitima, requirantur, exceptionibus longè pluribus patent. Si Hæretici Concilia audirent, nunquam Arianos, Pelagianos, Calvinistas haberemus, jam dudum à Conciliis damnatos. Quantò magis auctoritatem Pontifici detraxeris, tantò magis contemnent, & quod hactenus suo more, deinceps Catholicorum etiam exemplo facient. Si Magnates, aut Ministros Reformatæ Religionis spectes, illi, aut ambitione, aut libertate, aut aliis affectibus tenentur, ut veræ Religioni non accedant, & ideò non minuto tantùm, sed nec etiam sublato Pontificatu errorem deserent. Si minores, & plebem accipias, parùm istius interest Papæ, Concilio, an aliis obediant; cùm alicui necessariò subsint: non ergo Papæ Imperium, & potestas errandi causa est, sed prætextus, quem si aufferas, alii non deerunt. Hæreticorum genius insolens, & superbus conniventiâ non tam mollescit, quàm duratur in pejus, & tigridum more cantu efferatur.

II. Fallitur, qui credit hostem concessis expleri; unum adeptus aliud exiget obtentis insolentior: & si Historiam percurras, rarò invenies hâc conniventiâ aliquid profectum.

Georgius Bohemiæ Rex à Pio II. Communionem sub utrâque Specie pro Bohemis impetrârat, si hoc concederetur, ad Catholicam unionem reversuris; Idem à Concilio Basileensi exoratum, sed tantùm abfuit beneficio illos proficere, ut impudenter potiùs jactarent: *Papistas suum errorem hac in re fassos, spemq; allucere, ut alios æquè errores emendarent:* quæ causa fuit, ut quamvis Ferdinandus Cæsar à PP. Concilii Tridentini Communionem sub utrâque specie ardentissimè urgeret, allegatâ Conversionis certissimâ spe, si gratia fieret; si negaretur, periculo, ne jam Catholici ad Hæreticos deficerent: numquam tamen obtinere potuit, quòd Patres responderent, *satis experientiâ constare, Hæreticos beneficiis obstinari, abutique, & quidquid cederetur, Victoriam suam arbitrari, non piam Ecclesiæ conniventiam.* (a)

Eodem modo cùm peterent Ariani nomen *homousii* aboleri: Nestoriani nomen Deiparæ: Græci, ne symbolo adderetur: *Qui ex Patre, Filióq; procedit*, quòd dicerent, *hâc verborum novitate Ecclesiam hactenus abstinuisse, illisq; vocabulis non satis à populo intellectis turbari alios, alios irritari, paratos se credere, quod Ecclesia credit, parúmq; Religionis interesse*

(a) Vide Palavicinum in Historia Concilii l. 18. cap. 4.

verba mutari, re illæsâ. Nunquam tamen ad has Hæreticorum blanditias permoveri Concilia poterant ; cùm scirent esse principium fugæ hostibus cedere.

III. Nec magis hac declaratione Catholicis consultum credimus : si quæ enim inter Catholicos de Religione dubitatio surgat, habent in Romano Pontifice judicem erroris expertem, & infallibilem, cui omnes & meritò acquiescunt ; jam hâc ipsâ infallibilitate decidendi Papæ ademptâ, & in Concilium translatâ, quem rogo Judicem adibunt, qui lites dirimat ? nam si ad Concilium differantur, erunt utique immortales : imitari ergo Judices Areopagi oportebit, qui difficili implexâque lite productâ, partes jubebant post centum annos judicio sisti, accepturas nimirum à morte sententiam. Vicerunt Jansenistæ, si Concilium expectatur, & Innocentius, Alexander, Clemens Pontifices Maximi errare potuerunt. Verissimè scribit B. Cyprianus *Epist. 55. ad Cornel. Non aliunde hæreses sunt exortæ, & natæ schismata, quam quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia DEI Sacerdos & Judex Vice Christi cogitatur.*

Est illud memoriâ dignum, quod tempore Justiniani Imp. & Vigilii Papæ contigit. Persuaserat Theodorus Episcopus Justiniano, fore, ut Acephali hæretici (qui Chalcedonensi Concilio ibique decretis repugnabant,) ad sinum Ecclesiæ redirent, modò contra ejusdem Concilii præscripta, Theodorus Mopsuuestenus, Ibas Edessenus, & Theodoretus Cyri Episcopi damnarentur Nestorianæ hæresis suspecti, & à Patribus Chalcedonensibus veniâ donati : æquum non esse tribus Episcopis, quorum hæresis in aprico erat, veniam datam, toti Ecclesiæ fraudi & periculo esse, quin potiùs sapientem ducem, bellique imperatorem omnium pacem, certámque victoriam, paucorum clade mercari. Vicit Imperatorem lucrandi hæreticos componendæque amor Ecclesiæ, affixóque edicto, Episcoporum, quos Concilium Chalcedonense absolverat, memoriam damnavit : sed quo eventu ? in Catholicos, qui pro Chalcedonensi synodo stabant, ingens, diuturna, crudelísque persecutio orta ; Episcopis, qui edicto non parebant in exilium raptis. Hæretici verò insolentiùs Concilio, & Patribus illudere, quos dicerent, vel ipsâ confessione Catholi-

corum

corum erâsse, & ab Imperatore correctos : ergo & Catholici turbati, nec Hæretici ad fidem conversi, immo recenti victoriâ implacabiles facti. (a) Eâdem ratione eodémque eventu Zeno Imperator *Hennoticum* seu Decretum unionis : Constans *Typum* : Carolus V. constitutionem *Interim* vocatam, eo prætextu, ut omnes Christiani in unam eandémque fidem convenirent, ediderunt ; nullo tamen alio effectu, quam ut ipsi Catholici inter se concurrerent, fluctuarẽntque ; hæretici verò discordibus insultarent, eorúmque pugnas suis victoriis adderent. (b) Ergo nullibi, quàm in materia Religionis verius est Politici monitum : *Mediam viam pessimam esse, quæ nec amicos parat, nec inimicos tollit.*

§. VI.

Calvinistis & Lutheranis non favere Propositiones Parisienses, quò causam suam meliorem faciant, Catholicorum verò pejorem reddant.

Summaria.

1. *Propositiones Parisienses non tantùm Calvinistis non favere, sed plurimùm adversari.*
2. *Semper in Ecclesia, ante ultimam definitionem de variis dogmatibus contentiones fuisse.*
3. *Salvâ tamen fidei unitate, ac integritate.*
4. *Secus apud Calvinistas, aliósq; Reformatos, quibus, cùm nulla sit certa & indubitata credendi Regula, omnia incerta & dubia sunt, & consequenter nulla fides divina.*
5. *Quod luculento exemplo probatur.*

(a) Vide Baron. ad annum DLIII. & ibi Leontium de sect. act. 6. & 7. quem citat Damascenus lib. 3. cap. 3. cap. 11. de vide Orthodoxâ.
(b) Vide P. Maymb. in historia Lutheranismi lib. 5. fol. 192.

I.

HOc habet omnis falſa mendáxque religio, ut cùm nullâ re propriâ commendetur, gloriam ſibi pretiúmque ex rapto quærat, noſtris tantùm damnis felix, noſtrísque ſordibus pulchra; muſcas ergo noctilucas imitantur, tunc ſolùm claras, cùm alicubi tenebræ ſunt. Enimverò ubi primùm propoſitiones Pariſienſes vulgari cœpêre, quantum gaudii pompæque apud Reformatos noſtros fuerit, expugnato jam velut Vaticano, Romanóque Pontifice in triumphum ducto, haud facilè exprimam, adeò ſomniis umbrísque delectantur, ubi veritatem amiſêre. *Miſeri!* ut Prophetæ verbis utar, *qui lætamini in nihilo!* Propoſitiones Pariſienſes, quibus cauſam veſtram munitis, non ſunt illæ ipſæ, quæ in vos maximè veſtramque Religionem armantur? illæ Primatum Petri Romaníque Pontificis profitentur; illæ Concilium Conſtantienſe, quo veſtri errores plerique damnati ſunt, venerantur; illæ Unitatem Catholicæ veræque fidei in cathedra Petri velut in centro collocant; & denique illæ ſunt, quæ cardines veſtros, ac fundamenta convellunt: fruſtra ergo ab iis præſidium quæritis, qui tam enixè in vos pronuntiârunt. Aut ergo propoſitiones Pariſienſes veræ ſunt, aut falſæ? ſi falſæ, cur illas contra nos vertitis? falſo veritas non vincitur. Si veræ, cur illas non recipitis, & cum illis Primatum, Concilia, Romanâmque Eccleſiam? infelix eſt veſtra Religio, ſi aut vero repugnat, aut falſo ſuſtinetur. *Recipimus*, inquiunt, *in Conventu Pariſienſi decreta, ſed pro ea tantùm parte, quæ nobis favet, pro alia rejicimus.* Sic eſt, arbitrio veſtro ſedet, quid falſum verúmque ſit; veritas erit, quæ vobis arriſerit, falſitas niſi arriſerit; egregiis enimverò teſtibus cauſam veſtram fulcitis, quos & falſi poſtulatis, & in rem veſtram adducitis; *errant, falluntur, veritati adverſantur, creditamen illis volumus, fidémq; præſtari.* O jura legésque Romanæ! quis unquam his teſtibus cauſam dixit & vicit? ſed demus hoc Calviniſtis, habeant Patres Pariſienſes doctrinæ ſuæ teſtes; habemus planè & nos Catholici teſtes Doctrinæ noſtræ; quid ergo contra nos lucrantur, cùm plus pro nobis, quam contra nos, aut ſaltem tantum pro nobis, quantum pro ipſis dicant? Si ergo hos teſtes recipimus, aut pares nos, aut victores ſumus; immo victores, nam quæ contra ſententiam noſtram ſcribunt, ad fidem non pertinent, re nondum decisâ, direm-

diremptâque : quæ verò contra Calvinistas Patres Parisienſ. decernunt, utique fidem & dogma ſpectant toties in ſacris litteris expreſſum, in Conciliis definitum, & à tot retrò ſeculis, quot à Chriſto ducuntur, in Eccleſia receptum, ùt infrà docebitur.

II. Sed, *inquiunt*, ubi eſt illa unitas, & conſenſus doctrinæ, quam toties Catholici contra Lutheri Calviníque aſſeclas jactârunt? *Reſpondeo*, unitatem doctrinæ non in eo eſſe, ut nunquam in Eccleſia lites pugnæque opinionum naſcantur; pax iſta nullis bellis turbata, Eccleſiæ triumphantis, non militantis eſt : quæ major unio, quàm quæ corpus animæ adſtringit? & tamen quantæ utríque luctæ, & affectuum diſcordantium quotidiani tumultus! ſi ergo nec anima cum ſuo corpore, nec ſecum ſemper convenit, quid mirum eſt in Eccleſia diſſidia eſſe, ubi tot corpora ſunt, tot animæ, tot mentes, tot affectus? ſalvâ tamen ſemper fide, ac obedientiâ ſummo judici debitâ, ubi ſententiam edixerit : quamdiu enim intra velum hæc latuit, nec edita eſt, conflictari partibus licet, neque hoc culpæ adſcribitur, ſæpe tamen damno. Percurre hiſtoriam Eccleſiaſticam, videbis meritò Eccleſiam à Spiritu ſancto *lilio inter ſpinas* componi, nunquam enim, aut rarò ſine ſpinis fuit, quæ amicum hunc florem eodem mucrone pungerent quo protegebant, hoc eſt, inter ipſos Doctores, qui Eccleſiæ præſidio & cuſtodiæ ſunt, ſententiis calamísque certatum eſt. Sub ipſis Eccleſiæ initiis, Chriſtus Dominus vix ad cœlos exceſſerat, inter ipſos Apoſtos primósque fideles, quamvis Spiritu Sancto plenos, recentíque doctrinâ à Chriſto imbutos, quàm acre certamen fuit, & opinionum diſcordia de Legalium obſervantia? *Act. 15.* De eodem argumento ingens inter Petrum & Paulum contentio fuit, utérque tamen Spiritu Sancto abundabat. *Ad Gal. 2.* An in SS. Trinitate dici tres hypoſtaſes deberent, diu inter ſanctiſſimos Orientis & Occidentis Epiſcopos dimicatum eſt, adeò ut B. Baſilius, alioquin modeſtiſſimus, hæreſis notaret Occidentales, qui eas voces admittere recuſabant, quòd crederent idem eſſe hypoſtaſin, quod ſubſtantiam, nixi auctoritate Concilii Nicæni, anathema in eos dicentis qui aſſererent, *Filium eſſe ex alia Uſia, vel Hypoſtaſi.* (a) Hæreticos omnes re-

(a) V. S. Baſil. ep. 78. & ep. 1. in addit. & ep. 10. S. Hieron. ep. 57. ad Damaſ.

baptizandos eſſe multi Africæ, & Orientis Epiſcopi cenſuerunt, pietate ac doctrinâ inſignes, quorum agmen B. Cyprianus duxerat, nec priùs pax inter Catholicos facta, quàm Stephano Papâ litem dirimente, cujus etiam ſententiæ Cyprianus tandem acquievit. (a) Ortâ Semipelagianâ hæreſi, certum eſt, re in Eccleſia necdum ſatis illuſtratâ, aut decisâ, multos ſanctitate ac doctrinâ inſignes viros ei adhæſiſſe, ut teſtatur S. Proſper *Epiſtolâ ad Auguſtin.* & Caſſian. *collat. 13. cap. 7. & c 8. & 9.* inter quos numerantur Gennadius, poſteà Epiſcopus Maſſilienſis, Severus Sulpitius Epiſcopus Bituricenſis, immò, ut multis probare nititur Vaſq. *1. p. d. 91. cap. 8.* S. Joannes Chryſoſtomus.

III. His ergo exemplis palàm eſt, fuiſſe in Eccleſia inter viros ſanctiſſimos, & de rebus graviſſimis crebras longásque contentiones, ſalvâ ſemper fidei unitate, quam omnes profitebantur; hæreticus enim non eſt, niſi qui pertinax, & certæ veritati obtinens: pertinax verò non eſt, qui non convictus, & ſententiâ necdum à judice prolatâ litem adverſario intendit; cùm ergo nec veritas ſatis expenſa, & oculis objecta eſſet, nec ſententia adhuc prolata, extra hæreſin erant, qui dimicabant, immo ipſa dimicatio tantò illuſtriorem veritatem reddebat rationibus utrimque collatis, & quantum haberent, aut non haberent virium, in acie & pugna prodentibus. Eadem ergo Patrum Pariſienſium, & eorum qui illis obſiſtunt conditio eſt: propoſitiones, quas illi tuentur, necdum in Eccleſia damnatæ ſunt, non ergo fidem adhuc tangunt; intra aram confligitur. Si ergo nihil fidei veræque Religioni nocuit, quòd inter Apoſtolos de obſervantia Legalium; inter Orientem & Occidentem de tribus hypoſtaſibus; inter Cyprianum & Stephanum de Baptiſmo hæreticorum: inter Clerum Maſſilienſem & Orthodoxos de Gratia Dei, diu multúmque certatum eſt, cur eidem unitati noceat, ſi de Pontificia auctoritate à Patribus Pariſienſibus excitata, aliqua quæſtio ſit? nondum habent propoſitiones Pariſienſes tot à ſanctitate, à doctrina, à Conciliis ſuffragia, quot Cypriani opinio: hanc tamen tot præſidiis munitam vicit Stephani Papæ ſententia.

Idem

(a) S. Auguſtin. epiſt. 48. ad Vinc. & de Bapt. contra Donat. lib. 2. cap. 4. Vide etiam Vincent. Lirin. adverſus hæreticor. novitates. cap. 9.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Idem in nostra tantò meliori causa, ùt posteà videbimus, sperandum est, Gallis non Zelum & doctrinam tantùm Cypriani, sed etiam pietatem, agnoscendæ veritatis parendíque studium imitantibus. Calvinistæ ergo, cùm nobis dissidium Parisiense objiciunt, tantum eis lucri accedit, quantum si primitivæ Ecclesiæ, quam ipsi quoque veram sanctámque profitentur, Apostolorum Cypriani, Basilii, Patrum Ariminensium ac Massilienlium dissidia objicerent.

IV. Illud verum est, ingens discrimen esse inter domesticas pugnas, quæ inter Catholicos, quæque inter Calvinistas seruntur; istorum enim sunt de summa rei, nec tamen finiri apud illos componíque possunt, omni judice, qui pronuntiet, sublato: unde nulla apud ipsos fides divina est, sed merè humana, incerta, anceps, & agitationis plena, à qua facilis omnino, & prona ad nihil credendum migratio. Quid enim magis ad essentiam, & necessitatem fidei pertinet, quàm isti articuli; Videlicet: *quænam Scripturæ sint verum Dei verbum, quæ non: qui verus Scripturæ sensus, qui non:* ex sensu enim Scripturæ malè accepto omnes hæreses profectæ sunt; pleríque enim Hæreticorum non circa litteram Scripturæ, sed circa sensum errabant: *quot, & quæ Sacramenta sint necessaria saluti: ubi, & quæ vera Ecclesia, extra quam nemo salvatur &c.* In his, inquam, tam necessariis nulla potest esse Calvinistis, & Lutheranis certitudo, & consequenter neque vera fides; apud illos enim & Concilia, & Patres, & Traditio, & Papa, & Miracula, & Ecclesia errare possunt, & certi nihil habent; unde ergo illis certitudo, quâ credunt? *A scriptura*, inquiunt, *quæ nec falli, nec fallere potest; hâc judice, nec alio utimur.* Miserum, & deploratum refugium! scriptura quidem nec fallere potest, nec falli; sed falli vos circa scripturam, & fallere potestis, ùt Ariani, ùt Pelagiani, ùt Macedoniani, ùt Anabaptistæ, ùt Patres Ariminenses, Africani, Massilienses, aliíque, qui omnes tunc maximè in scripturis errabant, cùm scripturis utebantur; quî ergo sciam vos minùs in scripturis, quàm Arianos errare; aut cur vobis vestræque assertioni majorem fidem, quàm Arianis adhibebo, utrisque scripturas prætexentibus? aut quibus ex signis vestram Ecclesiam meliorem esse credam, quàm Arianorum? Date quæso aliquod signum, quo vestra Ecclesia melior, quàm tot hæreticorum appareat. Non habetis miracula, non

Eccle-

Eccleſiæ perpetuitatem, non miſſionem Miniſtrorum, non florem ſanctitatis, non Concilia, non Univerſitatem (in angulo enim latetis) non donum continentiæ, non abnegationis, non denique ullam ex notis illius primitivæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quam veram fuiſſe nec vos negatis; unde ergo agnoſcam apud vos veram potiùs Eccleſiam, verúmque ſcripturarum intellectum, quàm apud alios hæreticos eſſe? Deinde ſi, ùt dicitis, & Concilia, & Patres, & Eccleſia circa verum ſcripturæ ſenſum errare poſſunt, ergo & multò magis errare vos poteſtis, qui nec tantum ſtudii, nec tantum doctrinæ, nec tantum pietatis, quantum illi, habetis; ſi ergo errare poteſtis, unde vobis, unde mihi conſtat, vos non errare? & ſi non conſtat, ergo nihil certi apud vos eſt; & ſi nihil certi, ergo nihil veræ divinæque fidei; quæ ſi eſt, certa eſt; aut ſi certa non eſt, nec fides eſt. Si ſcriptura Sole clarior eſt, ejúsque ſenſus neminem latet, modò, ùt dicitis, oculos aperiat, an omnes hæretici hoc non dixêre? ecquid ergo cauſæ eſt, ut dicatis, tot antiquos Patres, tot Concilia, ipſámque Eccleſiam errâſſe, nec ea vidiſſe quæ Sole clariora ſunt? ſic ergo hæc ſcripturæ claritas non illos ab errore exemit, quantò minùs vos? nulli planè perſuadebitis plus lucis in Sole noctuas, quàm aquilas ſpectare. Plurimi apud Calviniſtas ſunt, qui litterarum ignari legere ſcripturas non poſſunt; iſti fidei ſuæ certitudinem unde, & à quo habent? à ſcripturis? nunquam illas legerunt: à Miniſtris? unde ſciunt ſe abiſtis non falli; felices nimiùm ſunt Miniſtri veſtri, ſi Patribus, Conciliis, Eccleſiâ errantibus, ipſi ſoli immunes ab erroribus, & ſecuri ſunt; ridiculi vos, qui hoc dicitis, inſani qui credunt. Si ad internos inſtinctus, & Spiritûs ſancti afflatus recurritis, planè oſtenditis non ſcripturas judicem, ſed vos, exemplo omnium hæreticorum eſſe; vos ergo, non ſcriptura pro tribunali ſedetis. Nolumus, dicitis, ab Eccleſia, à Conciliis, à Traditionibus, à Patribus, à Miraculis, ab Antiquitate, à Martyribus, à Sanctis, à Legibus judicari, ſed à ſola ſcriptura; ſcripturam verò nolumus, niſi quæ nobis placet, noſtrisque dogmatibus accommodari poteſt; nolumus Epiſtolas Jacobi, nolumus ad Hebræos &c. iſtis enim convincimur; nolumus etiam ſcripturas alias, niſi ad eum ſenſum, quem illi nos arteximus; nos teſtes, nos interpretes, nos judices, ſic tamen, ut, quod nos judicamus, ſentimúsque, inſtinctus, & oracu-

oraculum Spiritûs Sancti appelletur. Quis hîc prudens non videat scripturam quidem prætexi, quod omnes hæretici fecerunt, sed tamen & reipsâ vos judices sedere? Qui leges humanas hoc artificio vellet interpretari, aut potiùs ludere, nunquam audiretur, nec aliud, quàm impostoris nomen referret; quantò magis repellendus erit, qui hoc audeat in leges, & scripturas divinas, in quibus non de rebus fluxis caducisque, sed æternis agitur, & ubi idem est errare, quod perire? Denique nihil hic instinctus, & interna motio Spiritûs sancti Calvinistas juvat; si enim hoc instinctu Concilia, Ecclesia, Patres decepti sunt, & quod ipsi Spiritum veritatis putabant, Spiritus erroris fuit, quantò magis decipi illo fallíque Calvinistæ possunt, tot nominibus Conciliis, ac Patribus impares? Quocunque ergo se vertant, nihil planè habent, quo fidem suam divinam esse, certámque, adstruere possint, sed semper, ut in lubrico sint fluctuéntque oportet, anchorâ destituti; idque, ùt suprà diximus, non in rebus tantùm nullius, aut minimi momenti, sed in summa rei.

V. Dabimus hujus rei luculentum exemplum. Gregorius Blandrata ex Sabaudia oriundus, & Michaëlis Serveti discipulus, (qui sub annum Christi MDXXX. Arianam hæresin tot seculis extinctam revocaverat) in Transylvaniam venit: isthic beneficio Medicæ artis, quam profitebatur, in aulam Sigismundi Principis, mox etiam in gratiam penetravit; nec multò pòst & Regis, & Petrovizii omnium in aula potentissimi Archiater evadit. Inter obsequia curásque medendi venenum paulatim utriúsque animo infudit, mille dicendi blanditiis illecebrisque conditum; erat enim facundus. Facilè, ùt fieri amat, à Rege in Magnates, & tandem in plebem malum vagari cœpit; Calvinistæ ac Lutherani novæ huic sectæ, & numero sectatorum, & potentiâ formidandæ, se totos opponere, & nihil non agere, ut crescentem opprimerent. Ariani certamen expetere, ut in publico conventu, ac Sigismundo præsente palàm disputaretur, Rege in eas partes transituro, quæ suam causam meliùs probâssent. Conventus ac disputatio Varadini habita. Pro Arianis Blandrata, & Franciscus David; pro Calvinistis Petrus Melvius, & Petrus Caroli dixére, aliíque Lutherani. Initium à Francisco factum, qui, ùt scripturam ferè omnem memoriâ tenebat, infinita ex sacris

litteris congeſſerat, quibus Filium infra Patrem collocabat, videlicet: *Pater major me eſt: Qui eſt figura Patris: Quaſi unigenitus à Patre: Omnia à Patre accepit: Non eſt meum dare vobis Regnum; ſed quibus paratum eſt à Patre: De die illo neque Filius novit, ſed ſolus Pater, &c.* Calviniſtæ ex adverſo plures alios textus opponebant, quibus apertè dicitur *Filium & Patrem eſſe unum: Verbum eſſe Deum & æternum: eſſe principium & finem: Ab eo facta eſſe omnia, &c.* Non deerant Blandratæ diſtinctiones, quibus ſe ab his locis ſcripturæ liberaret, videlicet: *Verbum eſſe Deum*, metaphoricè & phraſi uſitatâ ſcripturæ, quâ etiam homines excellenti virtute, aut poteſtate, Dii appellantur: ſic Moſen *Deum Pharaonis* appellari; ſic in Exodo dici, *Diis non detrahes:* ſic in Pſalmis, *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi vos omnes.* Filium in ſcripturis æternum vocari, non quia ſemper fuerit, ſed quia multò ante alias creaturas; nihil verò in ſcripturis frequentius eſſe, quàm ut æterna dicantur, quæ diuturna, &c. Calviniſtæ cùm viderent ex ſolis ſcripturis Arianos vinci non poſſe, immo ex ipſis ſcripturis petere, quæ ſcripturis opponerent, & ita victoriam penes eos futuram, quos hæreſis poſtulaverant, nec tamen convincere poterant, ad Patres & Concilii Nicæni explicationes, & Decreta confugiunt, iſtis repugnare, quæ Blandrata & Ariani proferrent. Hîc enimverò Franciſcus, qui pro Arianis pugnabat, captatâ occaſione Calviniſtas ſuis armis cædendi, palámque triumphandi, *Ecquid*, inquit, *ad artes nugáſque confugitis, quas vos ipſi in Catholicis jam olim damnâſtis? vos mihi Patres objicitis, qui à Patribus defeciſtis? vos Concilia, qui Conciliis nullam fidem, nullam certitudinem adſcribitis? vos hominum cœtus mihi obtruditis, quos toties, ùt mendaces, ùt erroribus plenos reſpuiſtis? Papiſtas, ùt video, redoletis, qui puro & impermixto Dei verbo ablegato ad hominum figmenta, ad Patres, ad Concilia recurritis. Mihi credite, cauſam Dei, & vos ipſos veſtrámque fidem proditis, qui, ne veritati cedatis, oculos ſcripturæ clauditis, & ad traditiones, ac ſtatuta hominum, hoc eſt, in hoſtium caſtra profugitis. Sinite, ſinite auctoritatem nobis humanam opponere, quam & vos ipſi deridetis, & nos ſcripturæ haud patimur præferri.* Hâc oratione cum plauſu acceptâ triumphârunt Ariani, Calviniſtis partim ſilentio & pudore defixis (quid enim reſponderent ſuis armis, ſuis rationibus oppreſſi?) partim in Arianam hæreſin prolapſis, quam & ipſe Rex, & optimates amplexi etiam ſunt. Acta hujus colloquii ab Arianis victo-

victoribus divulgata magno Catholicæ veritatis damno. *Ita narrat Maymburg. lib. 12. Arian. fol. 347.* Hoc aliisq; infinitis exemplis patet, nullam esse Calvinistis, & Reformatis infallibilem certámque normam doctrinæ, quâ & sibi, & aliis certò persuadeant, quæ credunt, aut potiùs quæ opinantur; nec produci ulla ratio poterit, quæ eorum Religionem magis certam magísque fide dignam, quam aliorum hæreticorum reddat.

Ex hactenus ergo disputatis facilè patet, propositiones in Conventu Parisiensi editas nec de summa rerum & fidei esse, nec rebus ac dogmatibus jam decisis certísque quidquam obesse, nec denique unitati veræ fidei obstare; meritò tamen refelli debere curaríque, morbum enim afferunt, etsi non mortem.

LIBER I.

PROPOSITIO I.

RErum temporalium, & Civilium curam Principibus sæcularibus primariò & directò concreditam esse, ingenè fatendum est: quos Ecclesia Christi ùt advocatos protectores, & Justitiæ administros semper venerata est, tamquam illos, qui gladium *à Deo acceperunt ad defensionem bonorum, vindictam verò malorum:* tamquam *septuaginta illos fortes qui custodiunt lectulum Salomonis, omnes accinctos gladiis propter timores nocturnos, & ad bella fortissimos*: & denique ex vaticinio Prophetæ: tanquam *nutritios & altores*, quorum lacte & divitiis se impinguatam & agnoscit, & ingenuè profitetur: adeò ut ex

præscripto Apostoli, *Principibus non bonis tantùm & modestis, sed etiam dyscolis* omnem reverentiam, & subjectionem præstandam esse sentiat, & doceat: nullóque pacto in illorum jura, & administrationem, velut in alienam messem, falcem à Sacerdotibus mitti patiatur, quamdiu videlicet Ecclesiam, veramq; Religionem, cujus filii sunt, aut venerantur, aut saltem in discrimen non adducunt. Ubi enim aram Religionis invaderent, & vastandæ Ecclesiæ, potentiam à Deo acceptam, admoverent; posse illos à summo Pontifice Christíque Vicario, cui tamquam oves supremo Pastori crediti sunt, & Ecclesia coërceri, & nisi acquiescant monenti, etiam exarmari, ne noceant, regnísque privari, dicendum est: *si enim*, teste Apostolo, *etiam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* maximè cùm Pastoris officium, & cura sit morbidas infectásque oves ab integris separare; lupósque non voce tantùm, sed etiam virgâ pastorali arcere, hánque sententiam tamquam divinis litteris expressam, usu omnium sæculorum confirmatam, SS. Patrum non doctrinis tantùm, sed exemplis etiam subnixam, & præsertim à sacris Canonibus, sanctísque universalibus Conciliis clarissimè assertam, omniúmque ferè Doctorum calculis traditam, & cum recta ratione necessariò connexam, omnino retinendam esse.

§ I.

§. I.

Pontifici Romano in Principes sæculares, eorúmque Provincias & Regna Ius aliquod & potestatem dari, non tamen ordinariam & directam.

Summaria.

1. *Necessariam Pontifici Maximo esse aliquam in Principes potestatem.*
2. *Non tamen ordinariam & directam, quod Ipsorum Pontificum testimonio evincitur.*
3. *Et sententiâ D. Bernardi.*
4. *Et Ratione.*

I.

PRima Parisiensis Propositio omnem in Reges potestatem adimit Vicario Christi, jubéque unâ clave contentum, quâ cœlum aperit, alteram, terræ destinatam, Regibus relinquere. Contrarium paullo pòst ostendemus: cùm enim tanta sit cælestium cum terrestribus conjunctio, & Principes eodem sceptro, quo Regna moderantur, Religionem simul fidémque aut concutiant, aut custodiant: & quemadmodùm ægro corpore anima quoque laborat, nec operationibus naturæ suæ congruis defungi potest; sic ægrâ, corruptâque Republicâ, non potest Religio florere, quod nimiùm exempla demonstrant eorum Principatuum, in quibus ex Principum erroribus, inertiâ, mutatione Religionis, eadem mala in populos derivata sunt, & tandem cum animarum tanta, æternáque clade fides Catholica penitùs deleta; quod nuper in Angliæ Regno manifestè apparuit, ubi quantum sub Henrico VIII. Rege Schismatico Catholica Religio damni est passa, tantum sub Maria Principe Catholica reflоruit, & sub Elisabetha omnino extin-

cta est, memorabili exemplo, ex Principum nutu & voluntate non facultates tantùm subditorum, sed etiam animas pendere. Sic cùm Gustavus Erichsonius Sueciæ Rex Lutheri partes amplexus esset, eâ præsertim ratione inductus, ut regium ærarium Ecclesiasticis bonis repleret; ejus exemplum úsque in hanc diem toti Regno fatale fuit. Idem Regno Daniæ infortunium Christiano III. ad Lutherum dilapso. (a) Non potuit ergo Summo Ecclesiæ Pastori una potestas sine altera concedi, spiritualis videlicet sine temporali, cùm unam sine altera tueri non possit, & ideò juxta celebre Juristarum axioma: concesso uno, conceduntur omnia, quæ ad illud sunt necessaria. (b)

II. Hanc tamen potestatem non esse directam, & ordinariam, efficacissimè probatur ipsorum Pontificum confessione. Nicolaus I. Epistola 8. ad Michaëlem Imperatorem sic loquitur: *Quoniam idem mediator DEI & hominum, homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriúsque discrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus inferna demergi: ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus. Ex cap. quoniam. dist. 10.*

Idem Nicolaus in eadem Epistola ad Michaëlem: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typicè Reges simul, & Sacerdotes existerent; quod sanctum Melchisedech fuisse sancta prodit historia, quodq; in membris suis Diabolus imitatus, (utpote qui semper, quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico Spiritu vindicare contendit) ut pagani Imperatores, iidem & Maximi Pontifices dicerentur. Sed cùm ad verũ ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. cap. 6. dist. 96.*

Stephanus VI. Papa Basilio Imperatori: *Rectè noverit*, inquit, *pia potentia tua, quòd manui regiæ non subjiciatur sacerdotalis, & Apostolica nostra dignitas. Licet enim ipsius Christi Imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum, & civilium tantùm curam gerere debes: quod etiam precamur, ut ad multos annos præstare valeas.*

(a) Vide Maymb. l. 1. Luther. fol. 126. (b) Cap. translato. 3. de Const. l. 2. ff. de jurisdict. & l. avibus. 66. ff. de legat. 3.

valeas. Quo igitur pacto à Deo largitus es nobis, terrenis rebus præesse: ita etiam nos per Principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit. &c. Accipe, quæso te, benignâ fronte, quæ sequuntur. Datum est tibi curare, ut tyrannorum impietatem & feritatem gladio potentiæ concîdas, ut justitiam ministres subditis tuis, ut leges condas, ut terrâ marique militares copias disponas. Hæc est præcipua cura potentiæ, & principatus tui. Gregis cura verò nobis commissa est tantò præstantior, quantùm distant à cœlo ea, quæ in terris sunt, &c. Si ovis Dei existis (quod in votis habemus) ne transgrediaris limites Principum Apostolorum. (a)

Gregorius II. Ad Leonem Isauricum Imperatorem: *Obsecutus es pervicaci animo tuo, ac domesticis perturbationibus, & scripsisti:* IMPERATOR SUM, ET SACERDOS. Et post pauca. *Audi humilitatem nostram, Imperator, & ecce! tibi palatii, & Ecclesiarum scribo discrimen, Imperatorum, & Pontificum; agnosce illud, & salvare, nec contentiosus esto. Nam quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesiam introspiciendi, & Electiones in Clero peragendi, &c.* (b)

Alexander III. Oxonienſi Epiſcopo, & Decano Lundonenſi: *Denique quod quæris: si à civili judice ante judicium, vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat? tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti: in aliis verò etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundùm juris rigorem credimus non tenere. cap. 7. de appellat.*

Idem Alexander III. Lundonenſi & Vigonienſi Epiſcopis: *Nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de possessionibus judicare; ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se asserit pertinere; Fraternitati Vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum judicium relinquentes, de causa principali, videlicet, utrum Mater de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis, & causam hujusmodi terminetis. Cap. 7. qui filii sint legitimi.*

III. Eadem eſt D. Bernardi ſententia, qui *lib. 1. de consideratione capit. 6. ad Eugenium Pontificem sic scribit: Non monstrabunt, puto, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itáne imminutor est dignitatis servus, si non vult esse major Domino suo: aut discipulus, si non*

(a) V. Baron. ad ann. DCCCLXXXV. (b) V. Baron. ad ann. DCOXXVI.

non vult esse major eo, qui se misit : aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? quis me constituit judicem, ait ille, Dominus & Magister : & erit injuria servo discipulóque, nisi judicet universos? Mihi tamen videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris, non judicare de talibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cælestibus, & Angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra : quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique excluduri non possessores. Ut sciatis, ait Christus, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Quænam tibi major videtur & dignitas, & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed non est comparatio. Habent hæc infima, & terrena judices suos, reges & principes terræ. Quid fines alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni Vos, sed quia indignum Vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat non ego, sed Apostolus : Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causâ quidem urgente, aliud ultro incumbere istis tamquam magnis, dignísque tali & talium intentione rebus, &c.*

Hactenus D. Bernardus. Ubi vides duas ab illo constitui potestates rerum temporalium, unam ordinariam, quam Regibus adscribit; aliam incidentem, & causâ urgente, quam in Pontifice maximo agnoscit. Idem D. Bernardus, *lib. 4. de consideratione cap. 3.* Pontificem sic alloquitur: *Pastorem te populo huic certè aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus Sedem tenes, Te neges Hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum: Si amas me, pasce oves meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito. Ad ea te potiùs incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens, non est tamen, quòd horreas operam, curámque Pastoralem Pastoris hæres : non est, quod erubescas Evangelium. Quanquam si volens evangelizes, inter Apostolos quidē gloria est tibi? evangelizare, pascere est.*

Fac

Fac opus Evangelistæ, & Pastoris opus impleſti. Dracones, inquis, memones pascere, & scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos non ferro, sed verbo. Quid Tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere Verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad Te pertineret, & ii, dicentibus Apostolis; Ecce gladii duo hîc; non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est; uterque ergo Ecclesiæ, & Spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed hic quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, hic militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris, &c.

IV. Hæc Summorum Pontificum, & D. Bernardi sententia omnino rationi consona est. Potestas enim data est Pontificibus in ædificationem, non destructionem, teste D. Paulo. *2. ad Cor. 10. v. 8.* esset verò potiùs in destructionem, si pro libitu instar ordinariæ ad temporalia se extenderet. Primò enim impediret ipsam potestatem, curámque spiritualem, quam in omnes totius mundi Ecclesias ex officio Papa exercet, quantóque plus curæ temporalibus, tantò minùs spiritualibus impenderet, distractis in diversa viribus, & ideò minutis: idque cum maxima animarum pernicie; si enim, ubi etiam in solam rem Ecclesiasticam, causásque Religionis unicè incumbitur, tam multa negligi videmus, quid fieret, accedente Regnorum curâ? quam rationem Apostolus expressit. *2. ad Timoth. 2. v. 4. Nemo*, inquit, *militans DEO implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

Deinde, cùm oporteat inter Pontificem Max. Regésque velut inter communem omnium Patrem, Filiósque summam pacem, animorum conjunctionem, mutuúmque auxilium intercedere, contrarium potiùs eveniet, communicato Imperio; essentque inter utrúmque discordiæ, lites, simultates, & bella perpetua, sunt enim Imperia velut conjugia, quæ thori socium non admittunt; & ùt canit Poëta.

Nulla fides regni sociis, sempérque potestas
Impatiens consortis erit.

Inter mutuas ergo contentiones, & pugnantia Regum, & Papæ decreta, Respublicæ, & Regna perirent. Inter ipsos Principes

temporales sunt quotidiana dissidia, in quibus si ordinariam judicandi potestatem Papæ concedamus, dum pro uno pronunciat, alium necessariò offendet, exutâ, quæ communem Patrem decet, in omnes æqualitate, amissóque, dum uni studet, aliorum amore, præsertim si Pontifex aliquis contingeret, aut minus affectuum potens, aut partibus addictus. Docuit tot sæculorum experientia, summo Pontifice hanc in Reges potestatem etiam rarò usurpante, & intra necessitatem; Principes tamen gravissimè offendi; Regna, populósque turbari, armaríque; quæ omnia ipsa quidem necessitas excusat, metúsque pejorum, & acerbitas morbi extrema postulantis: quid ergo fieret, si passim, & pro lubitu adhiberetur? Denique Principes ipsi suis in Regnis nati, educatíque mores, consuetudines, legésque locorum, & meliùs callent, & aptiùs necessaria providenti: & quia præsentes, majorem sibi venerationem, amorémque vendicant, nec facilè decipiuntur, cùm rebus ipsis, & negotiis adsint: quæ omnia secus habent in Pontifice absente, extraneo, rerúmque, quæ procul fiunt, ignaro, & plerúmque alienis oculis vidente. Hæc omnia, ùt diximus, efficaciter convincunt, non fuisse necessariam Ecclesiæ, immo noxiam Pontificis Romani in Principes potestatem, nec à Deo concessam, nisi fide, ac Religione periclitante.

Nèque obstat, Papam esse Vicarium Christi, sicq; omnia posse, qua Christus potuit: Nam Vicaria potestas Papæ concessa, terminos suos habet, legem videlicet divinam, & Ecclesiæ utilitatem, extra quos proferri non debet: De jure divino expressi sunt textus in *c. sunt quidam. & c. contra statuta. 25. q. 1.* de utilitate verò Ecclesiæ habemus D. Pauli testimonium. *2. ad Corinth. 10. v. 8.* & sicut Vicarius non omnia potest, quæ Principalis, hoc est, illa, quæ speciali notâ digna sunt, & mandatum expressum requirunt. *cap. 3. de off. Vicar. in 6. c. 2. eod.* Ita nec Papa potest omnia quæ Christus v. g. Sacramenta nova instituere, abrogare antiqua, dispensare in vinculo Matrimonii, bigamiam simultaneam concedere, quæ omnia pertinent ad potestatem excellentiæ, nulli hominum, ne Pontifici quidem communicatam. (a)

§. II.

(a) Vide Cajetan. 2. q. 88. a. 12.

§. II.

Esse in Ecclesia, & in Capite Ecclesiæ, Romano vid. Pontifice potestatem indirectam, cùm urget necessitas tuendæ Religionis, in Reges, eorúmque bona temporalia, ex sacris litteris demonstratur.

Summaria.

1. *Textus sacræ Scripturæ expensi, & primò exemplum Azariæ Pontificis.*
2. *Iojadæ Pontificis, & Phineës sacerdotis: ac exempli utriusque moderatio.*
3. *Eliæ Prophetæ.*
4. *Locus D. Pauli. 1. ad Cor. 6. junctâ PP. explicatione.*
5. *Locus Matthæi 26. ratione, & auctoritate illustratus.*
6. *Locus S. Ioannis cap. ult.*
7. *Alii textus apud Matthæum 28. de duobus gladiis, & Lucæ 22.*

I.

VT à sacris litteris initium ducamus, occurrit primo loco exemplum observatione dignum 2. *Paralip.* 26. ubi Ozias Rex, quamdiu Pontificis Azariæ mandato, & consiliis paruit, gloriâ, & victoriis floruit, ubi verò sacerdotis officium usurpat, leprâ percussus templo & Regno à Pontifice pellitur, & Imperium filio traditur. Verba Scripturæ hæc sunt: *Sed cùm roboratus esset Ozias, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressúsque templum Domini adolere voluit incensum, super altare thymiamatis. Statímque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi restiterunt Regi, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati*

sunt ad hujuscemodi Ministerium : egredere de Sanctuario, ne contempseris : quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino DEO. Iratúsque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statímque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis. Cúmque resp exisset eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, accelerávit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ : & habitavit in domo separatus, plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porrò Joatham filius ejus rexit domum regis, & judicabat populum terræ. Nota, Regem à sacerdotibus non tantùm ut templo exiret, rogatum esse, sed etiam compulsum, & à reliquo populo summi Pontificis arbitrio separatum, & hoc ipso Regno exutum esse : Sic enim habetur *Levitici 13. v. 44. Quicunque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium sacerdotis &c. solus habitabit extra castra.* Sicut ergo ad Sacerdotem pertinebat de lepra Principis cognoscere, & si reperisset infectum, à commercio populi excludere, sícque inhabilem Regno pronuntiare; multò magis in nova lege ad summum Sacerdotem pertinebit de lepra spirituali judicium ferre, & si periculum ex illa Fidelibus immineat, Regnum Principi adimere, ne exemplo, imperio, & potentiâ Ecclesiam corrumpat : quæ causa fuit Adriano, Leoni, & Stephano Romanis Pontificibus, ut Imperatoribus Græcis non tantùm in hæresin lapsis, eámque Decretis, & suppliciis Oriente toto propagantibus, sed etiam Occidentem invasuris Imperium abrogarent. Et quamvis illud præceptum de lepra corporali à sacerdote cognoscenda judiciale fuerit; potuit tamen etiam in lege Evangelica locum habere. (a) Immo quoad lepram spiritualem est præceptum morale, fundatúmque in jure divino Naturali ; ùt jam innuimus, & infrà magis explicabitur.

II. Aliud exemplum est *2. Paralip. 23. & 4. Regum 11.* Ubi Jojada Pontifex Athaliam, quæ Regno injustè occupato idolorum cultum invexerat, puniri jubet, & legitimum Regem solio restitui : Verba Scripturæ sunt : *Produxítque Jojadu Filium Regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plau-*

(a) Per c. 1. de homicidiis. & c. 1. cum seqq. de injuriis.

& plaudentes manu, dixerunt: Vivat Rex. Et post pauca. *Præcepit autem Joiada Centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite Athaliam extra septa templi, & quicunq; eam secutus fuerit, feriatur gladio: Pepigit ergo Joiada fœdus inter Dominum, & inter populum, ut esset populus Domini; & inter Regem, & Populum.* Vides in hac historia, Pontificem Maximum, cùm alios animus deficeret, Reginam tyrannidis damnare, milites conscribere, legitimum Regem solio imponere, fœdus non tantùm inter Regem & Deum, sed etiam inter Regem, & Populum, & conditiones dicere, remque civilem juxta, & militarem curare: Quo jure inquies? naturæ, & necessitatis, ne videlicet impio Principe in thronum sublato, Religio sacerdotibus commissa profligetur.

Si dicas, notoriam hanc fuisse Athaliæ tyrannidem, nullo jure regnum involantis, & ideò non à sacerdote tantùm, sed quolibet subditorum potuisse regno, quod injuriâ tenebat, expelli. *Respondeo:* Quemadmodum Athalium Summus Pontifex regno ejecit, quia nullo jure regnabat: eodem modo, si regnum aliquis sic administret, ut Religioni, & fidei noceat, deponi imperio poterit, quia jus regnandi aut amittit, aut illo est indignus: potest enim aliquis vel ab ipsis initiis regno indignus esse, quia nullum jus regnandi habuit, ut tyranni: potest iterum indignus esse, quia licet regnum legitimè ingressus, postea tamen jus regnandi amisit, aut meretur, ut amittat: utróque casu nullo jure regnatur; primo, quia non habuit; secundo, quia amisit: sicut æquè non videt, qui semper cæcus fuit, & qui aliquando cæcus evasit: æquè hæreditate caret, qui numquam adiit, & qui adiit quidem, sed postea delicto perdidit, ùt patet exemplo Oziæ: paria ergo sunt non habuisse, & perdidisse. Hoc tamen judicium cùm sit de re gravissima, & capita Reipublicæ tangat, quibus omni jure venerationem debemus, soli Pontifici Max. reservatur, cui soli dictum est: *pasce oves meas*, ùt infrà *ex cap. ne aliqui. de privilegiis in 6.* dicetur: alioquin Respublicæ latrociniis plenæ, & parricidiis essent, quolibet qui Principi vim intulisset, causam, & salutem publicam prætexente. Simile exemplum de Phineës summi Sacerdotis filio *Num. 25.* habetur, cujus factum ex eo capite D. Thomas excusat. *2. 2. q. 60. ad 2. quia licet non esset summus Sacerdos, erat tamen summi*

Sacerdotis filius, & ad eum hoc videbatur pertinere, sicut & ad alios judices, quibus hoc erat præceptum. Verba sunt D. Thomæ.

Sed nota circa hæc duo exempla Athaliæ, & Phineës in lege Evangelica non licere Sacerdotibus, multóque minùs Pontifici Max. sanguinem alicujus, præsertim verò Principis, ne quidem consulendo effundere, ùt habetur in *cap. his, à quibus, & c. si in morte. 23. q. 8. & eleganter Gratianus post. c. nos 2. q. 7. Multa* inquit, *concedebantur tunc, quæ nunc penitùs prohibentur, miracula enim, & maximè Veteris Testamenti, sunt admiranda, non in exemplum nostræ actionis trahenda. Tunc enim Samuel Agag pinguissimum Regem Amalec in frusta dividendo conscidit, nunc nulli Ecclesiasticorum judicium sanguinis agitare licet. Tunc Phineës Judæum congressum cum Madianita interfecit, & reputatum est ei in justitiam: hodie Sacerdotibus in perniciē sui officii verteretur.*

III. Eliæ Prophetæ hoc elogium ponit Spiritus Sanctus *Ecclesiastici 48. Quis potest similiter sic gloriari tibi? qui dejecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo, qui ungis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te.* Reges quos unxit Elias fuêre Azaël Rex Syriæ, & Jehu Rex Israël *4. Reg. 19.* Si dicas Eliam id fecisse Dei jussu, non suâ sponte; id quidem verum est, sed idem Dei mandatum Summi Pontifices acceperunt, cùm illis commissæ sunt Oves Christi, quarum custodia necessariò requirit potestatem lupos arcendi, eósque, qui Ecclesiam invadunt, exarmandi, ne, si velint, possint nocere; hoc enim naturale jus defensionis, cùm singulis natura permittat, quantò magis summo Pastori, in eos, qui Ecclesiam, ovésque Christi, ac sibi commissas animas aggrediuntur? hoc, inquam, casu poterit summus Pontifex exemplo Eliæ *dejicere Reges ad perniciem, & confringere potentiam ipsorum, & Reges ungere ad pœnitentiam*; nam teste D. Ambrosio. *lib. 1. de offic. cap. 36.* & S. Thom. *2. 2. q. 60. art. 6. dd 2. Qui non repellit injuriam à socio cùm potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit.*

IV. Efficax est etiam in hanc rem locus D. Pauli *1. ad Cor. 6.* ubi sic loquitur: *Audet aliquis vestrûm habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos: an nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? & si in Vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Videsex hoc textu S. Apostolum agnoscere in Sacerdotibus, & Apostolorum succes-

successoribus potestatem de rebus sæcularibus judicandi, eámque probare argumento à majori ad minus per illa verba: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* quasi dicat: *qui idoneus est ad majora, multò magis erit idoneus ad minora*, ùt ibi loquitur D. Thomas: idque ob periculum, ne ex crebro cum infidelibus commercio, eorumque gratiam captandi causâ, fideles subvertantur. Sed Apostolis circa majora occupatis, hanc potestatem judiciariam vult ab aliis rerum forensium peritis exerceri, quos B. Apostolus *contemptibiles in Ecclesia* vocat, hoc est, respectu eorum, qui propagandæ Religioni, lucrandisque animabus student. Hunc locum sic intellexit B. Clemens SS. Petri & Pauli auditor in *Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 51. Quod oporteat in secunda sabbatorum cognoscere causas. Adsint autem judicio Diaconi & Presbyteri, integrè judicaturi, veluti Dei homines cum justitia. Cùm utraq; persona venerit, prout lex jubet, ambo, qui litigant, statuantur in medio Tribunali, iisq; auditis, sanctè judicium pronuntiate: studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare, ne exeat supra terram judicium in peccatorem, prout in Tribunali consortem, participémque causæ habet Christum Dei.*

S. Anacletus epistolâ ad omnes Episcopos, & Christi fideles. *Si fuerit sæculare negotium, apud ejusdem Ordinis Viros terminetur, judicio tamen Episcoporum, cùm Apostolus privatorum Christianorum causas magis Ecclesiis deferri, & ibidem Sacerdotali judicio terminari voluerit: omnis enim oppressus libere sacerdotum appellet judicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur.* S. Bernardus de Consideratione *lib. 1. cap. 6. Mihi tamen videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu apostolicis viris, non judicare de sæcularibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & Angelos judicabunt.* Et post pauca. *Non quia indigni Vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi, quid censeat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?* Eadem Gregorii VII. Sententia *lib. 8. epist. 21. Habet*, inquit, *Ecclesia Romana potestatem singulari privilegio concessam aperire, & claudere januas Regni cœlestis, quibus voluerit; cui ergo aperiendi, claudendiq; cœli data potestas est, de terra judicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait Beatissimus Paulus Apostolus: nescitis, quia Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Idem docuit B. Gre-

Gregorius Magnus. *2. parte Pastoralis, cap. 7.* ubi ex allegato Apostoli textu agnoscit quidem potestatem in sæcularia Pastoribus datam, sed eâ uti non vult, ut tantò spiritualibus negotiis attentiùs operam navent.

Meritò proinde Jacobus Tyrinus in hunc locum Apostoli: *Nota*, inquit, *hæc judicia causarum sæcularium inter Christianos commutì consuevisse Episcopis, vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, ùt constat ex Clemente Romano, ex lege Theodosii, & Caroli Magni; & ex antiquo Ecclesiæ usu; Judices enim in his causis sederunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsarienses, SS. Ambrosius, Augustinus, Sinesius, alíque Episcopi: sed crescente nimis numero Christianorum, simul & litium, onus hoc rejectum in humeros Judicum sæcularium jam Christianorum, ne, ùt ab initio S. Petrus apud eundem Clementem rectè monuit, Episcopus præfocatus sæcularibus negotiis, non possit vacare verbo DEI.*

V. Huc etiam faciunt verba Christi Domini ad Petrum *Matthæi 16. v. 18. & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & quodcúnque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quod solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Omnium PP. cùm Latinorum, tùm Græcorum sententia est, hisce verbis Petro promissum esse supremum, & Monarchicum Ecclesiæ regimen, in his, quæ pertinent ad bonos mores sanámque doctrinam: ergo etiam omnia media promissa sunt necessaria, sine quibus illa conservari non possunt, & consequenter in bona; & regna temporalia, quæ omnium consensu sunt propter bona spiritualia tanquam media propter finem; concesso enim fine, conceduntur omnia media illi necessaria, alioquin concessio finis erit inutilis: Sicut concesso militari officio, datur unà facultas arma gestandi, hostémque impunè feriendi; & factâ Medico potestate ægrum curandi, conceditur etiam medicinas sanitati necessarias applicandi, & si opus fuerit, etiam membrum infectum præcidendi, sic tamen, ut hoc remedium velut ultimum, magnóque doloti, incommodo, deformitati conjunctum, non liceat, nisi ut pejus malam vitetur, usurpare. Quæ consequentia ex Matthæi verbis adducta non est imaginaria, & Chymerica, sed omnino ex natura rei desumpta, & à legislatoribus, ipsisque Principibus approbata, sic enim loquuntur in *l. 2. ff. de jurisdict. Cui jurisdictio data est, ea quóque concessa esse videntur sine quibus jurisdictio explicari non potest.* Quod optimè animadvertit

Grego-

Gregorius VII. *l.8.epist.21.* ubi: *habet enim potestatem Ecclesia Romana, singulari privilegio concessam, aperire & claudere januas Regni cœlestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi, claudendiq; Cœli data potestas est, de terra judicare non liceat? absit.* Et S. Leo IX. *in epist. adversùs præsumptiones Michaëlis Constantinopolitani, cap.13. His,* inquit, *& aliis quàm plurimis testimoniis jam vobis satisfactum esse debuit de terreno, & cœlesti Imperio, immo de Regali Sacerdotio sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, præcipuè super speciali ejus dispositione in Cœlis, si quoquo modo Christiani esse, vel dici optatis, & si ipsam Evangelii veritatem apertè, quod absit, non impugnatis.* Vides, quo loco S. Leo illos habeat, qui Romanæ Sedi terrenum, vel cœleste Imperium abrogant.

VI. Joannis ultimo sic habemus: *Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro JESUS: Simon Joannis diligis me plus his? dicit Ei: etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos.* Hoc tertiò repetitum à Christo: hunc locum infrà latiùs expendemus: jam hoc solùm argumentum deducimus. Non est dubium omnes Christi fideles, omnésque Magnates ad Christi oves pertinere, & hoc ipso eorum custodiam Petro, Pettique Successoribus commissam esse, saltem quoad regimen spirituale, & illa, quæ salutem æternam spectant; sed fieri potest, immo sæpe factum est, ut eorum saluti expediat, aut etiam sit necessarium, eos in ordinem redigere; sicut Medicus furioso potest, debétque gladium eripere: Cùm ergo ad ovium custodiam curámque hæc potestas fuerit necessaria, summo Pastori omnino concessa est, aut si concessa non est, ergo in necessariis defuit DEUS, imperato quidem fine, sed negatis mediis.

VII. Matth. *18. v.15. Si autem peccaverit,* inquit Christus, *in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos: dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.*

Patet ex hoc textu, esse penes Apostolos, eorúmque successores potestatem judiciariam circa omnia delicta, & injurias in proximum commissas, hoc est, famam, facultatésque, & bona temporalia, aut corporalia, sic videlicet, ut in defectu Magistratûs secularis,

eoque justitiam non administrante, possit ad Ecclesiæ tribunal, velut ultimum asylum, & aram innocentiæ provocari, in quo Theodosii Imperatoris luculentum est exemplum. Auriga nobilis cujusdam Adolescentis pudicitiam fœdaverat, ea de causa à Præfecto militum in vincula conjectus. Instabat dies solemni decursui quadrigarum indicta. Cives Thessalonicenses Aurigam certamini, ùt credebant, necessarium impatienter postulare: sed negante militum Præfecto tam turpis flagitii reum dimitti posse; Populus in rabiem actus Præfectum invadit, trucidatque. Re ad Theodosium delatâ, mirum quantùm exarsit, justâ quidem irascendi causâ, sed præter modum: jubet ergo in eos, qui cædi interfuerant, gladio vindicari, quo decreto innocentes quàm plurimi, nec alterius culpæ rei, quàm quòd oculos non velâssent, involvebantur. Ambrosius evulgato diplomate ad Principem pervolat, eúmque emollit, ac veniam populo impetrat. Sed vix Palatium egresso, novæ faces ab Aulicis accensæ; dicebant: *Hâc indulgendi facilitate populum ad paria, immo pejora invitari, ac veniam unius culpæ, alterius initium fore: nec eadem intra Præfectum stetisse, sed Cæsaris Majestatem eodem vulnere petitam esse.* His, aliísque Theodosius incensus clàm Ambrosio in Thessalonicenses sæviri jubet; quod tantâ factum crudelitate, ut trium horarum spatio septem millia, innocentes pleríque, ceciderint. Ingemuit auditâ clade Ambrosius, Imperatorem Ecclesiâ, sacrísque arcuit, & vix tandem post longam delicti, & publicam expiationem admisit, supplicémque, ac genibus affúsum sic allocutus: *Quam tu pœnitentiam post tam grave scelus ostendis, quæ medicamenta ad vulneratam difficilia adhibuisti? Tuum est*, inquit Imperator, *medicamenta ostendere, meum autem accipere.* Cui Ambrosius: *Quoniam non rectæ rationi, sed animo irato obsecutus sententiam pronuntiásti, conscribe legem, quâ deinceps sententiæ, per iracundiam pronunciatæ, irritæ sint, & nullius momenti, earúmque executio ad triginta dies suspendatur.* Paruit Theodosius, legémque conscripsit, quam videre est *l. 20. C. de pœnis.*

Vide in hoc facto Principis delictum ab Episcopo judicatum, punitúmque esse; nec Theodosium excepisse, aut justè in populum perduellem sævitum esse; aut modum vindictæ militem se ignaro transgressos; aut denique ad Episcopos non pertinere, quam pœnam in suos subditos Principes statuant; nec etiam impo-

impositæ ab Episcopo pœnæ obluctatum, cùm imperaret novam legem conscribi de sententiarum differenda executione, quod utique ad forum politicum pertinet. Quantò minùs Pontifici obluctaretur eadem imperanti?

Ceterùm circa textum allegatum *Matth. 18.* nota illic sermonem non esse de correctione tantùm fraterna, & occulta; sed etiam publica, & coërcitiva, quod communiter interpretes ferè omnes, sanctique PP. docent, & videri potest, *S. Thom. in 4. sentent. dist. 18. q. 2. a. 1.* idque manifestè patet ex eo, quòd testes sint adhibendi, & qui Ecclesiam non audit, sit instar ethnici, & publicani habendus, hoc est, ab Ecclesia separandus, ne suam scabiem & delictum aliis fidelibus affricet, adeò ut nec cibum cum illo sumere, *1. ad Cor. 5.* Nec eum salutare permittaris. *Epist. 2. v. 10. Joannis.* Amittátque jurisdictionem, & auctoritatem judicialem *c. ad probandum. de sentent. & re judic. c. Nos Sanctorum. 15. q. 6.* Quod etiam ad Principes extendi, patet ex eodem *c. Nos Sanctorum. aliisq; eádem causâ 15. q. 6. & c. Gravem. de pœnis:* Modò ii non sint tolerati: toleratis enim jurisdictio non adimitur, quales sunt hodiernâ die multi Principes Hæretici, & olim Cæsares Romani, quibus obediendum omnino est per textum elegantem *in c. Julianus 11. q. 3. c. Sacerdos. causâ 3 q. 7. in fine.*

Benè etiam observat Layman de Sacramento Pœnitentiæ. *c. 10. n. 3.* & Sylvester *v. Excommunicatio. 1. §. 10.* Reges, supremósque Principes Privilegio donatos esse, quò minùs ab aliis, quàm Romano Pontifice excommunicari, aliisque censuris astringi possint, *ex cap. ne aliqui. de privileg. in 6.*

Si ergo qui Ecclesiam non audit, habendus est ùt ethnicus, & publicanus; adeò, ut ex doctrina Apostolorum, cum illo tanquam infami nec cibum sumere, nec salutare, nec alio commercio humano uti liceat, patet potestatem spiritualem se ad temporalia etiam extendere, indirectè, quatenus ista illi deserviunt; illa enim separatio non tantùm est à suffragiis Ecclesiæ, & beneficiis spiritualibus, sed etiam temporalibus, ùt patet.

VIII. *Lucæ 22.* hæc ad Apostolos Christus dixisse legitur: *Qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium; dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod*

scriptum est, oportet impleri in me: Cum iniquis deputatus est; *etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hîc: at ille dixit eis: satis est.* Hæc Christi sententia difficilis videtur, & cum ipsius doctrina pugnare: hîc enim jubet tunicam vendi, & gladios emi; cùm tamen alibi aut præcipiat, aut consulat tunicam auferenti pallium dimitti, & percutienti maxillam alteram offerri: & *Matthæi 26. v. 52.* Petrum in milites invectum, & gladio grassantem cöercet: *Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Cur ergo jusserat gladios emi, & Petrum ferro succinctum non tantùm non prohibuerat, sed etiam comitem acceperat, si noluit, ut gladio uteretur? Varias SS. PP. cùm mysticas, tùm litterales explicationes adhibent, & illam præsertim: *Voluisse Christum Dominum duplici gladio duplicem potestatem exprimere Petro commissam, spiritualem videlicet, & temporalem: istam vero in vaginam recondi, hoc est, non manu, sed nutu, & præcepto Petri; nec vindictæ, sed necessitatis causâ exerendam.* Sic omnino S. Bernardus *lib. 4. de Consideratione ad Eugenium.* S. Anselmus *in Matthæum c. 27.* Bonifacius VIII. *in Extravag. Unam sanctam. de Major. & obed. Abb. in c. novit. de judiciis.* Et Cornelius in *c. 26. Matthæi n. 5. Allegoricè*, inquit, *interpretes passim per duos gladios accipiunt duplicem Ecclesiæ potestatem, spiritualem videlicet, & temporalem.* Patet ergo ex allegato Lucæ textu, & juncta PP. explicatione, utrámq; potestatem, spiritualem & temporalem duplici gladio significatam Apostolis, eorúmque Successoribus concessam esse, modò illam non vindictæ causâ, sed utilitatis usurpent, & gladium nutu & auctoritate, non manu exerant.

Hæc non nostro arbitrio, sed ex SS. litteris deducta, & PP. suffragiis, ac sensu explicata sufficient, illis convincendis, qui veritatem, non aliud quærunt: aliud enim quærentibus nec ista, nec mille alia satis erunt, animo semel in contrarium obstinato, & veritati latvam opponente. Ceterùm cùm Parisiensis Conventus in sua declaratione Sacrorum Canonum observantiam adeò summis Pontificibus inculcet, iisque velit obstrictum; multò magis fatebitur Episcopos Papâ inferiores Canonibus alligari, nec posse ab illis dissentire. Videamus ergo, an nostram hanc Doctrinam sacri Canones apertè doceant.

§. III.

§. III.

Primus Textus Canonicus ex c. novit 13. de Judiciis.

Summaria.

1. *Laus Innocentii.*
2. *Causa hanc Decretalem ad Galliæ Prælatos scribendi, bellum Philippi Augusti Galliæ, & Richardi Angliæ Regum.*
3. *Decretalis Innocentii.*
4. *Aliud simile Innocentii factum in causa Ingeburgæ Galliarum Reginæ.*

I.

PRæmittimus aliis hunc textum Canonicum, quia Innocentium III. Auctorem habet laudatissimum Pontificem Doctrinâ, & Sanctitate pari; quique non priùs summam dignitatem acceptare voluit, quàm Deo manifestis miraculis Electionem approbante; tantæque moderationis luxúque abhorrentem, ut argentea in pauperes distribueret, solis è ligno, vitróque vasis contentus.

Deinde quia ad Galliæ Prælatos exaratus, reíque nostræ apprime serviens. Huic Pontifici Innocentio P. Ludovicus Maymburg pulcherrimam statuam, & monumentum posuit, tot enconiis sculptum, tot coloribus exquisitè pictum, ut Innocentium videatur velut exemplar omnium virtutum, quæ alii Pontifices imitari quidem debeant, sed assequi non possint, æternitati ac famæ commendâsse. Illius variam, & incomparabilem doctrinam, quâ universitatem Parisiensem, omnium scientiarum matrem illustravit, omnésque qui tunc temporis florebant, Doctores post se reliquit: Illius flagrantissimum tuendæ ac proferendæ Religionis zelum: Illius animum insuperabilem, & adversùs omnes mundi potestates invictum: Illius Prudentiam, Illius Majesta-

tem Pontifice dignam, & denique præcellentem sanctitatem cœlis oxæquat. *V. l' histoire des Croisades l. 7. f. 31. & l. 11. f. 223.* In hujus ergo Pontificis, tam sancti sapientisque doctrina, quæ meritò pro doctrina Ecclesiæ Gallicanæ, & universitatis Parisiensis habenda est, nil puto habebit Maymburg, quod jure meritóque reprehendat, sed illius testimonio vinci se utique patietur, quod adeò laudavit, omníque exceptione majus professus est.

II. Causa scribendæ Decretalis hæc fuit: Diuturno inter se bello Philippus Augustus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges conflixerant, sed tandem inter utrúmque operâ Innocentii III. quinquennales induciæ pactæ, dilato potiùs bello, quàm finito. Richardus in Aquitaniam excurrens, telo ictus interiit, & Joannem successorem habuit. Hic cædis, quam Arcturo Nepoti obtulisse dicebatur, & injuriarum in Proceres Aquitaniæ postulatus à Philippo Galliæ Rege causam dicturus evocatur, siquidem Comitatum Pictavienſem, aliásque in Gallia Provincias beneficiario jure obtinebat. Sed cùm ad diem Anglus non adesset, omni jure, quod in Galliis habebat, mulctatur, armísque illatis invaditur. Ille ad Innocentium Papam velut ultimam naufragii tabulam. Pontifex missis Legatis pacem utríque imperat, & judicio litem agitari jubet, sed Gallus victoriam sibi è manibus rapi causatus, à Legato ad Pontificem provocat, & interim causam bello prosequitur, Nordmanniam, & quicquid Anglorum fuerat, in fidem recipit, subigítque, Joanne in Angliam compulso. Quem exitum res habuerit infrà dicetur. Vide interim Spondanum ad annum MCC. & MCCIII. Morerum in Theatro Historico Gallicè edito in *vita Philippi Augusti.*

III. Jam Decretalem audiamus. *Innocentius III. Prælatis Archiepisc. & Episcopis per Franciam constitutis. Novit ille, qui nihil ignorat, qui scrutator cordium est ac conscius secretorum, quòd charissimum in CHRISTO filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem, de corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ diligimus, ad honorem, & profectum, & incrementum ipsius efficaciter aspiramus, exaltationem Regni Francorum, sublimationem Apostolicæ sedis reputantes, cùm hoc Regnum benedictum à Deo, semper in ipsius devotione permanserit, & ab ejus devotione nullo unquam, sicut credimus, tempore sit discessurum. Non putet ergo aliquis, quod jurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus; sed cùm Dominus dicat in*

tum in Evangelio: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solùm; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos: quod si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et Rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quòd Rex Francorum peccat in ipsum, & ipse circa eum in correptione processit secundùm Regulam Evangelicam, & tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ; quomodo nos, qui sumus ad regimen universalis Ecclesiæ supernâ dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundùm formam ipsius? non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus. Non igitur injuriosum sibi debet Regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico judicio se committat; cùm Valentinianus inclytus Imperator suffraganeis Mediolanensis Ecclesiæ dixisse legatur: Talem in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincerè nostra capita submittamus, & ejus monita (cùm tanquam homines deliquerimus) suscipiamus necessariò velut medicamenta curantis. Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator, & Carolus innovavit; de cujus genere Rex ipse noscitur descendisse: quicúnque videlicet litem habens, sive petitor fuerit, sive reus, si judicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine ulla dubitatione, etiamsi pars alia refragetur, ad Episcoporum judicium dirigatur. Cùm enim non humanæ constitutioni, sed divinæ potiùs innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocúnque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam cœrcere. Sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. Cæterùm scriptum novimus: Ita magnum judicabis, ut parvum, neque erit apud te acceptio personarum, quam beatus Jacobus intervenire testatur: Si dixeris ei, qui est indutus veste præclarâ: tu sede hîc bene: pauperi verò, sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. Ideóque universis vobis per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus sententiam nostram recipiatis humiliter, & faciatis ab aliis observari: licet enim hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, præcipuè, cùm contra pacem peccatur quæ est vinculum charitatis. Postremò cùm inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & utrínque præstito juramento fir-

to firmata, nunquid non poterimus de juramenti Religione cognoscere, quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere ? Ne ergo tantam discordiam videamur dissimulando fovere, prædicto legato dedimus in præceptis, ut (nisi Rex ipse vel solidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel saltem humiliter patiatur, ut idem Abbas & Archiepiscopus Bituricensis de plano cognoscat, utrùm justa sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel ejus exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis litteras duxit exprimendam:) juxta formam sibi datam à nobis procedere non omittat. Hactenus Innocentii Decretalis: ex cujus historia textúque multa colliguntur notatu digna, nostróque argumento servientia : videlicet non esse quidem Pontificis directè & immediatè se causis feudalibus, & negotiis Regum immiscere : posse tamen, & debere ab eo id fieri, cùm Ecclesiæ interest ; cùm de peccato, perjurio ac fœdere violato agitur ; tunc enim partes Pontificis esse, Regibus pacem imperare, eorum causas cognoscere, appellationes ad se factas etiam in causa temporali recipere: neque hoc novum, sed jam antiquis legibus constitutum, ùt ex Evangelio constat *Matth. 18.* & explicat D. Thomas. *2. 2. q 33.* Maldonatus *in Lucam c. 18.* Ex edicto Valentiniani Imperatoris (*quod habetur in historia tripartita lib 7. c. 8.* & apud Gratianum *in c. Valentinianus. distinct. 63. Ex lege Theodosii Imperatoris, quæ est prima titulo de Episcopali judicio in C. Theodosiano:* & apud Gratianum *c. quicunque. & c. sequenti causâ 11. q. 1.* Neque hanc Pontifici Auctoritatem negavit Philippus Rex, cùm & ipse ad eundem Pontificem provocaverit, teste Æmilio rerum Francicarum scriptore *lib. 6.* & Spondano *ad annum* MCCIII.

IV. Idem Innocentius ad hunc ipsum Philippum Augustum Regem Francorum, Archiepiscopum Capuanum anno MCXCVIII. legatum miserat, ut eum cum Ingeburga filia Regis Daniæ in gratiam redire cogeret, quam vigesimâ octavâ à nuptiis die repudiârat, superinductâ Agnete : ob quam causam Concilium Prælatorum Galliæ Innocentius indicit, ad eósque Petrum Cardinalem Capuanum delegat, à quo excommunicatio in Regem, & interdictum toto Regno pronuntiatur, adeò, ut præter baptismum parvulorum, & Sacramentum pœnitentiæ morientibus administratum, nec divina officia, nec Sacramenta alia in Galliis haberentur, jacerentque sparsa & insepulta in plateis cadavera, clausis Ecclesiis, & cœmeteriis omnibus : quæ res Philippum adeò incendit, ut Epi-

scopos

scopos Clericósque Papæ obsecutos, & interdicti executores, alios Ecclesiâ & bonis pelleret, alios verò in suas partes traheret. Sed Gallis octo mensium interdicto jam fessis, & in Regem conclamantibus, Romam Legatos mittit, qui Innocentium flectant. Negat iste veniæ locum esse, nisi legitimâ uxore in thorum receptâ. Evicit Regem Pontificis constantia, & Agnetem quantumvis gravidam, & partui vicinam dimisit, revocavítque Ingeburgam, quæ in palatium quidem, sed non amorem admissa, paullo pòst mœrori & fato cessit. Perierat Philippus medico parcente, & lethale obstinatúmque malum mitiùs palpante. Vide Spondan. *ad ann.* MCXCVIII. *Innoc. lib. 2. epist. 186.*

§. IV.

Secundus Textus Canonicus ex cap. licet 6. de votis.

Summaria.

1. *Causa hanc Decretalem scribendi, & Historia Henrici, & Andreæ Hungariæ Regum.*
2. *Ipsa Decretalis.*

I.

Scripsit hanc Decretalem Innocentius III. ad Andream Ducem, Hungariæ Regis filium secundogenitum, anno primo sui Pontificatûs, Christi MCC. Scribendi causa hæc fuit. Urgebat Innocentius expeditionem Christianorum Principum in Palæstinam, terrámque sanctam, & multos jam permoverat. Inter istos Bela III. Hungariæ Rex voto se obligavit Hierosolymas cum exercitu movendi: sed morbo derepentè occupatus, jámque moriturus, Andreæ filio mandat, votum exequatur, nisi faciat, paternam maledictionem, & diras minatus. Extincto Belâ Henricus major natu filius rerum potitur. Andreas

conscripto exercitu, acceptóque vexillo crucis cum infidelibus instare videtur, ex insperato arma & acies in fratrem vertit, Regnum, quod natura negabat, ferro invasurus. Stabant acies in conspectu procinctúque pugnandi, cùm Henricus positis armis, sceptrum manu quatiens, nec alio, quàm innocentiâ suâ comite ad fraternas acies procedit, altâque voce: *Essétne aliquis*, inclamat, *qui legitimo Regi vim auderet inferre, & ejus sanguine manus impiare, cui defendendo sanguinem deberet?* Quis crederet? Majestate non tam supplicantis, quàm imperantis, victi milites, inermi se dedunt, Regémque acclamant. Hæc ubi ad Innocentium delata, præsentem Decretalem ad Andream exarat, jubétque, ut se voto exsolvat; nisi pareat, diris feriendus, & paternam hæreditatem amissurus. Paruit Andreas, Regnúmque adeptus bellum quidem sacrum aggressus est, sed continuò abrupit, præcipitato, quòd illic res turbarent, in Hungariam reditu. (a)

II. Jam verba Decretalis audiamus. *Innocentius III. Andreæ Duci. Accepimus, quòd cùm Rex Hungariæ Pater tuus agens in extremis, votum, quod voverat Domino, Hierosolymitanam Provinciam in forti manu humili corde visitare, sub interminatione maledictionis paternæ, commiserit tuæ fidei exequendum, & tu assumpto crucis signaculo, te id impleturum sine dilatione qualibet promisisti: Verùm eodem Patre tuo sublato de medio, cùm Hierosolymitanum hoc iter te arripere simulasses, assumptæ peregrinationis oblitus, quoniam contra inimicos crucis dirigere debueras, in fratrem tuum, & Regnum Hungariæ convertisti aciem bellatorum, & multa contra serenitatem regiam malignorum usus consilio commisisti. Nos autem, quos diebus istis ad Pontificatûs officium licet immeritos Dominus evocaveit, tam paci Regni Hungariæ, quàm tuæ volentes saluti consulere, nobilitatem tuam rogamus, & monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus postpositis ceteris solicitudinibus, usque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis, debitum acceptæ crucis exolvens, propositum iter arripias, & humiliter proseguaris. Ne, si onus tibi à patre injunctum, & à te sponte susceptum, occasione quâlibet detrectaveris, paternâ te reddas successione indignum, & hæreditatis emolumento priveris, cujus recusaveris onera supportare, sciturus ex tunc Anathematis te vinculo subjacere, & jure, quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in Regno Hungariæ competebat ordine genituræ, privandum, & Regnum ipsum ad minorem fratrem tuum appellatione postpositâ devolvendum.* Hic

(a) Vide Innoc. ep. 122. l. 3.

Hîc iterum Pontificiam in Reges auctoritatem Innocentius exercuit, nec enim satis habuit spirituales pœnas denunciare, quas plerúmque haud magni Principes faciunt; sed temporales etiam adjungit, quæ plus doloris habent; Regni videlicet privationem: cùm enim de bello sacro ageretur, inferendâque Catholicâ fide terris à barbaro usurpatis; tanti hæc res momenti videbatur, ut posset à Vicario Christi quâvis honestâ ratione urgeri.

§. V.

Tertius Textus Canon. ex c. venerabilem 34. de elect.

Summaria.

1. *Imperium Romanum à Constantino divisum. Eruli Gothique Italiæ dominantur, à Belisario & Narsete victi expulsique.*
2. *Alboinus Longobardorum Rex Italiam subigit. Gregorius Papa Martellum Francorum Regem contra Longobardos implorat, Consulatum offert, & in Leonem Isauricum Italiam armat.*
3. *Extincto Martello regnum Franciæ Childerico ademptum & Pipino datum auctoritate Zachariæ Pontificis. Stephanus III. Carolinæ stirpi magnates Franciæ juramento adstringit.*
4. *Pipino jus Regium à Stephano confirmatur. Pipinus Aistulphum Regem Longobardorum vincit obsidetque. Pax conditionibus facta. Pipinus iterum cum exercitu in Italiam. Ecclesia Romana amplissimo patrimonio aucta. Copronymi postulata à Pipino rejecta. Moritur.*
5. *Carolus & Carlomannus Franciæ Reges ob nuptias cum Longobarda à Pontifice correpti emendatique. Carolus Magnus*

Desiderium & Ticinum capit. Romæ excipitur, & ab Hadriano Pontifice amplissimo privilegio donatur. Græcos vincit cæditque.

6. *Carolus iterum armatus Romam: Leonem Pontificem vindicat, ab eodem Occidentis Imperator Augustus constituitur. Origo & Regnum Francorum à Germanis.*

7. *Causæ, ob quas Imperium Occidentis à Leone Pontifice Francis delatum. Horum in Ecclesiam beneficia. De Regni Francici perpetuitate. Necessitas Imperium in Francos transferendi.*

8. *Carolus cum Irene Imperatrice componit: hujus virtutes & vitia. Et iterum cum Nicephoro Logotheta Imperatore. Pontificis Romani in Reges auctoritas totâ hâc historiâ sæpius ostensa & exercita.*

9. *Auctoritate Pontificis factam Imperii translationem testimonio probatur, etiam Gallorum, & Acatholicorum, præsertim confessione ipsius Ludovici Imperatoris.*

10. *P. Ludovici Maymbourg. Soc. Iesu de hac re sententia, ejusq; rationes: Refutatur testimoniis Basilii, Nicephori, Phocæ, Henrici II. Imperatorum: ex annis & calculo Imperii: ex ipsius Maymbourgi & Ludovici Imperatoris confessione: ex Synodo Ticinensi, quam Galli Scriptores agnoscunt, Galliæque Prælati approbant: ex ratione demum, & objectorum solutione.*

11. *Multa in historia Patris Maymbourgi notata. Hactenus dicta brevi dilemmate concluſa & confirmata.*

12. *Imperium auctoritate Pontificiâ in Germanos transit demumque Saxonicam.*

13. *Recitatur ipsa Decretalis* Venerabilem.

I.

TExtus hujus Decretalis *Venerabilem* est singularis, & Innocentium III. Auctorem habet, pro qua intelligenda sciendum est, Romanum Imperium olim Orientem & Occidentem complexum esse, sæpe ab uno, aliquando à pluribus, indivisim tamen, Imperatoribus administratum, donec Constantinus Bizantio ædificato Consules, Senatum, & omnia Romæ privilegia eodem transtulit, ac Imperium inter filios divisit, Occidentem Constantino Juniori, & Constanti; Orientem Constantio partitus.

Constantino igitur magno anno CCCXXXVII. è vivis sublato, prima divisio Imperii facta, Romanisque Aquilis duo capita nata: sic tamen scissum Imperium, ut Cæsaris utriúsque nomine leges ferrentur, & altero sine liberis functo alter succederet. Immo ab uno sæpe Imperatore utrúmque Imperium administratum est; nam Constantinus, Julianus, Jovianus soli imperârunt

Valentinianus anno CCCLXIV. Occidente contentus, Orientem Valenti fratri suo cessit. Ab hoc tempore usque ad Augustulum Occidentis Imperatorem, hoc est, annum CCCCLXXVI. duobus Imperatoribus Oriens Occidensque parebat.

Anno CCCCLXXVI. Odoacer dux Erulorum, qui populi Scythiæ sunt, religionis Arianæ, in Italiam ab iis, qui Nepoti Imperatori favebant, invitatus transit, Venetos expugnat, Augustulum prælio victum captúmque abdicare Imperium cogit. Causa occupati ab Odoacre Imperii hæc fuit. Nepos Imperator Orestem Patricium militiæ & copiis præfecerat. Hic majorum avidus, Nepotem Imperatorem in fugam agit, & filio cui Augustulo nomen, Imperium defert. Qui Nepoti studebant, injuriam suâ & omnium strage ulturi, Odoacrem Erulorum Ducem in Italiam vocant. Hic Nepote & Augustulo in Ordinem redactis Imperium capit. Miserrima tunc Ecclesiæ facies sub infidelium dominatu. Italiam, Hispaniam, Africam, Gothi Wandalíque Ariani, Galliam Idololatræ, Orientem Zeno hæreticus gubernabat.

Anno CCCCLXXXIX. Theodoricus Gothorum Rex, & ipse Arianus, Italiam bello invadit, & cùm Odoacrem Ravennæ

biennio obsessum non vinceret, Italiam cum illo dividit. Sic Imperio Occidentis barbari, Gothi videlicet Wandalique magna ex parte potiti. Fuit Theodoricus bello impiger & consulatum, triumphum, ac equestrem statuam à Zenone Imperatore ob bene merita, devictósque perduelles accepit; immo in filium adoptatus est; sed beneficiis satur, cùm Orientale Imperium bello, sed frustra tentâsset, in Italiam flexit, meliori eventu. Sunt, qui dicant, auctoritate imperióque ipsius Zenonis Italiam contra Odoacrem debellandam accepisse.

Anno CCCCXCIII. Odoacrem Regni socium, & ideò gravem, ad epulas Theodoricus invitat, & nihil suspicantem obtruncat, missisque ad Anastasium Imperatorem legatis pacem ab eo, & Italiam impetrat.

Anno DXXIV. Justinus Imperator Arianos in Oriente agitat, & Ecclesiis pellere aggreditur. Theodoricus Constantinopolim legatos, & inter illos Joannem Pontificem mittit, Arianis pacem à Justino impetraturos. Pontifex summâ omnium gratulatione exceptus, totâ civitate cum facibus ad duodecim milliaria obviam effusâ. Ejus precibus pax Arianis data, non tamen Ecclesiæ redditæ, quæ causa fuit, ut Theodoricus reducem Papam mori compulerit. Secutæ paullo pòst Boëtii & Symmachi Senatorum cædes, & ipsius Theodorici funesta mors, rotam ab eo tempore vertente fortunâ, cùm in Joannem Pontificem sæviit. Regnum Athalarico Nepoti cessit, matre dum adolesceret, gubernante.

Anno DXXXIV. Athalaricus corruptis moribus adolescens octavo Regni moritur, & Theodatum Theodorici ex sorore nepotem successorem habet. Hic Amalasuntham Athalarici matrem exilio primùm, deinde capite mulctat: cujus necem, utpote amicitiâ & fœdere sibi conjunctissimæ vindicaturus Imperator Justinianus, legatos Theodati, qui pacem petebant, domum remittit, & bellum in Gothos parat, ac paullo pòst infert, Belisario Duce.

Anno DXXXVII. Belisarius Siciliam, Neapolim, Romam expugnat, debellatis Gothis.

Anno DXLII. Totilas cum parvâ Gothorum manu bis collatis signis Græcos acie fundit, magnámque Italiæ partem occupat.

Anno DLIII. Totilam victoriis & potenti exercitu ferocem

Justi-

Justinianus Narsete duce vincit cæditque, & paullo pòst Theiam Gothorum fortissimum. Sic tandem Justinianus Imperator operâ fortissimorum Ducum Belisarii, & Narsetis Africâ Italiâque barbaros pellit, & Occidentem Orienti conjungit, utríque Imperio uno Principe, ùt olim, dominante.

Anno DLXVII. Justinus junior per præfectos Italiam gubernare cœpit, quos Exarchos dicebant: istorum dominatione oppressa potiùs Italia, quàm defensa. Hoc eodem anno natæ inter Narsetem Romanósque discordiæ Italiam perdiderunt. Invidebant Narsetis opibus & gloriæ Romani, & ideò apud Justinum Imperatorem, & Sophiam conjugem accusârunt. Justinus misso ad Italiæ præfecturam Longino, Narsetem in Græciam revocat, ubi tantis opibus dicunt affluxisse, ut ingentem cisternam thesauris, quos Italia extulerat, impleret, occisis tamen conscriis ne proderent. Recenti adhuc injuriâ calentem magis magisque incendit scomma Imperatricis, quæ per contemptum jusserat in gynecæum Nasetem ire, illic cum virginibus lanas texturum. Ille in vindictam præceps, missis per legatos opimis frugibus, Longobardos ex Pannonia in Italiam vocat, quam Alboino Duce, Saxonum, Bulgarorum, Sarmatarum, Suevorumque auxiliis præponente invadunt torrenti similes. Ticinum triennali obsidione captum. Alboinus dolo Rosimundæ uxoris ab armigero, quem amabat, infeliciter cæsus. Fuere Longobardi Germana gens ad Albim fluvium, ubi nunc Magdeburgum, & Halberstadium.

Anno DXCI. Longobardi operâ Theodolindæ Reginæ ad fidem Catholicam conversi, & Italiâ potiti, Ravennâ tantùm, Româque exceptis, quæ Græcis adhuc & Exarchis parebant, sed paullo pòst sub Rege Ariovaldo ad Arianos deficiunt.

Anno DCLXIII. Constans Imp. Longobardis bellum, sed frustra movet. Romam venit, & omnia ex ære Urbis monumenta, etiam regulas Constantinopolim transfert. Grimoaldus Longobardorum Rex Catholicam fidem profitetur.

Anno DCCXII. Luithprandus Rex Longobardorum regni sui initio Romanæ Ecclesiæ confirmat donationem, aut potiùs restitutionem Alpium Cottiarum, (quidquid videlicet ab Alpibus usque ad fines Galliæ continetur:) jam nuper ab Ariberto factam.

Anno

Anno DCCXXV. Carolus Martellus Francorum Princeps, & regii palatii Præfectus Saracenos Galliæ infusos vincit, deletque, cæsis unâ die cum Rege Abdirama ter centies septuagies quinquies mille: Gallorum mille quingenti nec plures desiderati. Et iterum in Franciam transire ausos iterum prælio fundit, Avenione receptâ, quam occupaverant. Fuit Martellus Pipini Francorum Principis & palatio Præfecti filius, ex pellice Alpaide, qui à patre hæres scriptus, æmulis (Eudone præsertim Aquitaniæ Duce) oppressis, Franciam moderabatur.

Anno DCCXXVI. Gregorius II. qui tunc Romæ sedebat, victoriis Martelli excitatus, se suamque Ecclesiam Franco defendendam committit, ac toties victoris opem & arma contra persecutiones insidiasque Leonis Isaurici implorat, oblato Romæ consulatu. Causa Francos appellandi hæc fuit: Leo Isauricus sævissimis decretis totâ Græciâ sacras imagines profligaverat, ferro, incendio, tormentis in eos grassatus, qui non parebant. Nec Oriente contentus, ferale edictum Romæ promulgat. Hinc omnium animi ad seditionem versi. Gregorius Papa Imperatore toties monito, nec unquam victo, Concilium Romam indicit: illic Leo hæreticus acclamatur, dirisque percutitur, omnique tributo, quod populus pendebat, Gregorii sententiâ privatur. Atque ut vires consilium juvarent, ad Martellum decreta legatio, consulatus, & dona oblata, protectio, auxilium petita. Martellus se in Italiam venturum spondet, præmittitque Abbatem Corbejensem, qui fœdus sanciat, & Romanis auxilium offerat: hæc præludio Imperii posteà in Francos translati. Gregorius Ecclesiâ velut à naufragio in portum collectâ sanctè defungitur. Vide Cedrenum, Zonar. Spondan. Maymburg. *lib. 1. histor. Iconoclast.* Fredegar. *c. 110.* in Chron. Ubi: *Eo enim tempore,* inquit, *bis à Roma beatus Papa Gregorius claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis, & infinitis legatione (quod anteà nullis auditis, vel visis temporibus fuit) memorato Principi destinavit. Eo pacto patrato, ut ad partes Imperatoris recederet, & Romanum consulatum præfato Principi Carolo sanciret.*

Anno DCCXXIX. Leo Isauricus per Eutychium Exarchum icto cum Luithprando fœdere Romam cum exercitu contendit, Gregorium II. Pontificem maximum capturus. Rex Gregorio obviam progresso ad pedes allapsus veniam sibi, & Eutychio impetrat, aureum-

aureamque coronam, & arma ad sepulchrum D. Petri, trophæa videlicet reverentiæ ponit.

Anno DCCXXXIX. Luithprandus Romam repetit, obsidétque, & vastato circùm agro Romano, ac inprimis Basilicâ D. Petri, exercitum reducit. Causa belli, quòd nollet Gregorius III. Transamundum Ducem Spoletanum tradere, quem Regis crudelitatem fugientem hospitio acceperat. Hinc Longobardorum fortuna occasum spectare.

Anno DCCXL. Gregorius III. semel iterúmque Martellum urget. Luithprando jam urbi imminente, & extrema parante, bis in litteris ad eum datis *Filium Christianissimum appellat*, quem titulum, velut immortale Religionis elogium, Galliæ Reges deinceps observârunt. Martelli præmatura mors expeditionem morata est. Princeps inter felicissimos numerandus, si bonis Ecclesiasticis manum abstinuisset, hac enim de causa funestâ morte consumptus est, de anima litigante adhuc historiâ. (a) Reliquit Martellus duos filios Pipinum & Carlomannum. Hic Romæ Monachum induit, Pipino & Palatium & Regnum moderante, auctoritate regiâ, non nomine; sic enim multis jam annis factum, ut Regibus otium & delitiæ, Magistro palatii vires & auctoritas cederent. Audi Eginhardum Carolo Magno à Secretis ejúsque comitem individuum, sic enim scribit; *Opes & potentia Regni penès Palatii præfectos, qui Majores Domûs dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat: Neque aliud relinquebatur, quàm, ut Regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barbâ submissâ, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecúnque venientes audiret, eísque abeuntibus responsa (quæ erat doctus vel etiam jussus) ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quàm unam & eam perparvi redditûs villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes paucæ numerositatis habebat. Quocúnque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur; sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At Regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus Aulæ procurabat.*

(a) V. epist. S. Bonif. ad Athelbald. Merciorum Regem, & Spond. ad Ann. 741.

Anno DCCLI. Pipinus Romam ad Zachariam Pontificem Legatos mittit, qui expositâ Childerici Regis inter otia & voluptates marcentis vecordiâ, populorum consensu Pipinum Regem exoptantium; Regni & Ecclesiæ periculo sub Principe imbelli, rerúmque omnium negligente; Regnum transferri in eundem Pipinum rogant, solutis Francis eo Sacramento, quod Childerico dixerant ultimo Meroveicæ stirpis: *Hoc omnium esse votum, qui pro studio, pacisque & belli ignaro Principe, alium sapientiâ, victoriis, gloriâ florentem cuperent.* Res diu Romæ agitata. Zacharias tandem Francos juramento solvit, suâque auctoritate, & Procerum consensu Regnum Pipino defert. De hac Regni translatione pluribus infrà. Vide interim Paulum Æmilium rerum Francicarum scriptorem accuratissimum. Eginhardum *in Vita Caroli Magni haud procul initio.*

Anno DCCLII. Moritur Zacharias, qui ut pietatem & beneficia Regum Francorum præmio aliquo donaret, Pipino nominationem Episcoporum ad Ecclesias vacantes concesserat, teste Lupo *Abbate Monasterii Ferrariensis in Gallia, Epist. 81.* Spondano *ad annum DCCLII.*

Anno DCCLIII. Aistulphus Longobardorum Rex Ravennâ, totôque Exarchatu potitus, Romanas ditiones vastat, & Urbi, cujus occupandæ cupidissimus erat, bellum inferre parat. Stephanus III. Constantinopolim ad Copronymum Imperatorem legatos mittit, qui auxilium & arma peterent reliquiis Imperii defendendis. Verba Legatis data, Copronymo nullum aliud bellum, quàm cum Sanctis eorúmque imaginibus agitante. Stephanus ad preces & munera conversus barbarum Aistulphi animum placare aggreditur, sed frustà: immo adjecit minas, se ferro & igni Romam deleturum, nisi Longobardos admitterent. Quid faceret Papa tam vicinâ pernicie? Pipinum compellat. Missi continuò legati Rodigangus Episcopus & Ancharius Dux, qui Stephanum in Franciam deducerent: nec unquam oportunius auxilium jam Urbem Longobardo cingente. Soluta continuò reverentiâ & metu Franci obsidio. Stephanus à Legatis Pipini ad Aistulphum deductus, à quo petitâ, nec impetratâ cum Exarchatu Ravennâ in Franciam contendit: illic omni honore cultûque exceptus, Rege unà cum liberis & uxore non tantùm obviàm

viàm progreſſo, ſed etiam aliquousque Pontificis equum comitante.

IV. Anno DCCLIV. Stephanus Papa jus Regium Pipino confirmat, filios coronat, & traditâ ſibi à DEO poteſtate, Franciæ proceres juramento adſtringit, nunquam ex alia quàm Pipini, hoc eſt, Carolina ſtirpe Reges admiſſuros. Agebat tunc Pipinus Lutetiæ Pariſiorum in Gallia. (a) Eodem hoc anno Pipinus Stephani hortatu, qui bello abhorrebat, miſſis legatis Aiſtuphulum urget, Ravennam, Exarchatum, & injuſtè occupata reſtitueret, nec bellum exſpectaret. Sed ſurdo obſtinatóque ad poſtulata barbaro, cum valido exercitu in Italiam movet: Aiſtulphum in Alpium faucibus occurrentem cædit, fugátque, & Papiæ incluſum obſidet. Stephani rogatu, quem humani ſanguinis cædiúmque expugnatâ urbe pœnitebat, pax cum barbaro iis conditionibus facta, ut Ravennam aliásque civitates redderet, & fidem juramento obſtringeret. Pipinus Victor in Galliam redit duplici triumpho auctus, & quod gentem hactenus bello invictam domuiſſet, & quod Deo, non ſibi militâſſet, exemplo in Regibus raro, ſed glorioſo.

Anno DCCLV. Aiſtulphus pactorum, fidei, ac juramenti negligens in Urbem & Pontificem ſe armat. Ferro, igni, rapinis omnia vaſtata: Virgines etiam ſacræ ſtuprís fœdatæ: incenſa templa, infantes in matrum amplexibus ſinúque confoſſi, omníque crudelitatis genere ſævitum, & Romam exercitus admoti. Stephanus Pipino iterum ſupplex; miſſæque in Galliam litteræ dolore, precibus, querelis mixtæ, quæque non Regem tantùm pietatis & gloriæ avidum, ſed ſcopulos traxiſſent. Pipinus ergo iterum in Italiam cum exercitu. Aiſtulphus in Alpium anguſtiis fuſus & Ticini obſeſſus: nec priùs venia data fœdusque compoſitum, quàm Ravennam, Exarchatum, aliásque civitates omnes, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Auximum, Urbinum, Rhegium, Mantuam, Ducatus Spoletanum & Beneventanum redderet, (b) quæ omnia Romano Pontifici à Pipino donata, &

(a) Vide Anaſtaſium in Stephano III. Theophanem lib. 22. & epiſt. Ludov. pii Imperatoris in Areopagiticis. Spondan. ad hunc annum.

(b) Vide Leonem Oſtienſem hiſt. Caſſin. l. 1. c. 7. Maymb. l. 2. hiſt. Iconoclaſt.

claves per legatos missæ, quas Pontifex velut munus agnosceret, non sibi, sed Petro datum, sepulchro Apostolorum imposuit. Paullo post à Copronymo Imperatore legati adfuerunt, qui victoriam Pipino gratulati, Exarchatum (partem videlicet Imperii) repetebant. In castra admissi, auditique, & à Pipino magnificè responsum. *Græcorum Imperatores à Pontifice Maximo, à senatu, ab Italia tota, à se ipso sæpe & repetitis legationibus rogatos, ut Italiam à barbaris defenderent, nec tantùm non defendisse, hostium furori, & rapinis expositam, desertámq; ab ipsis insuper Imperatoribus, qui tueri debebant, eorúmq; præfectis miserrimè afflictam esse. Pontifici maximo, Vicario Christi insidias structas, & quod barbari non fecerant, sæpiùs in vitam conspiratum esse: Religioni palàm per edicta & supplicia illusum: & denique in Italia non tanquam in ditione Imperii, sed hostili terra à Græcis sævitum. Venisse ergo in Italiam cum armis Pipinum, non ut Græcis Provinciam, sed ut oppressos & innocentes latronibus eriperet. Quam Imperatores Græci pro derelicta habuissent, à se justè occupatam, & cùm posset retinere, Deo tamen donâsse, à quo & Victoriam agnosceret, & cum Gallia tot Regna accepisset, aut Italiâ non indigeret; se ùt victorem, non prædonem adesse; nec spoliis, sed gloria & pietati militare: irent, referrent Copronymo, non priùs spem in Italiam & reditum illi fore, quàm cum gladio, quem pro Ecclesia Pipinus accinxerat, transegisset.*

Anno DCCLVI. Desiderius extincto Aistulpho, à Longobardis in Regem eligitur annitente Stephano, cui omnia promiserat.

Anno DCCLXVIII. Moritur Pipinus, duósque filios Carolum & Carlomannum relinquit, inter quos Regnum Franciæ divisum.

V. Anno DCCLXX. Bertruda Caroli & Carlomanni mater in Italiam profecta, duobus filiis Regibus, duas Desiderii filias jungit: quod ubi Stephanus IV. Papa, intellexit, litteras & Legatos in Franciam mittit, quibus excommunicationem regiis fratribus intentat, nisi matrimonium continuò abrumpant: *Non posse legitimis nuptiis jam innixos alias jungere. Hoc cum Longobardis connubio Franciam, & Religionem periclitari; fœminas enim maritis, Regnis, & antiquæ pietati fatales fuisse: sumpturos animum Longobardos, & Regiâ affinitate nixos, crudeliùs, quàm sub Pipino Ecclesiam vexaturos.* Clausula litterarum flammæ & doloris plena hæc fuit: *Præsentem igitur exhortatio-*

nem

nem nostram atque adjurationem in confessione Beati Petri ponentes, & sanctificium super eam, atq; hostias Deo nostro offerentes, vobis cum lacrymis ex eadem sacra confessione direximus; & si quis (quod non optamus) contra hujusmodi nostræ adjurationis, atque exhortationis seriem agere præsumpserit; sciat se auctoritate Domini mei Beati Petri anathematis vinculo esse innodatum, & à Regno DEI alienum, atque cum diabolo, & cæteris impiis æternis incendiis concremandum deputatum. At verò qui observator & custos istius nostræ exhortationis exstiterit, æternis præmiorum gaudiis cum omnibus Sanctis & Electis DEI particeps effici mereatur.

Præpotuit hæc Pontificis monitio apud Carolum, qui sequenti anno Bertham Desiderii filiam thalamo abdicavit, nuptiis etiam impotentem. Hoc repudium quantumvis Papæ, & Episcoporum judicio factum quàmplures in Gallia offendit, qui pietatem rerum ignorantiæ prætexebant.

Anno DCCLXXI. Moritur Carlomannus, cujus uxor filia Desiderii Regis unà cum liberis ex eo susceptis ad patrem refugit: & Carolus ex decreto Episcoporum, atque Optimatum totius regno Franciæ potitur, exclusis ex Rege nepotibus. (a)

Anno DCCLXXIII. Desiderius Longobardorum Rex Italiæ totius dominium animo agitans, Ecclesiæ ditiones populatur, Exarchiam Ravennatem occupat, & Romam cum exercitu contendit. Causam belli præter dominandi votum, hanc referunt annales, quòd Hadrianus Papa Caroli ex Desiderii filia nepotes nollet Reges consecrare, habilesque paterno regno, cujus tunc Carolus potiebatur, reddere. Dabimus verba Æmilii Gallicarum rerum scriptoris in vita Caroli Magni prope initium: *Longobardus*, inquit, *contendebat, ut, cùm manu Summi Pontificis non modò Pipinus, sed & Carolus, & Carlomannus inuncti fuissent, eorumq; soboli jus regnandi datum à Francis, Hadrianus Pontifex Carlomanni liberos, eosdem Pipini nepotes, Reges appellaret, inungeretq;, quod ejus judicium sanctum apud Francos fore non dubitaret, Regnumq; paternum ad adolescentulos rediturum.*

Hærebat interim Constantinopoli Copronymus Imperator, Italiæ suæ immemor neglegensque. Exarchi, ut in alieno fieri amat, otio & præsentibus fruebantur delitiis futurorum incuriî. Hadrianus ergo Pontifex Maximus Carolum Regem implorat, qui flo-

 rentissimis

(a) V. Adelmum in annal. Regum Franc. ad hunc annum.

rentissimis armatorum copiis cinctus binâ clade custodiis cæsis, Alpes penetrat, Desiderium ejúsque exercitus in fugam avertit ipsumque Ticino includit. Sequenti anno sedente ad Ticinum exercitu, Carolus cum regni sui Ducibus Romam profectus, illic Paschalia agitat, donationem à Pipino factam suâ omniumque Regni Ordinum auctoritate confirmat, Ticinum redit, sextoque mense obsessum, morbo in Longobardos grassante tandem expugnat. Desiderius cum uxore captus Leodium deportatur. Aldagisus filius maritimo itinere Constantinopolim evadit, ubi à Copronymo humaniter acceptus, & Patricius factus. Hic Regni Longobardici occasus fuit, sexto supra ducentesimum, quàm cæpisset anno. Gallicis præsidiis omnia firmata, Carolus novo Regno auctus, & Ecclesia metu hostis tam præpotentis savique tandem liberata, & velut post longam tempestatem in portum appulsa est.

Refert Sigebertus *in Chronico, quod scripsit anno MCXII.* Carolum capto Ticino Romam profectum, ibique in synodo centum quinquaginta trium Antistitum ab Hadriano jus accepisse summum Pontificem eligendi, omnésque Archiepiscopos & Episcopos investiendi: quod ex Sigeberto totidem verbis exscripsit Gratianus *in c. Hadrianus 22. distinct. 63.* quæ tamen à nullo ante Sigebertum memoriæ tradita, ne illis quidem, qui vitam & gesta Caroli ad annos singulos scripsere. Immo affirmant omnes eum Ticino capto non Romam, sed in Franciam celeriter profectum Saxones debellaturum. Et Eginhardus, qui Carolo à secretis fuit, expressè habet, Carolum non nisi quater Romam profectum, hoc videlicet anno in expeditione Longobardica; & DCCLXXX. Voti causâ; & DCCLXXXVI. contra Ducem Beneventanum; & DCCC. quando Imperator à Leone III. est renunciatus. Sed cui bono Sigebertus hoc fingeret? audi Morerum in suo Dictionario Gallico, & ipsum Gallum in vita Sigeberti: *Sigebertus*, inquit, *Henrico IV. contra Gregorium VIII. Urbanum II. Paschalem II. Summos Pontifices adhæsit, quæ causa illi fuit, ut multa scriberet, non in præjudiciũ tantùm sedis Apostolicæ, sed etiam falsa & petulanter effusa.* Vide etiam Spondanum æquè Gallum *ad annum* DCCLXXIV. *num. 3.* quæ ad eundem annum etiam Baronii sententia est. Sed pace eminentissimi Baronii, cui omnem venerationem meritò profitemur, verius videtur Canonem *Hadrianus*, legitimum omnino esse, cùm habeat canones

alios

alios consonantes, videlicet. *c. in Synodo 23. distinct. 63. c. Ego Ludovicus 30. eâdem distinct. & Gratianum ad c. sacrorum Canonum eodem loco:* quos omnes falsitatis arguere, & est difficile, aliisque idem faciendi exemplum præmunire, & toti Decreto auctoritatem ac fidem abrogare: maximè cùm hoc privilegium ab Hadriano Imperatori concessum, à Ludovico & Ottone I. Ecclesiæ remissum fuerit, illíque renuntiatum, ùt patet ex *c. ego Ludovicus, distinct. 63.* & sequentibus. Neque hoc est absurdum, electionem Papæ fuisse Imperatori concessam; licèt enim potestas & jurisdictio Papalis non proveniat ab homine, vel eligentibus, qui potestatem, quam ipsi non habent, aliis concedere non possunt. *Reg. 79. in 6.* sed à solo DEO immediatè. *c. novit. de judiciis.* Nominatio tamen & designatio personæ est ab homine, subjacétque humano Juri, & sæpè pro temporum ratione quoad modum designandi, vel eligendi personam variatum est, ùt patet *ex c. in nomine, distinct 33. c. nosse, distinct. 63. c. licet, de electione. c. ubi. eodem in. 6.*

Anno DCCLXXVI. Aldagisus Desiderii filius classe à Græco acceptâ in Italiam solvit, cujus advenientis famâ excitatæ Longobardorum reliquiæ: inter alios Rogaudus Forojulienſium Dux arma contra Gallos capit, & exercitum ducit. Sed Carolus in Italiam pervolat, mirâque celeritate Rogaudum in ipso belli apparatu opprimit, cædítque. Aldagisus desperatis jam rebus, Regnique repetendi spe omni consumptâ in Græciam vela facit.

Anno DCCLXXXVIII. Simultas inter Francos Græcósque prorumpit. Imperabant Orienti Constantinus & Irene mater, qui auditis Caroli victoriis non tantùm de Italia repetenda, Græcis erepta, nihil cogitabant, sed insuper legatos in Galliam miserant, qui & victori gratularentur, & ejus filiam Rotrudem Imperatori peterent, pacémq; inirent: quæ omnia à Carolo benignè præstita, eóque magis, quòd speraret posse hisce nuptiis Orienti Occidentem conjungi. Sed Irene potentiam Caroli verita, timensque ne Francos semel admissos excludere numquam Imperio posset, sibique commune cum filio sceptrum excuterent; nuptias subitò abrumpit, filióque quantumvis invito, & aliis amoribus flagranti Armenam jungit, Mariam nomine, & Carolum invadit auctore belli & Duce Aldagiso Desiderii filio. Sed victi omnes fortunâ & virtute Caroli; Aldagisus interemptus, & ità ultimæ Regni Longobardici favillæ in ipso micandi conatu penitùs extinctæ, bellúmque in Græcos aversum.

Anno

Anno DCCXCV. Hadrianus Papa deletis Longobardis florentéque Italia moritur. Eâdem die Leo III. mortuo suffectus tanto omnium consensu, & virtutum, quibus præfulgebat, admiratione, ut Hadrianum obumbraret: hinc nata invidia & conspirationes.

Anno DCCXCIX. Paschalis & Campulus Hadriani Nepotes, Leonem III. publico ritu litanias majores obeuntem cum armatorum manu invadunt, & in terram dejecto oculos effodiunt: sed eâdem nocte à Beatis Apostolis sanitati redditus, elusis custodiis Paderbornam ad Carolum evadit, ejúsque armis se, mitrámque vix capite hærentem committit. Humanissimè à Carolo exceptus, & cum magno Optimatum & Antistitum numero Romam præmissus, Rege mox secuturo. (a)

VI. Anno DCCC. Hic tandem est annus, quo Imperium Occidentis in Francos translatum est, & cujus nostræque Decretalis causâ hanc narrationem suscepimus. Hoc igitur anno Carolus cum exercitu in urbem venit, non tam Leonis, quam Christi injurias vindicaturus. Nunquam Romæ tantum exterorum mortalium fuit, duo maxima Orbis capita videre cupientium. Carolus indicto in Ecclesiam D. Petri omnium Optimatum & Præsulum Franciæ Italiæque conventu causas aperit, ob quas armatus in Italiam venerit. Dein criminatores Leonis producti auditique: cùm subitò omnium Antistitum Magnatúmque in hæc verba orta conclamatio: *Nos Apostolicam sedem, quæ est caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodùm antiquitùs mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, jubeat, & canonicè obediemus.* Spondanus *ad hunc annum.* Dabimus etiam verba Pauli Æmilii in historia Caroli Magni lib. 3. *Rerum Franc. Cognituras de Leone Pontifice venerat Rex, cùm igitur ad cognoscendam causam consedisset, qui in Pontificem Maximum manus injecerant, alienis criminibus audaciam séque tegentes, ultro eum accusabant. Carolus quæsitor, Leo idem & accusator & reus. Conjuratores utrúmque & accusatores & rei. Francus dici, recitari, perorari jubebat: hactenus silentium actum. Cùm verò ad rogandas sententias descendit Rex, tunc demum patientia silentiúmque raptum, ac omnis simulatio deposita. Episcopi magis sacrosanctæ potestatis, quàm Regiæ Majestatis memores, consentienti ore reclamavêre: Summũ optimumq; Regem*

(a) Vide Paulum Æmilium in Vita Caroli.

Regem esse Carolum: sed cuinam tandem de Pontifice maximo judicium facere fas esset? Susciperet Leo in gremium causam suam: quiq, in cæteros clavium jus haberet, de se quoque ipse incorruptè judicaret, solo Numine vel teste conscientiæ, vel vindice. Idem pluribus citatis refert P. Maymburg. *ad annum* DCCC. *in hist. Iconoclast.* Leo igitur sibi jus dicturus ambonem conscendit, tactisque sacris Evangeliis, solemni jurejurando innocentiam suam probavit: omnium secuta gratulatio, & perinde ac oraculo cœlis lapso fides Vicario Christi habita. In Sicarios, qui manus Pontifici intulerant, velut Majestatis reos sententia capitis dicta, sed rogante Pontifice exilio mutata. Agebatur dies Natali Domini nostri sacra, & plateas omnes infinita vis mortalium occupaverat, Rege ad sepulchrum D. Petri processuro. Palatio prodiit Francicæ Italicæque nobilitatis flore stipatus, vultu grandi & Majestatis pleno: vibrantibus oculis, & radio quodam, qui venerationem juxtà & amorem provocaret, aspersis: promissâ comâ, vultu roseo, lentóque incessu, & qui heroëm deceret. Paludamentum humeris injectum ex auro textili multóque adamante adstrictum. Sic per longos spectantium & acclamantium ordines progressus ad tumbam D. Petri in genua procidit. Post longas preces surgenti Leo Papa diadema auro & margaritis grave imposuit, ac Imperatorem Augustúmque salutavit. Secuta velut ex condicto Senatûs Populique Romani apprecatio confusis vocibus acclamantium: *Carolo piissimo Augusto à Deo coronato, Magno, Pacifico, & Imperatori Romanorum vita & victoria.* Unctio sacra à Leone coronationi addita, sparsum in populos aurum: & sic tandem in Francos Imperium perlatum auctoritate Leonis III. Pontificis maximi, & Senatûs Populique Romani consensu.

Francorum, si Paulo Æmilio credimus, origo hæc fuit. Captâ incensâque Trojâ nobilissima civium manus Duce Francione ad Mæotin paludem consedit, illic conditâ civitate. Ex his sedibus Duce Marcomiro in eam Germaniæ partem, quæ nunc Franconia appellatur, concessit, eâque occupatâ Faramundum primum apud Historicos Regem habuit (nam Reges jam multò antè habuisse certum est:) sicque Francorum Regnum in Germania est natum: quod post Ciceronem ad Atticum testatur etiam D. Hieronym. *inter Saxones* videlicet, *& Alemannos Franciam incoli non*

tam latam quàm validam. Et Paulus Æmilius, qui res Francicas in Gallia scripsit, uti apparet ex Epigrammate historiæ præfixo: *Manifesta*, inquit, *fides est Franciam Franconiam esse, & indidem ortos, qui Francorum posteà in Galliis consedêre.* Quæ causa est, ut Innocentius III. *in c. Venerabilem 34. de electione*; & Clemens V. *Clement. unicâ. de jurejurando* dicant, Imperium à Græcis ad Germanos translatum fuisse in persona Magnifici Caroli, quem tamen *ex c. ego Ludovicus, distinct. 63.* constat fuisse Regem Francorum: quod omnes etiam historici tradunt, ut appareat & Francos Germanam fuisse Gentem, & Carolum Germaniæ imperâsse, immo in Germania natum esse, quod manifestum est, ex nominibus quæ ventis & mensibus germanicè imposuit, teste Eginhardo *in vita Caroli.* Sub Probo Imperatore suos in Gallia à Romanis interemptos vindicaturi totum penè Romanum Imperium terrâ marique Franci incursârunt, captis Syracusis. A Constante, cùm Gallias invadere parant, victi, & Romanis fœdere juncti, tandem patrium solum egressi, Duce Clodione, circa annum Christi CCCCXXV. Rhenum transmittunt, in Treviros & Gallias penetrant, & sub Marciano Imperatore anno DLVI. ductu Childerici Francorum Regis feliciter Galliæ sæpiùs occupatæ perditæque potiti Regiam Parisiis figunt, testibus Sigeberthone *in Chronico & actis S. Genovefæ.* Spondano ad annum CCCCLVI. *P. Maymb. de la decadenze l. 1. f. 4.* Sub Clodovæo Rege mirum, quantùm Francica potentia & Regnum excrevit: cùm enim Alemanni, hoc est, Germani, qui Rheno à Gallis, Alpibus ab Italia dividuntur, Sicambros Francorum Socios bello vexârent, Clodovæus Alemannis acie & miraculo victis, eorúmque Rege occiso, Alemanniam Regno Francico adjunxit. Sed regnante Carolo, de quo nunc agimus, res Francica ad summum potentiæ gloriæque pervenerat, Boiariâ, Italiâ, Sclavoniâ, Dalmatiâ, Istriâ, Daciâ, quæ Walachiam, Moldaviam, & Transylvaniam complectitur, Pannoniâ totâque Germaniâ, quæ Rheno, Danubio, Oceano septentrionali, & Vistulâ fluvio continetur, in potestatem redactis, & aliquâ insuper, citra Iberum amnem, Hispaniæ parte; ut planè dignissimus tunc fuerit Carolus, cui tot victoriis, & pietate insigni Imperium deferretur.

VII. Et fuerunt omnino causæ quàm plurimæ, quæ hanc translationem Leoni Pontifici Maximo in Francos persuaserunt. Sum-

Summa erant in Romanam Ecclesiam Regum Franciæ merita, quæ jam præcesserant. Clodovæus motti proximus coronam auream, gemmísque distinctam, quam Regnum vocant, B. Petro dono misérat, quasi Francorum Regnum Ecclesiæ defendendæ oppignorâsset. Hincmarus *in vita S. Remigii.* Eosdem Francos tot jam Pontifices, cùm periclitabantur, appellaverant, Pelagius, Gregorius, Stephanus, Adrianus, Leo, felici semper eventu. Pipinus bis in Italiam cum exercitu descenderat, sedemque Romanam à barbaris jam ultimè exspectantem liberaverat, donatísque amplissimis patrimoniis ex serva Reginam fecerat. Carolus ipse in præfatione ad sua capitularia inter alios titulos hunc velut maximè regium suo nomini præfixerat: *Carolus Rex Francorum devotus S. Ecclesiæ defensor, humilísque adjutor.* Et ad Episcopos Hispaniæ in litteris contra hæresin Nestorianam: *Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, Patricius Romanorum, filius ac Defensor sacræ & Romanæ Ecclesiæ*; & in testamento filiis Regibus ante omnia mandavit, curam & defensionem Romani Pontificis susciperent. Verba testamenti sunt: *Super omnia autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, & defensionem sancti Papæ simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino, & à nobis posteà suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur.* Quod testamentum, eóque contentam Regnorum inter filios divisionem Leoni III. per Eginhardum à secretis confirmandam posteà transmisit. (a) Idem denique Carolus jam quartâ vice armatis in Italia & pro Ecclesia stabat; cui ergo Imperium Occidentis majori jure, majoríque merito Pontifex deferret? Accedebat jam à tempore D. Augustini vulgatum inter Patres Vaticinium: *Francorum Regnum perpetuum fore, nec ante mundi finem desiturum.* Meminit hujus Vaticinii D. Augustinus *in libello de Antichristo. tom. 9.* Quæ omnia si cessarent, necessitas tamen extorquebat omni ratione major. Quis enim tunc temporis Romanam Sedem arcémque Religionis contra Barbaros Græcósque alius tueretur? Orientis Imperium olim sub Theodosio totâ Asiâ, Africâ, & Europâ florentissimum jam Barbari majori ex parte obtinebant. Bulgari videlicet, Avares, Saraceni. Vix tanti dominatûs reliquias in minori Asia, Thracia,

(a) Aimoinus lib. 4. c. 94. Ado Viennensis in Chronico. Spondanus ad Annum DCCCVI.

Græcia, Macedonia Imperatores Græci possidebant, & hanc ipsam tantulam partem hæreses multæ, fævæ, cruentæque vastabant, & præsertim Iconoclastarum, quæ à Leone Isaurico nata, per Constantinum Copronymum, & Leonem Armenum Imperatores ducta, plus Catholici sanguinis hauserat, quàm sub Cæsaribus ethnicis antiquæ persecutiones: nec contenta Orientem corrupisse, per edicta & insidias Exarchorum in Occidentem & Italiam devolabat, summo Religionis discrimine. Accedebant domesticæ clades, discordiæque, Irene Imperatrice cum filio Constantino de Imperio pugnante. Solus ergo, qui pulsatæ tot periculis Ecclesiæ subveniret, Carolus Magnus supererat, & vicinus & potens, & pietate potentiam æquante. In hunc igitur summa rerum deposita est, præstitúmque juramentum, cujus forma in libro Rituum habetur, & videri potest apud Spondanum *anno MCCC. n. 3.*

Hiems Romæ à Carolo acta, résque urbanæ & Italicæ curatæ: leges etiam ab illo editæ, quas viginti tribus capitulis comprehendit, inter quas una habetur. *Can. 3. distinct. 19.* in hæc verba: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, ut, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est, cum mansuetudine humilitas, ut licèt vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.*

VIII. Româ profectus Carolus Aquisgrani Legatos Irenes Imperatricis audivit nuptias & pacem ferentes. Rerum in Oriente potiebatur Irene Leonis IV. jam functi vidua, fœmina rarâ pulchritudine parique prudentiâ, eóque Imperio aptissima, amore cum potentia fœderato, & quod vires non poterant, vultu impetrante: sed dominandi ambitio tot in illa dotes corrupit. Filium unum ex Leone susceperat Constantinum juniorem, hunc custodiæ tradit, & matris oblita oculis privat. Si Theophani credimus, Sol ipse indignatus usque in septimum diem pertinaciter latuit, nec Constantinopoli luxit ecclipsi hactenus invisâ. Naves subductâ luce, fama est, aut cæco errore vagatas, aut portu & itinere amisso in anchoris stetisse. Ubi ergo audivit Irene Carolum in Occidente Augustum acclamatum esse, & ipsa ratum habuit, & insuper nuptias & Orientem missis legatis in dotem obtulit; sed

sed ecce negotio adhuc calente Nicephorus I. Imperium invadit, Irene procul relegatâ, & Constantino Leonis filio jam nuper defuncto. Nicephorus Caroli legatos benignè acceptos, donatósque domum remittit, ictóque fœdere Neapolim, Siciliam, Calabriam sibi retinet, reliquum Occidentem cum titulo & insignibus Imperatoriis Carolo permittit.

Vides Lector, velut in tabula brevíque compendio totum hujus translationis contextum, & rerum in Occidente, & Orientе statum, longâ forsan narratione, sed necessariâ, cùm rerum gestarum ignorantia multis impoſuerit. Nec unum tantùm, sed plures actus potestatis à summo Pontifice in Reges exercitæ animadvertes; Cùm Gregorius II. Caroli Martelli protectionem implorat defértque Romanum consulatum: Cùm idem Gregorius Leoni Isaurico in Catholicos sævienti tributum à Romanis pendi solitum abrogat: Cùm Zacharias à Childerico stupido, ultimo Merovingicæ stirpis in Pipinum Regem potestatem, & Regnum transfert: Cùm Stephanus Papa Pipino & filiis Regnum confirmat, Regníque proceres solemni juramento adigit, nunquam ex alia, quàm Pipini, hoc est, Carolina stirpe Regem admissuros: Cùm Hadrianus Papa Carolum & Carlomannum Reges, nuptiis cum Longobarda severè prohibet: Cùm idem Hadrianus à Desiderio Longobardorum Rege, sæpe & importunè pulsatur, ut nepotes ex filia legitimos Regni hæredes pronuntiet: Cùm denique Leo III. Carolum Augustum dicit, coronâ & Imperio Occidentis donat.

IX. Enimverò factam esse hanc Imperii translationem auctoritate Leonis III. Summi Pontificis, probat Bellarminus testimoniis 35. historicorum, quorum verba describit; duodecim Imperatorum, aliorúmque Principum, & septem summorum Pontificum suffragiis, quorum testimonia eo prætextu rejici utique non possunt, quòd in propria causa testari videantur: cùm supremus Princeps non tantùm testis, sed judex esse possit etiam in sua causa. *l. un. Cod. si quis Imperatori maledixerit. l. 54. Cod. de Decurionib. c. cùm venissent 12. de judic. & ibi* Abbas *n. 6.* Godofred. *ad c. ne quis in sua causa.* Azor. *p. 3. lib. 2. c. 7. q. 4.* Laym. *lib. 1. de conscientia c. 5. n. 7.* Estque communis sententia, posse Episcopum vel alium Prælatum esse judicem

in causa propriæ Ecclesiæ, Abbas *in c. 1. de maledicis:* & ipsa experientia, & praxis etiam in Galliis recepta convincit, ubi lite circa Regiam dignitatem & jura coronæ ortâ, nullus alius præter Regem, aut Regis Ministros judex admittitur, ab eóque, cujus causa agitur, sententia fertur, & bellum jam indicitur: quantò id verius erit in Vicario Christi? Cùm enim tribunal Vicarii sit tribunal ipsius Principis, adeò ut à Vicario ad Episcopum appellari non possit, *c. 2. de consuet. in 6. c. Romana. de appellat. in 6.* Eodem modo dicendum erit, tribunal Papæ esse tribunal Christi, nec ab alio lites Pontificiæ dignitati motas, quàm ab eodem Papa finiri posse: & consequenter ejus testimonium, immò sententiam tanquam suspecti non posse recusari, quod omnes etiam Præsules, & optimates Galli confessi sunt, qui teste P. Maymburg. *in histor. Iconoclast. initio anni DCCC. in senatu Romano conclamârunt: Romanum Pontificem à nullo judicari posse, sed judicem sibi esse.*

Verùm ut resista de translatione Imperii per Pontificem Romanum facta omni prorsus suspicione, & velumbrâ careat, dubimus testimonia historicorum, quorum aliqui aut Græci aut Galli, aut Reformatæ Religionis fuerunt, nullámque admittunt exceptionem.

Zonaras author Græcus *Tomo 3. annal. in Vita Constant. & Irenes: Româ prorsus Franci potiti sunt Carolo à Leone coronato, Romanorum Imperatore appellato:* & infrà: *Sub Constantino & Irene, Papa Leo Francos etiam Romam admisit.*

Paulus Diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, *lib. 23. rerum Romanorum, Leo,* inquit, *vicem Carolo recompensans in Imperatorem coronavit eum.* Observa hanc coronationem beneficium Leonis appellari, & consequenter ejus voluntate & jussu factam.

Otto Frisingensis ad annum DCCCI. *Carolus,* inquit, *Rex à summo Pontifice ablato Patricii nomine coronatus, omni populo tunc acclamãte:* Carolo Augusto, à DEO coronato, Magno, & Pacifico Romanorum Imperatori Vita & Victoria.

Abbas Urspergensis in Chronico anno DCCCXVI. *Leo Papa ordinatur, hic Carolum fecit Imperatorem,* & infrà; Anno DCCCI. *Carolus Magnus Rex Francorum consecratus est Imperator, cùm enim Natale Domini Romæ celebraret, in ipsa die sacratissima ad Missarum solemnia veniens, nihil minùs speranti Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanum pronuntiavit.*

Lupol-

Lupoldus Bambergensis in proœm. lib. de juribus Imperii. *De sacri Regni, & Romanorum juribus à tempore translationis ipsius Imperii de Græcis Imperatoribus ad Reges Francorum, & ad Germanos, per sacrosanctam Ecclesiam factæ tractaturus, &c.*

Joannes Trithemius. *Leo Papa III. natione Romanus, sedit annis. 20. Vitæ Sanctimoniâ clarissimus, Carolum cognomento & opere magnum, ad Imperium Romanum unxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit.*

Albertus Kranzius. *Non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmârit, & consecrârit. Domini enim est terra, & plenitudo ejus: ipse transfert Regna & Imperia, dignissiméque ad suum Vicarium hoc sacrum ministerium delegavit.*

Spondanus Gallus non tantùm referens, sed etiam approbans, quæ Baronius de hac translatione scripserat (ùt patet ex appendice minusculis adjecta.) *ad annum DCCC.* sic loquitur: *Non tantùm Eginhardus aut Anastasius de collata per Leonem Romanum Pontificem dignitate Carolo M. sunt testes, sed & fatentur id ipsum Latini omnes & Græci authores. Quòd autem ejusmodi translatio Imperii ab Oriente in Occidentem divino consilio facta fuerit, magno Reipublicæ Christianæ emolumento, & Imperii Orientalis desolatio, & alia eventa satis supérq; demonstrârunt.*

Horatius Tursellinus in Epitome historiarum Lugduni edita, Lugduni approbata, & à Regio Advocato edi permissa: *Pontifex*, inquit, *illustria in Ecclesiam Romanam Caroli merita remunerans, eum Imperatorem appellat, tutelâ Ecclesiæ traditâ. Ita Romanum Imperium ob destitutum à Græco Imperatore Ecclesiæ patrociniũ pervenit ad Francos.*

Joannes Cluverus homo Reformatæ, ùt vocant Religionis, eóque, ùt ex toto historiæ contextu patet, Pontifici infestus, *ad Annum* DCCIIC. *Leo III. inquit, Hadriano Pontifici successor datus, populum in Caroli verba adegit, vexillo Romanæ Urbis ad ipsum transmisso: ob id, & ob crimina, quæ illi objectabant æmuli, indignissimè habitus, oculorum suorum privatione damnatur.* Et infrà *ad annum* DCCC. *Leo gratiam relaturus benefactori tanto, Carolum in D. Petri Basilica solenniter pronuntiat Augustum, coronâ capiti impositâ, acclamantibúsque Romanis: Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno, & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.*

Daniel Pareus, & ipse Reformatus, in medulla historiæ, ubi agit de

de Leone III. Isaurico: *Extinctis bellis Leo in Religionis reformationem incumbens, Idola omnia destrui, templisque Christianorum ejici jussit* (sic imagines sacras homo Lutheranus appellat:) *propterea Iconomachum ipsum vulgus appellavit. Gregorius III. Pontifex Romanus ea in re tantùm offensus est, ut excommunicationis fulmine feriendum Leonem censuerit, subditos etiam Imperatoris in Italia, hoc est, Regimine Exarchorum omni tum fidei nexu, tum tributorum pendendorum necessitate solvit, quod avellendæ à Græcis Italiæ Francósque ad Imperium vocandi initium fuit.*

Vides, quid veritas possit, quæ illis etiam confessionem extorsit, qui tamen, si possent, maximè vellent negare.

Sed addemus coronidis loco testimonium omni majus exceptione, & in quo vel ipsa invidia nihil habeat, quod rodat. Anno DCCLXXI. Basilius Macedo Orientis Imperator, ad Ludovicum II. Caroli pronepotem legationem cum litteris adornavit per Joannem Patricium, *Quibus cum eodem Ludovico acriter quæstus est, quòd dignitatem, & nomen Imperatoris, & Basilei usurparet; unum tantùm Imperatorem esse, qui Orienti & Occidenti imperet: rogavitque hoc nomine deinceps abstineret, sibi, nec aliis debito.* Ludovicus & ipse Autprandum Constantinopolim Legatum cum Litteris Basilio misit, quas Baronius ad annum DCCCLXXI. recitat, ubi inter alia hæc scribit: *Et ipsi Patrui nostri gloriosi Reges absq; invidia Imperatorem nos vocitant, attendentes ad unctionem & sacrationem, quâ per summi Pontificis manus sumus ad hoc culmen provecti, &c.* & infrà. *Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quòd non Francorum, sed Romanorum Imperator appellemur: sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utiq; nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem assumpsimus, quorum gentem & urbem divinitùs gubernandam, & matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atq; sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi priùs, & postmodùm imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumpsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, ii duntaxat, qui à Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt, &c. Præsertim cùm tales sæpe ad Imperium sunt asciti, qui nullâ divinâ operatione per Pontificum ministerium propositi, solùm à Senatu & Populo Imperatoriâ dignitate potiti sunt: nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt clamati & in Imperio stabiliti, aut alio modo ad Imperii Romani sceptra promoti sunt. Porrò si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit, calumniari poteris & Samuel, quod spreto Saule*

quem

quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Sed interim si paginas revolvas Græcorum Annalium, & ea quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò invenies, unde illos justè non valeas redarguere; unde merito apostatis desertis adhæserunt genti adhærenti DEO, ipsius Regni fructus facienti, &c.

Vides ex hisce Ludovici litteris, eum apertè fateri se Pontificis operâ ad culmen Imperii provectum. Imperium à majoribus suis non usurpatum, sed DEI nutu, & Ecclesiæ judicio summique Pontificis obtentum esse. Observa, non illum jus belli, hæreditatis, vel electionis à populo senatúque Romano factæ prætexere, sed solam Pontificis auctoritatem; quâ Imperium, suique majores etiam Regnum acceperint, operâ videlicet Zachariæ Papæ, qui Childerico in ordinem redacto, Regnum Francicum ad Carolinos transtulit. Immo expressimè Ludovico distinguit, *Aliósq; à Senatu, Populo, Exercitu, alióve modo Imperium adeptos: se verò divinâ operatione per Pontificum ministerium sacrámq; unctionem, & à Matre omnium Ecclesiarum regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem, prosapiæ suæ seminariam sumpsisse.* Hæc omnia verba sunt Ludovici Imperatoris, quibus nostro judicio nihil clariùs dici potuit. Unde Spondanus litteratum summam compendio referens *ad Annum* DCCCLXXI. *n.3. His litteris acceptis* inquit, *Ludovicus misso ad Basilium Imperatorem legato, acrem satis dedit epistolam apologeticam, quâ inter alia multa fusè ostendit, ejusmodi appellationem Basilei non esse peculiarem Græcis Imperatoribus, sed etiam competere aliis principibus; maximè verò Francis, qui eam dignitatem accepissent à Sede Apostolica, ob egregiam ipsorum fidem in DEUM & Ecclesiam Romanam, &c.*

Hæc Spondanus; quæ nunquam ipse Gallus scripsisset, nec Ecclesia Gallicana, cui librum dedicavit, scribi passa esset, nisi vera credidissent; maximè cum Spondanum ob pietatem, eruditionem, zelúmque præsertim Catholicæ Religionis tota Gallia veneretur, Ludovico XIII. præchatus, & cui ob merita Episcopatum detulit. Ac denique testatur *in suo dictionario Gallico* Morerus & ipse Gallus, Spondanum ob assiduos in Ecclesiam labores à Rege suo amicitiam, ab omnibus Christi fidelibus æternam memoriam & benedictionem retulisse.

Notandum tamen, ad majorem hujus rei intelligentiam: duplicem fuisse coronationem & electionem Imperatorum, alteram privatam tantùm, & quæ Pontificis auctoritate non indigebat;

quâ ratione Carolus filium Ludovicum Aquisgrani in Conventu optimatum Imperatorem dixit, teste Eginhardo *in vita Caroli*. Alteram publicam solemnem, & per quam jus plenum ad Imperium dabatur, & hæc teste Ludovico ipso, ùt audivimus, ad solum Pontificem spectabat, adeò, ut Carolus in celebri testamento apud Pithæum & Baronium *ad annum* DCCCVI. cùm Regnum filiis divisisset, nullam Imperii Romani mentionem fecerit; quamvis enim Imperium esset hæreditarium, ex gravi tamen & omnino publica ac necessaria causa suberat Pontificum dispositioni, ùt audivimus, & ideò Imperator Carolus conditum testamentum per Eginhardum à Secretis aulicum ad Leonem Pontificem subscribendum misit.

X. Hæc quantumvis ita sint, & ex ipso historiæ decursu scriptorúmque supra omnem exceptionem testimoniis probata, non omisit tamen P. Ludovicus Maymburg S. I. ea impugnare, *in hist. Iconoclast. lib. 4. ad annum* DCCC. ubi cùm dixisset, *Carolum M. Imperium Occidentis & ipsam Italiam jure belli occupâsse, Romam verò populi Romani donatione; nec aliud à Leone Papa quàm coronam, hoc est, non ipsum Imperium, sed insignia tantùm nudámque cæremoniam accepisse, immo nec istam, nisi civium Romanorum precibus compulsum, eum sine sine Augustum acclamantium, tunc enim nec prius à Leone coronatum.* Hæc, inquam, postquam Maymburgus probare conatus esset, nec enim probavit, ùt ostendemus, adjungit: *Se quidem de hac Imperii translatione nolle sententiam pronuntiare, eámque arbitrio lectoris committere; principia tantùm posuisse, ex quibus rei veritas facilè deduci possit: eum verò qui alia quàm ipse principia statuat, omnino errare, & à vero abludere, pulchrásq; rerum chymeras, & imagines, velut somniantem ante oculos ponere, quæ delectent quidem, sed nunquam fuerint, idque eo fine, ut factum illud defendant, quod nunquam evenerit, sed quod cuperent evenisse.* Hæc Maymburgus.

Vides hominis historici & Religiosi candorem. *Nolo*, inquit, *decidere, an Carolus à Pontifice Imperium acceperit; sed non accepit. Nolo dicere, quis illi hanc dignitatem contulerit; bellum contulit populúsque Romanus. Lectoris esto arbitrium; sed si aliter, quàm ego, sentiat, errat, somniat, & in omnem historiam impingit.* Hoc videlicet est nihil decidere, & rem in medio relinquere.

Sed audiamus rationes, quibus Maymburgus sibi persuadet, scripto-

scriptores omnes, Græcos videlicet, Latinos, Gallos, Catholicos, Acatholicos somniare se uno vigilante: eas ad hæc capita reducit.

Primò, inquit, *certum est, Carolum M. jure partim hæreditatis, partim belli tantum in Occidente terrarum possedisse, quantum alius ante illum Imperator Occidentis: quid potuit ergo à Leone Papa præter titulum accipere & insignia, Imperio jam dudum potitus? immo ne titulum quidem & coronam à Leone necessariò accepit; cùm enim toto jam Occidente dominaretur potuit suo jure Imperator Occidentis appellari. Secundò, cùm dono & spontaneâ Senatûs Populíque Romani subjectione Romam ipsam caput Imperii tenuit, nihil Carolo defuit, quod à Pontifice posset obtinere: sicut enim & Odoacer & Theodoricus Italiâ, Româque potiti, nomen Imperatoris induerunt, repugnante nullo; multò magis id potuit Carolus: sed abstinuit modestiæ causâ, dum tandem populo impatienter id flagitanti cederet.*

Hactenus Maymburgus loco citato, eadem omnino, nec aliud afferens, quàm quæ jam dudum à Matthia Flaccio Illyrico Lutherano producta, & à Bellarmino *in l. de translatione Imperii*, refutata sunt, quò lectorem remittimus, nonnullis tantùm additis, quæ veritati & historiæ lucem afferant.

Olim Imperatoris nomine appellabantur omnes, qui bello alicui præerant: propriè tamen nemo id nominis consequebatur, nisi re bene gestâ, atque aliquot millibus hostium cæsis, tunc enim acclamatione militum, vel Senatûs decreto Imperatoris nomine donabatur. Cicero. *2. Epistolarum epist 10.* Posteà nomen Imperatoris proprium perpetuúmque Principis Romani ex Senatûs consulto esse cœpit: & Auctore Suetonio prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ primus assumpsit Julius Cæsar, *in ejus vita c. 27.* Octavius verò Julii Successor, tum reliqui ab eo Cæsares, Imperatores sunt appellati: nec verò poterat aliquis, quantumvis potentissimus latéque dominans nomen & jura Imperatoris vendicare, nisi qui legitimo ordine Imperatobus & Principibus Romanis succederet: hi soli Imperatores & Græcè Basilei vocabantur, alij Reges tantùm; quæ causa fuit Basilio Imperatori Græcorum per litteras legatósque graviter cum Ludovico II. expostulandi, quòd Imperatorem, non Regem se diceret. Spondanus *Anno DCCCLXXI.* Et in Synodo universali Constantinopolitana nomen Imperatoris Ludovico à Pontifice datum, dolo Græcorum in litteris Apostolicis expunctum est, teste Anastas. *in vita Hadr.* Et Anno

DCCCCLXVIII. Legati ab Ottone I. pacis & nuptiarum causâ Constantinopolim missi à Nicephoro Phoca pessimè habiti, quòd Otto se Imperatorem vocaret. *Annò MLV.* Legati ab Henrico II. ad Concilium Turonense missi graviter eâ causâ conquesti sunt, quòd Ferdinandus Magnus Castellæ & Legionis Rex, jura sibi titulúmque Imperatoris vendicaret, & Henrico Cæsari parere nollet: qui tamen Ferdinandus Victori II. Pontifici, ut alienis titulis abstineret, & regio contentus esset, monenti, modestè acquievit. Immo antequam jus eligendi Imperatorem ad Septemviros transferretur, injussu Pontificis Imperator dici nemo potuit. Audi Glabrum *lib. 1. in fine circa Annum MXIII.* hujusmodi decretum recitantem: *Cum Henricus I. Romam veniret, hujusmodi Decretum factum est, ne quisquam audaciter Imperii Romani sceptrum præproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici aut esse valeat, nisi quem Papa sedis Romanæ morum probitate delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne imperiale.* Cujus decreti hanc idem Glaber affert rationem, *Quòd olim ubiq; terrarum quilibet Tyranni sese procaciter impellentes sæpissimè essent Imperatores creati, quamquam minùs apti Reipublicæ.* (a) Nec annus Imperii priùs numerari cæptus, quàm coronâ Imperióque à summo Pontifice acceptis; sicque non à die successionis, vel obitu Imperatoris, sed à die coronationis per Romanum Pontificem calculus ducebatur, ùt de Carolo M. expresè Abbas Urspergensis ad Annum DCCCI. De Carolo Crasso ex ejus diplomate Metis dato apud Baronium ad Annum DCCCLXXXI. De Arnulpho ex Synodo Moguntina Anno DCCCLXXXVIII. quæ Arnulphum Regem tantùm, non Imperatorem vocat. De Henrico sancto ex privilegio ejusdē Monasterio S. Vincentii ad fontes Vulturni concesso, & alio Ecclesiæ Novariensi, manifestū est.

Ex quibus omnino constat, coronationem illam non fuisse honorariam, nudámque cæremoniam, ùt post Illyricum (cujus planè nec aliis argumentis utitur.) voluit P. Maymburg. alioquin non ab hac, velut à re non necessaria, sed à successione in Paternum Regnum anni supputarentur, quemadmodum hodie, postquam potestas eligendi in Septemviros translata, nec coronatio necessaria, sed nuda cæremonia est, vidimus annos Imperii non à coronatione, sed electione duci. Et patet ex ipso Maymburgo, qui *lib. 4. hist. Iconoclast. ad*

(a) Videatur Banuinus de comit. Imper. & Spondanus Anno MXIV. n. 1.

claſt. ad Annum DCCC. ex geſtis Ludovici c. 16. hæc verbatim ad marginem notat: *Qui Stephanus IV. ſtatim, poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico.* Hæc Maymburgus, quæ ex Theagno deſcripſit *in lib. de geſtis Ludovici Pii Caroli M. filii c. 16 17. 18.* Non ergo intra cæremonias hæc coronatio ſtabat, ſed cum ſubjectione, & juramento fidelitatis conjungebatur, quâ Imperatori ſe omnes ſubmittebant, in eóque jura & dignitates non Regis tantùm, ſed etiam Imperatoris agnoſcebant. Et Ludovicus II. *in epiſt. ad Baſilium data DCCCLXXI.* profitetur ſe ſuósque majores non titulum, ſed dignitatem Imperialem beneficio Romani Pontificis accepiſſe, ùt jam ſuprà notatum.

Et denique, ut res iſta omni careat dubitatione, exſtant poſt annales Francicos à Pithæo editos, & apud Aimoinum *lib. 5. c. 33.* acta Synodi Ticinenſis, quæ Baronius & Spondanus etiam recitant *ad annum DCCCLXXVI. & DCCCLXXVII.* in quibus Joannes VIII. & Patres in Synodo congregati, Imperium Carolo Calvo nuper collatum iterum confirmant, anathemate damnatis, qui pro legitimo Imperatore illum non agnoſcerent. In hac Ticinenſi Synodo expreſsè & luculentis verbis declaratum, Imperatoris coronationem non fuiſſe nudum miniſterium externúmque ritum, *Sed veram electionem, approbationem, & ſecundùm priſcam conſuetudinem, provectionem ad Imperii Romani ſceptra.* Videantur acta Concilii §. *unde nos tantis indiciis &c.* Quæ acta ab Epiſcopis Galliæ confirmata omnino, & recepta ſunt in Concilio Pontigonenſi *in 2. actione* apud Aimoinum *lib. 5. c. 33. n. 4.* Et fatetur Spondanus *ad annum DCCCLXXVI. n. 2.* Vide Gretſerum *apolog. Baronianæ c. 15.*

Ubi animadverte, cùm hanc à Joanne VIII. factam coronationem, aliásque ſimiles adducimus, non eſſe nobis animum omnes Pontificum actiones tueri, quos fuiſſe homines, & in hujusmodi errori obnoxios fatemur, ſed poteſtatem ſolùm oſtendere, ab illis exerciuam, ab omnibus agnitam; ùt planè agnoverunt Epiſcopi Galliæ in Concil. Pontigonenſi, qui cùm Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis primatum affectaret, potentiâ Imperatoris, & privilegio ſubornato fretus, conſtanter obſtitêre, immo hoc ipſum Imperatori minaciter & importunè urgenti, animosè à Rhemenſi Archiepiſcopo reſponſum: id ſacris Canonibus, &

Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis obviare, nec aliud ab Episcopis responsum impetrari potuit, ne ad Synodum quidem comparere volentibus. At verò ubi de Imperatoris electione, & coronatione à Pontifice facta cœptum agitari, continuò ab omnibus recepta & approbata est, utique repugnaturis, si potestatem in Pontifice non agnoscerent. (a)

Hisce animadversis manifesta est responsio ad objecta Illyrici potiùs, quàm Maymburgi: Carolum videlicet M. antequam à Pontifice Romano Augustus renunciaretur, potuisse Franciæ, Germaniæ, Italiæ Regem, non Imperatorem vocari, vivente adhuc & dominante, orbis utriúsque Occidentis & Orientis Imperatoribus, Constantino videlicet, Irene, Nicephoro, &c. quod vel ipse Carolus ingenuè fassus est, affirmans, se nequidem Ecclesiam ingressurum, si consilium Papæ prævidisset, adeò nomen & dignitatem Imperatoriam aversabatur, teste Eginhardo *in Vita Caroli.* Quid recusabat Imperium Carolus, si jam habebat? aut insignia titulúmque dignitatis jam bello partæ? non ergo omnis, qui provincias etsi multas magnásque Romanis aliquando subjectas tenet, continuò Romanorum est Imperator, alioquin Reges pleríque, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, aliíque Imperatores essent. Immo jus Imperii, Monarchiæ, Reipublicæ vel in una civitate & exiguo terræ spatio conservari potest, *argumento l. 7. ff. quod cujusvis universitatis:* & docet Clariss. Doct. Herman. Hermes plures allegans *in fasciculo juris publici l. 1. q. 3. n. 30.* Quantò igitur verius est, penès Græcos jus Imperatorium stetisse, tàm multis civitatibus & provinciis in Occidente à Carolo M. nunquam occupatis (Hispaniâ videlicet, Britanniâ, Apuliâ, Calabriâ, Illyrico, &c.) antequam à summis Pontificibus illo donaretur ipse Carolus? Quid ergo præter titulum & insignia à Leone Carolus accepit? Respondemus, ut ea ipsa, quæ jam habebat, non jure tantùm Regis & Patricii Romani, ùt ante coronationem; sed etiam Imperatoris & Augusti retineret, videlicet cum prærogativis, præcedentiis, superioritate aliisque, si quæ Imperatoribus erant propria; fuisse enim aliqua, multóque ampliora, quàm nunc habeant in supremos Europæ Principes Cæsares no-

(a) Vide Aimoinum Gallum, & Monachum Floriacensem Lib. de gestis Francorum c. 33.

res nostri, patet ex iis quæ suprà diximus ; Henricum videlicet II. de Ferdinando M. Hispaniæ Rege conquestum esse, quòd non titulum modò, sed etiam jus Imperatorum sibi vendicaret, nollétque Cæsaris imperio & mandatis parere. Deinde hâc Leonis coronatione id est consecutus, ut non tantùm, quæ ad Longobardos bello victos, sed etiam, quæ ad Græcos pertinebant, sibi acquireret, cum jure occupandi omnia, quæ constaret, injustè ab aliis in Occidente possideri.

Ad aliud, quod affert Maymburgus, Carolum videlicet deditione Romanorum ipsam urbem Imperii caput & arcem tenuisse; multi sunt qui hoc negant, non tantùm nostrates, sed etiam Acatholici scriptores, út videre est apud Illyricum à Bellarmino citatum *lib. 1. de translatione Imperii c. 1. n. 5. & c. 13. ad 11.* & Centuriatores *centuria 8. c. 10.* Unde mirum est, Maymburgum inter duo illa principia, quæ Sole clariora, & à nemine dicit posse negari, rem ponere adeò controversam, hoc est, novâ demonstrandi methodo rem dubiam probare per principium æquè dubium. Demus à Carolo missos, qui Romanum populum juramento sibi obstringerent, non potuit jussu & auctoritate Pontificis hoc fieri ? Immo sic factum esse, patet exemplo Ludovici Pii, quod ipse Maymburgus allegat, & nos jam suprà notavimus ; non tam ergo hæc Populi, Senatúsque Romani, quàm Pontificis voluntas & mandatum fuit. Vix aliquem reperias Imperatorem Romanum à Senatu Populóque creatum ; sed omnes vel successione, vel à Principe aut exercitu nominati ; quis ergo credat Populum Senatúmque Romanum auctoritatis vix umbram aliquam servantem id ausum facere, quod florens vigénsque nunquam fecerat ? Sed demus hæc omnia : acceperit Carolus dono Senatûs Populíque Romanam urbem ; non sequitur tamen etiam dignitatem Imperialem accepisse, quæ loco & urbi non est alligata, alioquin qui hanc haberet, continuò Imperator Romanorum esset ; qui non haberet, non esset : quæ omnia sunt absurdissima, cùm illic quoad jura & potestatem sit Roma, ubi est Romanorum Imperator, juxta illud Poëtæ :

——— Sejos habitante Camillo

Illic Roma fuit.

Vide laudatum Hermen in fasciculo *lib. 1. c. 3. n. 25.*

Adex-

Ad exempla Odoacris & Theodorici, quos nomen Imperatoris prætulisse Italiâ Româque expugnatis Maymburgus dicit, multò igitur magis id Carolum suo jure potuisse, sed molestiâ retentum: Respondemus: mirum esse duos & Tyrannos & barbaros ac infideles in exemplum adduci, qui eodem jure nomen Imperatoris, quo Italiam invaserant, hoc est, nullo. Theodorico Constantinopoli educato, & contra perduelles pro Zenone egregiè bellis defuncto, constat, ab eodem Zenone triumphum, Consulatum, Equestrem in foro statuam præmio data, oblatámque insuper spem Occidentalis Imperii, cùm in filium ab Imperatore jam esset adoptatus, testibus Evagrio *lib. 3. c. 25.* Enodio *in Paneg.* Jordane Episcopo Gotho *in Orat.* &c.

Non ergo Theodoricus, ùt vult Maymburg. ob Romam Italiámque occupatam, sed dono Zenonis Imperatorium nomen accepit, quod in tyranni posteà mutavit; cùm tentato frustra Oriente arma in Italiam vertit, Benefactori suo ingratus: nihil ergo exemlum Theodorici probat; nec etiam, quod adducitur de modestia Caroli; modestiæ siquidem est aliena non usurpare, nec plùs, quàm deceat, sibi sumere: ceterùm si Carolus ante coronationem à Leone factam jam Imperium bello, alióve justo modo quæsierat, non erat cur titulum recusaret, sibíque conscientiæ duceret, illis nomen adimere, quibus rem ipsam & Imperium ademerat; non hæc planè modestia, sed hypocrisis fuerit, à qua nemo magis, ùt Carolus, abhorruit, Princeps videlicet bello, victoriis & pietati, non fraudibus & impostura natus.

XI. Ex his ergo, quæ à nobis hucúsque disputata sunt, palàm est, multa esse in historia P. Maymbourgi, quæ notam mereantur. 1. Quòd præfatur, se in hoc translationis argumento sententiam non dicturum, adeò tamen dicit, ut videatur ex professo id agere, damnatis, qui aliter sentiunt, vanitatis & imperitiæ. 2. Quòd opinionem suam nullo ex historia, aut scriptoribus testimonio & suffragio muniat, duabus contentus rationibus, quæ, ùt ostendimus, ne quidem levis conjecturæ titulum merentur: quasi verò historiam ex arbitrio suoque ingenio texere liceat, & non potiùs ex authenticis testimoniis: quamvis Maymburgus aliquot ad marginem citet, nemo tamen ad rem facit, cùm nemo illorum dicat, Translationem Impe-

Imperii auctoritate Leonis non esse factam, de quo agitur, & quod Maymburgus probandum sumpserat; sed tantúm magnam partem Occidentis ad Carolum perveniisse, Romanos Carolo fidelitatem juramento pactos, eidem à populo tanquam Augusto applausum esse, quæ omnia, ùt patet, extra quæstionem vagantur. 3. Quòd cùm Bellarminũ Maymburg. *de translatione Imperii*, ejúsque *c. 1. & 13.* legerit, citétque, ibique suas rationes jam dudum ab Illyrico productas invenerit, eas quidem studiosè, & vix non verbatim historiæ suæ inserat, dissimulet tamen responsa & solutiones à Bellarmino solidè appositas; quod à candore & simplicitate historica planè alienum est: oportebat enim aut neutrum, aut utrúmque dici. 4. Quod sententiæ nostræ tot auctoribus, historiis, rationibus praxique continuâ vallatæ, suam tam leviter probatam non tantùm præferat, sed etiam somniare dicat, deludique, qui illam non profitentur, aliam amplexi: enimverò merces suas nec raras nec nobiles, & quarum apud Reformatos tanta copia est, nimis magno hic auctor venum exponit. 5. Quòd potestatem transferendi Regna & Imperia, quam Pontifici negat, optimatibus Regni, immo populo concedat. (a) Jam verò longè magis infra dignitatem Principis est, populo submitti, cui imperat, ac ejúsque arbitrio in summa rerum pendere, quàm summo Pontifici, Christique Vicario; nec facilè Principem reperias, qui malit propriis subditis, quàm Sacerdotum maximo subjici; nec tàm suo, quàm DEI nomine imperanti. Quòd si judice Maymburgo nihil derogat Principum dignitati, si ex populi judicio pendeant, cùm illis videbitur, Regnum & potestatem amissuri, magis derogabit, si Papæ hoc concedamus? & Regni causas non infimæ plebi, quæ levitate, odio, partium studiis lucróque facilè corrumpitur, deferamus; sed Apostolicæ Sedi, à qua utpote remota magisque placabili minùs etiam periculi est; etsi concedatur dari aliquem casum, in quo subditis juramento solutis Regnum Principi abrogari possit, concedi omnino debet esse in summo Pontifice potestatem judicialiter declarandi hîc & nunc subditos juramento non obstringi, sed posse & debere Principem abdicare, eumque jure imperandi excidisse: interpretationem siquidem juris divini, quantum videlicet

(a) Vide hist. Iconoclast. l. 2. fol. 186. & l. 4. fol. 186. & l. 4. f. 42. & f. 61.

& in quibus circumstantiis obliget, vel non obliget; sicut etiam causas juramenti ad forum Pontificium pertinere, utpote spirituales in confesso est apud omnes, propter textum apertum & notatu dignissimum *Deut. 17. v. 18.* (a) Quidquid ergo dicatur, vel ex ipsa sententia Maymburgi, negari tandem summo Pontifici non potest Reges destituendi potestas, sive dicas hanc potestatem esse veræ jurisdictionis, sive necessariæ, generalis, & auctoritativæ declarationis & interpretationis, quæ in causis, maximè arduis, qualis est, de qua nunc agimus, ad solum Pontificem pertinet.

Denique, ut memoriæ causâ, quæ hucúsque de translatione Imperii dicta sunt, brevi dilemmate complectamur. Aut Græci jus aliquod in Occidentis Imperium habebant, cùm Carolus Imperator acclamatus est, aut nullum? si nullum, cur ergo Nicephorus Logotheta, qui Constantino & Irenæ successit, tandem in translationem Imperii consensit, & Neapoli, Siciliâ, Calabriâ, Apuliâque retentis, Occidentem Carolo cessit? Maymburgus *lib. 4. hist. Iconoclast.* Morer. *in Dictionar. hist.* Cur Imperatores Græci teste eodem Maymburgo adeò indignati sunt Carolo, ut hæc Leoni Armeno causa fuerit Catholicos totâ Græciâ persequendi, quòd spem omnem Occidentis amisisset? Et denique, cur omnium historicorum vox & sententia est, Imperium à Græcis ad Carolum anno DCCC. victis Longobardis translatum, si jam antè Imperio caruerant? Si verò Græci jus aliquod imperiale in Occidente adhuc habebant, hoc dicimus in Carolum à Leone translatum, non bello quæsitum, quod cum amicis nullum erat, nec esse poterat, justitiâ integrâ. Quid enim in Carolum Græci offenderant, ut illos Imperio Occidentis exueret jam compositâ pace? Planè Maymburgus Carolum non Victorem, sed Usurpatorem alieni facit. Est enim notandum, victo Aldagiso Desiderii filio, qui cum classe Græcorum in Italiam transmiserat, anno DCCIIC. venisse Aquisgranum ab Irene ad Carolum Legatos, qui pacem offerrent, & animum prætentarent ad nuptias cum Imperatrice jungendas: hæc enim cùm thronum, extincto filio Constantino insedisset, duorum procerum Stauracii & Aëtii potentiam verita, animum ad nu-

(a) Vide Sanchez de matrimon. lib. 8. d. 6. n. 4. Abbatem in c. 1. de postulat Prælat. n. 18. Laym. de legibus, c. 18.

ad nuptias cum Carolo adjecerat. Missi hoc anno Legati & Amores cum Imperio promissi. Causa legationi prætexta, Sisinii fratris Tarasii Patriarchæ, nuper bello capti liberatio: Legati à Carolo benignè accepti, & omnia, quæ postulabant, concessa. Contigit hæc Legatio biennium ante Caroli Imperium: nam auditâ Constantinopoli ejusdem coronatione, missa alia est apparatior Legatio ab Irene, thorum & thronum offerente. Meminerunt Legationis primæ Annales Francici auctore Adelmo Benedictino ad eundem annum. Spondanus ibidem, & omnium clarissimè Maymburgus *lib. 4. hist. Iconoclast. Anno DCCCI. fol. 70.* Qui auctor, (ut hoc quoque ingenuè dicamus,) sanctiùs utique veritati defendendæ, quàm impugnandæ calamum locasset, antiquitate oppressâ: nec deerant alia contra hæreticos argumenta, quibus ingenium & eloquentiam impenderet; sed maluit classicum discordiis canere fatali nostrorum temporum malo, quibus ostentando ingenio antiquis nova præponimus; non quia meliora, sed quia recentia, & ideò admirationi, & plausui conjuncta; quàm enim difficile, tàm glorioſum creditur, contra omnes potiùs, quàm cum omnibus sapere: & ipsa tamen, quæ novitate placebant, fastidio erunt, cùm insenuerint, antiquis in gratiam receptis.

Hæc est ergo celebris illa Imperii ad Francos per Leonem III. facta translatio, quam nos temporibus suis distinctam dedimus, ut tantò evaderet clarior. Jam videamus, quomodo à Francis ad Germanos Saxones pervenerit.

XII. Anno DCCCXIV. moritur Aquisgrani pleuritide Carolus Imperator, quem ut magnum efficerent, natura, religio, fortitudo, omnésque politicæ ac militares scientiæ, & fortuna certârunt; vix alium Principem reperias, quem huic exæques: uno tantum vitio notatus, quòd Gallicum florem alienis vagisque amoribus fœdavit: sed hanc quoque labem pœnitentiâ exterſit, lachrymis, jejuniis, eleemoynis, cilicinâ veste, inter quæ senectutem & vitam consumpsit, teste Thegano Chorepiscopo Trevirensi *de gest. Ludovici*: ut merito de Carolo dicas, quod olim S. Ambrosius de Davide: *Peccavit Carolus, quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges. De Carolo inter Sanctos recepto, vid. Baron. ad annum DCCCXIV.*

Scribit idem Theganus vulgatâ Caroli morte, tantum fuisse ubique luctûs & lachrymarum, ut crederes communi Patre mundum orbatum esse. Carolo Ludovicus cognomento Pius successit. Inter alia præclarè à Carolo facta ejúsque magnitudini paria, illud etiam refertur, voluisse ingenti fossâ per Franconiam in Mœnum ductâ, Rheno Danubium, & Oceano Pontum Euxinum conjungere, sed pluvias, bella, mortem ipsam intercessisse, indignante velut naturâ suos limites moveri.

Anno DCCCXVII. Ludovicus Pius Imperator Caroli filius in comitiis Aquisgranum indictis confirmat omnia, quæ à Pipino avo, & Carolo Patre, Ecclesiæ Romanæ donata fuerant, aut restituta, additis Romanâ civitate cum suo Ducatu, Exarchâ Ravennensi, Sardiniâ, Siciliâ, Corsicâ insulis, Ducatu Beneventano, Spoletano, Neapoli, Calabriâ, &c. & præsertim liberâ Pontificis electione. (a)

In eodem hoc Aquisgranensi conventu filium Lotharium Ludovicus coronat; nepotem vero conjurationis reum, convictúmque oculis privat.

Anno DCCCXXX. Nova in Ludovicum conspiratio à Pipino filio Rege Aquitaniæ. Causa in Patrem armandi, quòd Bernardum Hispanum hominem custodiæ & cubili præfecisset, Francis dolentibus externum præferri. Hinc nata, aut potiùs ab æmulis sparsa suspicio Imperatrice Judithâ Bernardum frui. Sed Lothatius filius & collega Imperii cum exercitu adveniens patrem discrimini exemit. Juditha in Monasterium detrusa & velata. Aquitania Pipino adempta.

Anno DCCCXXXIII. Iterum armati in Ludovicum Augustum filii Pipinus, Lotharius Ludovicus; & jam prælio congressuris, Gregorius IV. Papa intercessit, pugnámque diremit. Gregorio in Italiam reverso, renatæ lites & dissia. Lugduni conventus habitus, & Imperium Augusto ademptum: quod decretum à Pontifice maximo continuò rescissum, & Archiepiscopi Lugdunensis temeritas mulctata. Æmilius *rerum Francic. in Ludovico Pio.*

Anno

(a) Vide c. ego Ludovicus. dist 63. & Sigonium l. 4. de Regno Italiæ. Baronium ad hunc annum. Leon. Ostiens. lib. 1. Chron. Cassin. c. 18. Ivon. p. 5. c. 14. Anastas. Bibliothecar. &c.

Anno DCCCXXXIV. Ludovicus dignitati & imperio restitutur, filii in gratiam recepti, perduelles mitiùs, quam meruerant, puniti.

Anno DCCCXXXVIII. Imperium à Ludovico inter filios divisum Lotharium & Carolum Calvum: Ludovico filio indignante, Carolum natu minimum sibi in regnorum divisione præpositum: hinc nata bella. Ludovicus Augustus paulo pòst sanctissimè functus.

Anno DCCCXLI. Gallia civili bello affligitur Lothario Imperatore, qui Ludovico Augusto successerat, Monarchiam exclusis fratribus meditante; signa inter fratres collata: Carolus & Ludovicus victores; Lothario pax data.

Anno DCCCXLII. Lotharius Imperator infestis signis in fratres movet: iterum vincitur: & in Conventu Aquisgranensi Regno & Imperio ejicitur, duobus fratribus Ludovico & Carolo ab Episcoporum conventu suffectis: sed exactum ab iisdem juramentum de justâ Regnorum administratione. Verba Episcoporum à Nithardo Francorum nobilissimo & Caroli M. ex filia nepote *lib. 3.* hæc referuntur. *Et nos*, inquiunt, *auctoritate divinâ & illud suscipiatis, & secundùm Dei Voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.*

Sed anno sequenti Carolus & Ludovicus victoriâ modestissimè usi, Lotharium fratrem in societatem regni admittunt. Francia Carolo data, hoc est, quidquid Arari (vulgò Saone,) Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo saltu continetur. Ludovico Germania & Hungaria cessit. Reliquæ opes ac Imperium, & Lotharingia Lothario relicta. Æmilius *initio vitæ Caroli Calvi.*

Anno DCCCXLV. Dani seu Northmanni Gallias populantur, DEO per Gentiles rapinas bonorum Ecclesiasticorum vindicante. Spondamus *ad hunc annum.* Vide Lupi Ferrariensis *epist. 42.* Ubi animadvertit Carolo Francorum Regi, nihil prosperi, ex quo manus in bona Ecclesiastica conjecerat, evenisse. Gothefridus Northmannorum Dux in societatem regni à Carolo receptus, & pars Franciæ quam Northmandiam vocant, data.

Anno DCCCLV. Lotharius Augustus, Imperii & Mundi satur in Monasterium se abdit, & Religionem profitetur: succedit Ludovicus II. Lotharii filius.

Anno DCCCLX. Pax inter Francorum Reges Carolum calvum, Ludovicum fratres, & nepotem Lotharium composita: sed paulo pòst à Carolo abrupta; hinc à Ludovico & Lothario querelæ ad Nicolaum delatæ, petitumq́; ut Caroli ambitionem compesceret; inter alia: *Oporteret prætereà vestræ auctoritatis jubar propter generalem sollicitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla pacis fœdera, nulla movent fraternæ charitatis viscera, nulla nectunt consanguinitatis ligamenta, Apostolica invectio ad censuram ecclesiasticam venire compellat: & quidem sanctissimi prædecessores vestri per suam præsentiam, ac pium laborem plurima correxerant, immo per legatos ac litteras absentes corpore, sed Spiritu sancto præsente innumera, quæ in abruptum lapsa fuerant, revocârunt. De cetero, si aliquis Regum, quod absit, vel fortè aliqua contumax persona vestræ Beatitudinis admonitionem parvi pendere præsumserit, latere non poterit.* (a)

Anno DCCCLXII. Lotharii Francorum Regis amores extra thorum progressi, & Episcoporum turpiter adulantium conniventia Galliam vix non perdunt. Amabat jam à puero Waldradam virginem, quâ ut potiretur, Theutperga legitima conjux abdicata: additæ insuper criminationes, quæ repudium excusarent, & colorem inducerent: &, quod mireris, binis Episcoporum conventibus Aquisgranensi & Metensi repudium admissum: dicebant Theutpergam Lothario jam legitimis nuptiis cum Waldrada implicito adjunctam esse, non ergo uxorem ejectam, sed pellicem; addebant incestûs cum fratre compertam. Colonienſis & Trevirensis Archiepiscopi præcipuam defendendo Regi perditè amanti operam locârunt. Nicolaus Papa I. re intellectâ & conventuum acta rescindere, & Archiepiscopos communione fidelium excludere, damnatis cum Waldrada nuptiis. Archiepiscopi Pontificem frustra placare conati, Photio Schismatico Patriarchæ se jungunt. Pontifex censuris in mœchum fulminat, & jacturam regni Lothario minatur. Spondanus *ad annum 866.*

Anno DCCCLXVIII. Mortuo Nicolao Hadrianus II. succedit. Lotharius cum regio comitatu Romam profectus in urbem admittitur, accessuro ad aram sacrumq́; Epulum; *Cave*, inquit Pontifex, *hoc corpus DEIq́, sanguinem attingas impudico adhuc animo; si pellicem ejurâsti, hîc veniam tibi & pacem offero: si retines, venenum tibi pro remedio sumes:*

(a) Vide totam epistolam apud Baron. Anno DCCCLX. n. 27.

sumes. & at Aulicos conversus, *Si domino*, inquit, *& Regi tuo Lothario in adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensum tribuisti, & Waldradæ aliisvè ab hac sede Apostolica excommunicatis non communicâsti, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam.*

Lotharius comitésque nihil hâc voce territi accedunt intrepidè, immo petulanter: eodémque anno è vivis sublati pœnas contemptæ religionis dederunt. Aimoinus *lib. 5. c. 21.* Lothario mortuo ejusdem Regnum Carolo calvo à proceribus delatum, excluso Ludovico Imperatore defuncti fratre, & successore legitimo. Id ubi Hadriano iñotuit, missis continuò legatis, jubet Carolum alieno Regno abstinere, ni faciat, graviter puniendus. Verba Pontificis ad Regem, Regnique Episcopos hæc sunt, apud Aimoinum *lib. 5. c. 24. Regnum quondam Lotharii, quod Ludovico Imperatori Spirituali filio ejus hæreditario jure debebatur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharii redit, mortalium nullus invadat, nullus commoveat, nullus ad se conetur inflectere: quòd si quis præsumat, non solùm per nostræ auctoritatis ministerium infirmabitur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis privatus, cum Diabolo omnino locabitur: & si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorē vel tacendo fugiet, vel non resistendo consentiet, non jam pastoris, sed mercenarii nomine se nôrit fore censendum.* (a)

Anno DCCCLXXVI. Carolo Calvo à Joanne VIII. Pontifice Maximo Imperium collatum excluso Ludovico majore natu: quòd à Carolo contra Saracenos auxilium speraretur: confirmata hæc Imperii collatio à Prælatis Franciæ in Synodo Pontigonensi. Aimoinus *l. 5. c. 33.* Mortuus Ludovicus Germaniæ Rex liberum Carolo fratri Imperium relinquit.

Anno DCCCLXXVII. Carolus veneno extingnitur, & Imperium Ludovico Balbo filio relinquit.

Anno DCCCLXXIX. Moritur Ludovicus Balbus: & Anno DCCCLXXXI. Carolus Crassus Calvi frater Italiam vi occupat, & à Joanne VIII. Augustus creatur. Aimoinus *lib. 1. c. 60.* Ludovicus Balbus tres filios reliquit Ludovicum, Carlomannum, & Carolum Simplicem. Carlomanno Regi successit Ludovicus filius cognomento Ignavus.

Anno DCCCLXXXVIII. Decedit Carolus Crassus à suis Regno

(a) V. etiam c. 26, apud eund. Auctor. Baron. ad Annum DCCCLXX.

Regno dejectus; & Arnulpho Carlomanni filio suffecto, Imperium Francicum miserè in factiones scinditur & conflictatur. In Italia Berengarius Dux Forojulienſis Rex acclamatur. Guido Lamberti Ducis Spoletani filius Imperinm, in Galliis Odo Comes Parisiensis & Rudolphus Conradi filius regnum usurpant: solus Regiæ stirpis Carolus simplex legitimus Regni hæres supererat; sed puer, & tot Tyrannis impar. Huc Imperium à morte Caroli M. evaserat ambitione & discordiis scissum.

Anno DCCCXCII. Wido Dux Spoletanus Imperator à Formoso Pontifice, qui Stephano successerat, renunciatur, Berengario, & Arnulpho indignantibus.

Anno DCCCXCVI. Arnulphus Rex Germaniæ Romam capit, in eos, qui Pontificem afflixerant, animadvertit, & ab eodem coronationem & Imperium extorquet, cùm priùs Widonem ej úsque filium Lambertum Imperatores dixisset.

Anno DCCCXCVIII. Carolus simplex Ludovici Balbi filius legitimus Francorum Rex, fœdus cum Northmannis ethnicis parat, eorum armis contra Odonem usurus Franciæ Tyrannum; sed Fulco Archiepiscopus Rhemensis re intellectâ, Carolum ab incœptis revocat, minatus, nisi impio fœdere absistat: *Se nunquam ei fidelem extiturum, sed & quoscúnque posset ab ejus fidelitate revocaturum, & cum omnibus coepiscopis suis ipsum Regem ejúsque sequaces excommunicaturum átque æterno anathemate damnaturum.* Verba sunt Fulconis apud Flodoardum *lib. 4. c. 5.* Paruit Carolus bene monenti, & Deus in præmium auditi sacerdotis, Odonem Regni æmulum è medio sustulit.

Anno DCCCXCIX Arnulphus & Wido Imperatores morte sublati.

Annus DCCCC. Ob Principum factiones, intrusósque, ùt quisque prævalebat, Pontifices, Ecclesiæ fatalis fuit.

Anno DCCCCVI. Coacta Romæ Synodus, in qua à Joanne IX. Pontifice examinatis duorum Regum Berengarii videlicet & Lamberti Widonis filii juribus, ex omnium Patrum sententia Lambertus Berengario, quòd vi coronationem extorsisset, præfertur. (a)

Anno CMVIII. Romæ corrupti mores peccandiq; libertas eò devenerant, ut meretrici omnia parerent. Maroziam vocabant: fæmi-

(a) Luitprandus lib. 1. cap. 10. Spondanus ad hunc Annum.

fæminam opibus, familiâ, clientelis, & præsertim vultu formâque præponentem ; ex cujus arbitrio nutuque Pontifices alii submoti, alii evecti, ùt plus gratiæ & amoris apud fæminam habebant, Româ, quis crederet? meretrici obsequente.

Anno DCCCCXII. Moritur Ludovicus Germaniæ Rex, & filius Arnulphi Imperatoris : in quo Reges Germani familiæ Carolinæ defecerunt ; Ludovicus enim duas tantùm filias reliquit Placidiam & Mathildam : Placidia Carolo I. Franciæ, Mathilda Henrico Aucupi Saxoniæ Ducibus junctæ. Jure legitimæ successionis Regnum Germaniæ ad Carolum simplicem Franciæ Regem spectabat, utpote ex familia Carolina natum : sed magnates Germani, Carolo ob ignaviam contempto, Ottonem Saxoniæ Ducem ad Regnum, vacuamque coronam vocant, & hoc Principatum recusante Conrado deferunt. Otto Frising. *lib. 6. cap. 16.* Moretus *in vita Conradi I.* Spondanus *ad hunc annum.*

Notat Joannes Tilius *in Chronico Regum Francorum : Tot dissidia, rerumq; fluctus in Gallia extitisse à Carolo Calvo ad mortem Caroli simplicis, ut vix certò sciri possit, quis potissimùm regnârit.*

Anno DCCCCXV. Joannes X. Berengarium Forojulienſium Ducem, posteà Italiæ Regem ob bellum Saracenis illatum Imperatorem ungit. Sigon. *de Regno. Ital. lib. 6.*

Anno DCCCCXIX. Moritur Conradus Germaniæ Rex, & Henricum Aucupem Saxoniæ Ducem, Ottonis filium Regni successorem habet. Henricus cùm velatam viduam duxisset, ab Episcopis citatus, facti pœnitens Romam pedes proficiscitur, & viduam dimittit illustri pœnitentiæ exemplo.

Anno DCCCCXXIV. Berengarius Imperator, quòd Hunnos, & Hungaros in Italiam evocâsset, odio Rudolphi Francorum Regis, à suis occiditur.

Anno DCCCCXXVI. Hugo Comes Provinciæ vel Arelatensium eligitur Italiæ Rex.

Anno DCCCCXXIX. Moritur Carolus Simplex relicto filio Ludovico.

Anno DCCCCXXXVI. Moritur Henricus, & Regnum Germaniæ Ottoni filio relinquit. In Gallia mortuo Rudolpho Re-

ge inungitur Ludovicus transmarinus, qui in Anglia metu Tyrannorum educabatur, Caroli Simplicis filius.

Anno DCCCCXXXVII. In comitiis generalibus Aquisgranum indictis, Otto Magnus, Henrici Aucupis filius, Rex Germaniæ pronunciatur, & ab Archiepiscopo Moguntino ungitur.

Anno DCCCCL. Lotharius ultimus Francorum in Italia Rex veneno perit, eámque Berengarius invadit. Adelais Lotharii conjux, & Agapetus II. Papa Ottonem Germaniæ Regem & victoriis florentem contra Berengarii Tyrannidem in Italiam vocant. Leo Ostiens. *lib. 1. cap. 64.* Otto Italiam ingressus Berengarium filiúmque vincit, & in fugam vertit; Adelaidem Lotharii Conjugem ducit. Flodoardus in Chron. *ad annum DCCCCLI.* Observa, Ottonem omnes ferme provincias, quas olim Carolus possederat, vendicâsse, suóque Regno adjecisse.

Anno DCCCCLX. Cùm Berengarius Italiam miserè vastaret, Joannes XII. Ottonem implorat contra Hunnos bellantem, eique Imperium & Urbem offert, si à Berengario oblata restituat Romanæ Sedi, eique juramento se addicat. *Exstat juramentum Ottonis in c. Tibi Domino 33. dist. 63.* Otto Berengarium iterum fundit, Romam invehitur, & Imperator acclamatur: à Joanne XII. inungitur, & omnes Pipini & Caroli M. donationes confirmat: Magnus & ipse ob res pace & bello præclarè gestas appellatus. (a)

Anno DCCCCLXIII. Gravissimæ inter Pontificem & Ottonem Imperatorem natæ simultates. Causa dissidii, quòd hostibus Pontificis favere, & ablata Ecclesiæ restituere nolle Otto diceretur. Ergo Pontifex Adalberto Berengarii filio adhærere, contempto jurejurando, quo se Ottoni adstrinxerat. Imperator missis Legatis innocentiam suam purgat, sed implacato Pontifice, Romam cum exercitu advolat, Romanos in potestatem recipit, eósque juramento adigit, nunquam alium Pontificem electuros, quàm quem Otto filiique vellent: Concilium dein coactum, ubi Joannes XII. in ordinem redactus, & Leo suffectus est. (b) Hic est ille Leo VIII. cujus meminit Gratianus, *c. in Synodo. dist. 63.* Cùm Romani Joannem revocâssent, illóque extincto Benedictum V. suffecissent, Roma ab

(a) Vide Baron. ad anuum DCCCCLXII.
(b) Vide Baron. ad annum DCCCCLXIV.

ma ab Ottone iterum capta, Romani ad satietatem cæsi, Benedictus exilio deportatus, & Leone vivis exempto, ejusdem Ottonis jussu Joannes XIII. electus.

Anno DCCCCLXVII. Firmata inter Pontificem & Ottonem Imperatorem amicitia, ejúsque filius Otto II. ab eodem Joanne Pontifice Augustus coronatus. Obiit Otto Magnus Anno DCCCCLXXIII. & Imperium Ottoni filio reliquit.

Sic Imperium Romanum à Francis Carolinæ stirpis, ad Francos Saxonicæ Domûs & familiæ transiit. Primus Imperator Otto Magnus, non Henricus I. cognomento auceps, renunciatus est: nam teste Witichindo *l. 1. gest. Saxonic.* cùm Henrico offerretur unctio, & Diadema à summo Pontifice, non sprevit, nec tamen suscepit, *Satis*, inquiens, *mihi est, ut præmeis Majoribus Rex dicar, & designer divinâ agente gratiâ & vestrâ pietate: penès meliores verò nobis unctio & diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur.*

Abbas Urspergensis in Chronico *Anno DCCCCXX. Henricus*, inquit, *renuit diadema & unctionem, solo nomine Regis contentus.* Albertus Kranz. *lib. 3. Saxon. c. 8. Henrico diadema cum consecratione ad imperialem dignitatem Joannes repromisit: Henricus autem satis sibi videri respondit, quòd primus ad Regni culmen pervenisset, diadema Imperii majoribus debitum.* (a) Ubi plurimorum testimoniis clarè ostendit, fuisse hanc translationem Imperii factam auctoritate summi Pontificis.

Ceterùm in toto hujus secundæ translationis contextu, multa iterum exempla occurrunt à summis Pontificibus in Reges exercitæ potestatis. Nam Concilii Compendiensis & procerum Franciæ decretum, quo Ludovico Pio Imperium abrogabatur filiis tradendum, Gregorius IV. rescindit, & Augustum loco restituit. Lotharius Imperator in Conventu Aquisgranensi ab Episcopis Regno & Imperio dejicitur. Nicolaus I. Lothario, nisi abdicatâ pellice, Theutpergam uxorem recipiat, Regni jacturam minatur. Hadrianus II. jubet Carolum Calvum Regnum, quod invaserat, Ludovico Imperatori legitimo hæredi restituere, nec obtemperanti pœnas indicit. Joannes VIII. Carolo Calvo, excluso fratre natu majore, Imperium confert, & hanc collationem Episcopi Galli in synodo Pontigonensi ratam habent. Plura omittimus, suóque loco reservamus.

(a) Vide Bellarm. de translatione Imperii l. 2. c. 2. & c. 3.

XIII. Accedamus jam ad ipsam Decretalem recitandam, cujus scribendæ hæc occasio fuit. Mortuo Henrico V. Imperatore, quem Cælestinus III. excommunicaverat, Philippus Henrici frater & Sueviæ Dux pluribus Principum suffragiis electus fuerat, & Moguntiæ unctus coronatúsque, acceptâ tamen priùs, & secretò excommunicatis absolutione per Legatos Apostolicos, quâ tenebatur ob invasum Ecclesiæ patrimonium. Sed alia minórque Principum pars Ottoni Saxoniæ Duci in conventu Aquisgrani habito Imperium ac coronam defert. Legatus Sedis Apostolicæ, ut factiones componeret, Ottonem legitimum Imperatorem dicit, & Henricum abdicat. Re ad Innocentium III. delatâ, & ipse pro Ottone præsentem Decretalem dedit. V. Raynaldum *ad annum MCC. n. 22.*

INNOCENTIUS III.

DUCI CARINTHIÆ.

VEnerabilem fratrem nostrum Salisburgensem Archiepiscopum, & dilectum filium Abbatem de Salem, & nobilem virum Marchionem Orientalem, quorundam Principum nuntios ad Sedem Apostolicam destinatos benignè recepimus, & eis benevolam duximus audientiam indulgendam &c. Nos qui secundum Apostolicæ servitutis officium sumus singulis in justitia debitores, sicut justitiam nostram nolumus ab aliis usurpari, sic jus Principum nolumus nobis vendicare. Unde illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, recognoscimus, ad quos de jure ac antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolicâ Sede pervenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos. Sed & Principes recognoscere debent, & utiq; recognoscunt, sicut iidem in nostra recognovêre præsentia: quòd jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendam ad Imperium, ad nos spectat, qui eum inungimus, consecramus, & coronamus, &c. Nunquid enim si Principes non solùm in discordia, sed etiam in concordia sacrilegum quemcunque, vel excommunicatum in Regem, tyrannum vel fatuum hæreticum eligerent, aut Paganum, nos inungere, consecrare & coronare hominem hujusmodi deberemus? Absit omnino. Objectioni ergo Principum respondentes, asserimus, quòd Legatus noster appro-

approbando Regem, & reprobando Ducem, nec Electoris gessit personam, nec recognitoris, sed denuntiatoris officium, quia personam Ducis ejusdem indignam, & personam Regis denuntiavit idoneam, quoad Imperium obtinendum, non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum, quamvis plures ex illis, qui eligendi Regem, Imperatorem promovendum de jure & consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo quòd fautores Ducis absentibus aliis, & contemptis ipsum eligere præsumpserunt, pateat eos perperam processisse, unde privilegium meruerunt amittere, qui permissâ sibi abusi sunt potestate, &c. Nos utique non Ducem, sed reliquum reputamus & nominamus Regem, Justitiâ exigente. Quòd autem, cùm in electione vota Principum dividuntur, post admonitionem, & expectationem alteri partium favere possimus, maximè postquam à nobis unctio, consecratio, & coronatio postulantur: jure patet pariter & exemplo. Nunquid enim si Principes admoniti & exspectati vel non potuerunt, vel noluerunt in unum propositum convenire, Sedes Apostolica Advocato & Defensore carebit: eorumq; culpa ipsi redundabit in pœnam &c. Nobilitatem ergo tuam monentes per Apostolica scripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas omnino, non obstante juramento, si quod ei ratione Regni feceris, cùm (eo quantùm ad obtinendum Imperium reprobato) juramentum hujusmodi non debeat observari.

Observa circa præsentem Decretalem, ipsos etiam Principes Electores agnovisse & fassos esse, quòd Jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem, eámque ad Imperium promovendi, ad Pontificem spectet, ùt patet ex illis verbis: *Sed & Principes recognoscere debent, & utiq; recognoscunt, sicut iidem in nostra recognovêre præsentia &c.* Neque hoc Pontifex unquam diceret, multóque minùs scribere, nisi compertum, & planè certum; alioquin facilè, claróque sole falsi convincendus. Deinde in eadem Decretali insinuat Innocentius rationem, ob quam Regna & Imperia indirectè & casualiter subjacent pontificum auctoritati, ubi dicit: *Nunquid enim si Principes vel non potuerunt, vel noluerunt in unum proposito convenire, Sedes Apostolica Advocato & Defensore carebit, eorumq; culpa ipsi redundabit in pœnam?*

§. VI.

Quartus textus Canonicus ex Clementina unica, de Iurejurando.

Summaria.

1. *Quo tempore Collegium Electorale, & à quo inſtitutum.*
2. *Negari non poteſt à Summis Pontificibus id factum.*
3. *Probatur auctoritate Concilii Viennenſis.*
4. *Refutatur P. Ludovicus Maymbourg.*

I.

QUo tempore Jus eligendi Romanum Imperatorem ad Principes Germaniæ pervenerit, incertum eſt. Aventinus *lib. 5. Annal.* & Onuphrius Panvinus *lib. de Comitiis*, volunt, Collegium Electorale à Friderico II. inſtitutum, & à Gregorio X. confirmatum. Obiit Fridericus II. MCCL. Gregorius verò Anno MCCLXXVI. Onuphrius credit, Jus eligendi ad Septemviros reſtrictum in Concilio Lugdunenſi, quod Anno MCCLXXIV. auctoritate Gregorii X. convocatum eſt. Alii Gregorio V. attribuunt, natione Germano, Nepoti Ottonis III. qui Anno DCCCCIC. deceſſit. Hanc opinionem Bellarminus, & ſæpè laudatus Morerus in ſuo dictionario hiſtorico, ubi agit de Gregorio V. tuentur. Eamque multæ probant magnæque rationes. *Primò:* Quòd Sigebertus ad Annum MII. ſcribat, Ottonem III. inter alia cum Papa Gregorio V. de iis quæ ad Imperii Jura ſpectant, egiſſe. *Secundò:* Quòd Otto I. aliique deinceps uſque ad Ottonem III. privilegio Leonis VIII. quod habetur *c. in ſynodo. diſt. 63.* Succeſſorem elegerint, idque propagatum, ùt diximus, uſque ad Ottonem III. poſt quem jus eligendi penès Germaniæ Principes fuit; oportet ergo hoc tempore mutationem aliquam circa Electores factam eſſe, alioquin Imperatores eo privilegio tàm magno, támque utili, ſucceſſores no-

res nominandi nunquam abstinuissent. *Tertio:* Quòd Otto III. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem causâ electionis discordiæ Germaniam agitarent, vicino maximè & vigilante ad omnia Gallo, cum Pontifice sic convenerit.

Illud saltem vero propius est, numerum septem Electorum non à Gregorio V. fuisse institutum, sed ab Innocentio IV. in primo Concilio Generali Lugdunensi Anno MCCXLV. Ubi observa, in numero Electorum Ecclesiasticorum tertium poni Archiepiscopum Salisburgensem, uti habetur in Actis Concilii Lugdunensis à Severino Binio *editis, tomo III. Conciliorum p. 2. fol. 167. edit. Colon.* Ubi hoc ordine Electores ponuntur:

Electores Imperatorum Laici

Dux Austriæ.
Dux Bavariæ.
Dux Saxonum.
Dux Brabantiæ.

Prælati

Archiepiscopus Colonienſis.
Archiepiscopus Mogunt.
Salisburgensis.

Isti, ducentur in Insulam quandam Rheni, & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & hi tractabunt de electione Imperatoris: nec adveniet aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Colonienſis, secundus Moguntinus, tertius Salisburgensis. Hæc inter acta Concilii Lugdunensis. Vide etiam Baronium *ad Annum DCCCCXCVI. num. 64.* & Matthæum Parisiensem Monachum S. Albani in Anglia, qui historiam suam perduxit usque ad Annum MCCLIX. adeoque vixit tempore, quo Concilium primum Lugdunense celebratum est. (a)

II. Sed quidquid de tempore & Pontifice in individuo sit, qui jus eligendi ad septem Germaniæ Principes transtulit, certum est, ab aliquo Summorum Pontificum translatum esse; præter enim Scriptores, quorum plurimos videre est apud Bellarminum *lib. 3. c. 3. de Translat. Imperii*, docent ipsi Lutherani Centuriatores: quorum tamen

(a) V. Morerum in Diction.

tamen primæ, potissimæque & innatæ velut partes sunt, quidquid Ecclesiæ Romanæ decorum & glorioſum est, pertinaciter negare.

Sic ergo Centuriatores loquuntur *Centuria 10. c. 10. Gregorius suam patriam (Germaniam) insigni aliquâ dignitate ornaturus sanxit, ut penès solos Germanos esset jus eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Augustus appellaretur. Et Centuria 10. c. 16. Paullo enim postquam redierat (Gregorius Papa) eam fecit de Imperatoris Electione sanctionem, quam hucusq; super annos quadringentos servatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores dicti sunt, Principem deligere.* Et infrà: *Annum, in quo hæc sanctio à Pontifice Gregorio facta est, secundum supra milleſimum Christianæ salutis fuisse invenimus.*

Sanctus Thomas, cui & sanctitas & doctrina cœlitus infusa voluntatem errandi, & facultatem ademit, *in tract. de regimine Principum*, quem Regi Cypri dedicavit *lib. 3. c. 9. Ex tunc (hoc est, post Ottones,) ut historiæ tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat: quæ usque ad ista tempora perseverat, & tantùm durabit, quantùm Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit, in quo casu, ut ex verbis Domini suprà inductis est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Ecclesiæ videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis.*

Fatentur ipsi Principes Electores, quorum maximè res agitur, ut videre est in litteris Marchionis Brandenburgici Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini apud Baronium *Anno DCCCCXCVI n 44.* Et denique Alberti Imperatoris, qui in litteris ad Bonifacium VIII. Anno MCCCIII. Regni sui quinto, decimo sexto calendas Augusti hæc habet: *Profiteor, Beatissime Pater, me bonorum omnium largitiori, ac Vobis & sanctæ Ecclesiæ Tuæ fore pro innumeris misericordiis & immensis beneficiis obligatum, &c.* & infrà: *Recognoscens igitur, quòd Romanum Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis translatum est, in personam Magnifici Caroli in Germanos, &, quòd jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem posteà promovendum, certis Principibus Ecclesiasticis & secularibus est ab eadem Sede concessum, à qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt, pro tempore recipiunt temporalis gladii potestatem ad vindictam malefactorum, &c.*

Et ipse sumus Pontifex Innocentius III. in Decretali *venerabilem, de ele-*

de electione: Unde, inquit, *illis Principibus jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, recognoscimus, ùt debemus, præsertim cùm ad eos jus & potestas hujusmodi ab Apostolica Sede pervenerit.*

In publico etiam instrumento ad Nicolaum III. Pontificem maximum anno MCCLXXIX. indictione 7. Rudolphi Imperat. Anno VI. iidem Principes sic loquuntur: *Nos Principes Imperii universis præsentem paginam inspecturis. Complectens ab olim Romana Mater Ecclesia quâdam quasi germanâ charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decoravit, quod est super omne nomẽ temporaliter præsidentium super terram: plantans in ea Principes tanquam arbores præelectas, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, ut ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti per ipsorum electionem illum, qui frena Romani teneret Imperii, germinarent, &c.* Vide integrum hoc instrumentum apud Bellarminum *de translatione Imperii l. 3. c 3.* Videndus etiam Serarius *lib. 1. Rerum Mogunt. c. 26.* & Gretserus *in defensione Bellarmini. c. 28.*

Ludovicus etiam Morerus in recentissimo Dictionario historico, quod Ludovico XIV. Gallorum Regi dedicavit tomo II. & Spondanus Episcopus Gallus ad annum DCCCCXCVI. idem affirmant.

Ipse P. Ludovicus Maymburgus loco paullo pòst citando illa, quæ citavimus Electorum, Imperatorum, ac Innocentii III. testimonia & monumenta dicit esse fide digna, authentica, revocátque advertates omni exceptione majores, quantumvis ipse in alium sensum, ùt infrà dicemus, interpretetur.

III. Et denique si alia omnia desint, superat omnem exceptionem testimonium Concilii universalis Viennæ in Galliis celebrati *anno MCCCXI.* præsentibus Galliæ, Angliæ, & Aragoniæ Regibus, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Episcopis centum quatuordecim, vel ùt alii, trecentis, præter Abbates & Doctores, & præside ipso Clemente V. natione Gallo, ipsísque Gallis addictissimo, ùt præter alia patuit ex Sede Pontificali Avenionem translata, Christiano orbe & Italiâ præsertim indignante.

Causa scribendæ hujus Clementinæ hæc fuit. Occiso per insidias Alberto Cæsare Austriaco, Clementis V. Pontificis maximi favore & consilio electus à Principibus Germaniæ fuerat *Anno MCCCVII.* Henricus VII. Dux Lucemburgensis. Is Ducem Bavariæ

& Comitem Namurcensem Legatos ad Clementem mittit, qui nomine electi obedientiam & juramentum præstent, petantque confirmationem. Legati humaniter excepti, & quæ petebant concessa. Rogatus etiam Imperator, ut in Italiam Pontifici rebellem, & factionibus Gibellinorum vexatam armatus concederet. Venit Romam Henricus, & majorum ritu ac more defendendæ Romanæ Ecclesiæ juramento se obstrinxit. Posteà cùm simultatibus exortis, & civili bello Italiâ conflagrante, Pontifex pacem imperaret, monerétque Henricum præstiti sacramenti; hic bellum prosequitur, negátque juramentum, quo Ecclesiæ se obligaverat, fidelitatis esse: adeò verum est illud Senecæ: *Nihil charius haberi beneficio, quamdiu petimus; nihil vilius, cùm accepimus.* Moritur paullo pòst Henricus, aut veneno, aut febri extinctus. Hæc ergo causa fuit scribendæ Clementinæ, cujus verba nunc audiamus.

Clemens V. in Concilio Viennensi: *Romani Principes orthodoxæ fidei Professores, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cujus caput Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem ejusdem Redemptoris Vicarium, fervore fidei venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad Imperalis Celsitudinis apicem assumendæ, nec non unctionem, consecrationem, & Imperii coronam accipiunt, sua submittere capita non reputabant indignum, séque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium transtulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes jus & potestas eligendi Regem, in Imperatorem postmodùm promovendum, pervenit, adstringere vinculo juramenti, prout tam mos observationis antiquæ temporibus novissimis renovatæ, quàm forma juramenti hujusmodi sacris inserta Canonibus manifestârit, &c.*

Nota circa hanc Clementinam, Concilium hoc Viennense iterum testari Imperium à Græcis in Germanos auctoritate Sedis Apostolicæ translatum esse, ab eadem jus Electorale constitutum: antiquissimo more electos Imperatores Pontifici Romano se juramento adstrinxisse: Reges & Imperatores Romanæ Sedis advocatos & defensores esse: Juramenta Sedi Apostolicæ à Principibus præstari solita, esse vera juramenta fidelitatis; cujus obligatio qualis & quanta sit, quásque partes complectatur, videre est in epist. ad Ducem Aquitaniæ Fulberti Episcopi Carnotensis, doctrinâ & sanctitate celeberrimi: habetur ejus fragmentum *in c. de forma. causa. 22. q. 5.* Quæ omnia nostram

ſtram ſententiam valde confirmant, cùm non à ſolo Pontifice Romano, ſed à Concilio univerſali fuerint declarata, & ab Epiſcopis Gallicanis non tantùm non impugnata, ſed poſitivè confirmata, & ſanctè habita, ut proinde non doctrina tantùm Clementis V. aut Concilii cenſenda ſit, ſed Eccleſiæ totius Gallicanæ.

IV. Circa Collegii Electoralis & Septemviralis originem non omiſit more ſuo P. Ludovicus Maymburgus ea dicere, quæ Pontificis auctoritatem hac in re minuant, obſcurentque: *In hiſtoria de la decadenze de l' empire lib. 2. anno DCCCCXCVI. prope initium.*

Primò: *Rem*, dicit, *eſſe in tota hiſtoria obſcuriſſimam, cognitúque omnino difficilem, & quam multi de hoc argumento ſcriptis libris evolvereſint conati, ſemper irrito eventu nullóq; operæ pretio, niſi quòd multi etiam Catholici animos partium ſtudiis & affectibus præventos, non veritatem oſtenderint; ſe verò, uti ſperet, principia aliqua collocaturum, ex quibus facilè ſit veritatem ipſam intelligere.*

Secundò: *Certum eſſe, dominante ſtirpe & familiâ Carolinâ jure legitimæ ſucceſſionis Regnum Germaniæ deferri, vel potiùs transmitti ad proximos agnatos conſueviſſe: hancq; fuiſſe legem Francis fundamentalem: donec eâ familiâ extinctâ Reges eligi cœperint. Sic Conradum I. Henricum Aucupem, ejúsque filium Ottonem magnum à Principibus tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus, urbiúmque deputatis electos eſſe.*

Tertiò; *Imperio in Ottonem I. & Alemannos traslato, durâſſe adhuc jus electionis, nec Imperatores aliter, quàm per electionem provectos eſſe uſque ad Fridericum II.*

Quartò: *Quoad ipſos Electores ſæpe variatum eſſe, admiſſo aliquamdiu ad ſuffragia etiam populo ejúsque deputatis; immo Principibus urbibúsque Italiæ, ipsóque per ſuos Legatos Pontifice: quia tunc Italia Regnum pars Imperii Germanici cenſebatur: ſic Henricum IV. Lotharium II. Fridericum I. promotos eſſe.*

Quintò: *Cùm penès Principes Officiales, Miniſtrósque Imperii major poteſtas, & auctoritas ſtaret, mutato electionis ordine ad hos ſuffragandi jus deveniſſe, aliis Principibus, civitatibus, deputatis Imperatorem aliquem præſentantibus tantùm, qui tamen, ſi primi diſſiderent, ipſi Auguſtum pronuntiabant, hoc apparere ex c. 34. de electione, quod eſt Innocentii III.*

Sextò: *Poſt electionem Conradi III. Solos Principes vaſallos, Beneficiarios*

ficiarios Imperii tàm Ecclesiasticos, quàm seculares fuisse ad eligendum admissos: & post electionem Friderici I. Solos Germanos, ùt apparet ex celebri illa Decretali ab Innocentio III. ad Ducem Zaringhiæ: post electionem verò Friderici II. in quam plerique Germani Principes convenerant, istorum consensu & voluntate potestatem eligendi Principibus Septemviris delatam esse, aliis omnibus suffragio exclusis, idq; asseri ab Alberto Abbate Stadensi, & Martino Polono, Friderico II. coævis; ex quibus appareret, Collegium Electorale intra annum millesimum ducentesimum decimum, & millesimum ducentesimum quadragesimum institutum, primumq; fuisse Wilhelmum Hollandiæ Comitem, qui à Septemviris electus sit, Friderico II. in Concilio Lugdunensi censuris & anathemate percusso. Hunc deinde Septemviratũ in aurea Bulla à Carolo IV. adversùs omnem mutationem confirmatum esse.

Ultimo denique: *Certissimam & omni exceptione majorem veritatem esse, jus eligendi Imperatorem à Sede Apostolica ad Principes Germaniæ provenisse; idq; Innocentium III. Concilium Viennense, Electores ipsos, & deniq; Imperatorem Albertum testatum facere, ùt apparet ex monumentis authenticis fide dignis, quæq; in dubium revocari haud possint, nisi fundamentis fidei historicæq; humanæ convulsis.*

Ex his principiis, quæ loco citato Maymburgus posuit, hoc deducit. In electione, ipsóque electo Imperatore duo distingui oportere: Primum, quòd sit caput, suprem ûsque Princeps, & Monarcha Germaniei Imperii, à quo Principes alii dependeant. Secundum, quòd electus solus, exclusísque aliis omnibus unicè jus habeat coronam à Pontifice postulandi. Illud primum quod spectat, nec Electores, nec Imperatores à Pontifice Romano quidquam accepisse; cùm jure naturali divinóque, ùt in aliis Regnis electivis, sic & in Germanico Imperio possint optimates sibi caput & Principem deligere. Secundum verò, hoc est, coronationem à Pontifice Romano fluxisse quidem, esse tamen ritum haud necessarium, & sine qua Imperatori tota Majestas constet.

Tandem Maymburgus cum Baronio congreditur, (amat enim ex magnitudine hostis gloriam captare) *Eumq; quòd Collegii Electoralis Innocentium IV. auctorem faciat, miserè deceptum à suis amanuensibus dicit; cùm fabulas quasdam Matthæi Parisiensis Angli pro actis Concilii Lugdunensis amplexus est, suisq; annalibus pro gemma vitrum intexuit:*

se verò

se verò in eam sententiam ire, ut jus eligendi Germanis concessum, à Leone VIII. provenerit, ut colligere est ex ejusdem Leonis Decreto, quod habemus c. in synodo dist. 63.

Hactenus fideliter Patris Maymburgi sententiam expressimus, quam ille citato libro & Gallico idiomate in publicum exposuit; cui sigillatim refutandæ non immoramur, cùm multa dicat, veritati consentanea; alia verò, quæ ad nostrum institutum non faciunt, libenter prætergredimur, temporis parci; & veritatis, non pugnæ avidi. Demus ergo omnia, quæ ponit, sed illud præsertim, quòd Innocentii III. *in c. venerabilem.* Concilii Viennensis in *Clementina unica de jurejur.* Electorum denique & Imperatorum, quæ suprà citavimus, testimonia, tamquam verissima, indubitata, & adeò fide digna admittit, ut ea non tantùm negari non posse dicat, sed ne quidem vocari in dubium. At verò ex his ipsis Pontificum Principúmque testimoniis clarissimè habemus, non jus tantùm eligendi quòad coronam, ritúmque externum Germanis Principibus concessum à Sede Apostolica fuisse, sed *Eligendi advocatum & defensorem Ecclesiæ; Electoribus dissidentibus posse Romanum Pontificem non tantùm Imperatorem, sed Regem etiam eligere, alio rejecto omníque auctoritate exuto; posse Pontificem declarare electum à Principibus propter hæresin, censuram, aliúdq; impedimentum inhabilem regno esse: posse, immo teneri subditos ab eo, quem Pontifex ejúsve Legatus excluserint, omnino deficere, & juramento solvi: Imperium auctoritate Pontificis à Græcis in Germanos translatum esse: Imperatorem ab eodem Pontifice per Electores recipere temporalis gladii potestatem, &c.*

Hæc omnia sunt verba ipsissima Innocentii, Concilii Viennensis, Alberti Cæsaris, & Principum Electorum, quæ quòd non possint ad solam coronam ritumque externum, & cæremoniam haud necessariam referri, tam est clarum, ut nos pigeat plura disserere, mirumq; sit voluisse hominem doctum utique, prudentemque distinctione tam miserâ fragilique causam tanti momenti fulcire, quam oportebat, aut non suscipere, aut firmiùs protegere.

Sed, inquit, *jure naturali divinoq; qualibet Respublica caput sibi deligit; quid ergò hîc opus auctoritate Pontificia?* Fatemur & nos, nullasq; Pontifici partes concedimus, nisi cùm Ecclesiæ bonum & necessitas urgent, aliiq; casus extraordinarii infrà nominandi, quod ipse Innocentius III. *in Decretali Venerabilem*, & Doctor Angelicus *lib. 3. de Regim. Principis.*

cipis. c. 9. expressérunt, cùm enim miserrimè jactaretur Ecclesia ex ambitione, factionibus, & potentiâ candidatorum, omnino Pontificis officium & cura fuit litibus bellisque modum aliquem & clavum figere, certâ eligendi formâ perpetuò constitutâ.

Quod attinet Albertum Stadensem, & Martinum Polonum, quos duos tot aliis, sacrisque etiam Conciliis Maymburgus opponit, præfertque, jam dudum & solidè respondit Baronius *ad annum DCCCCXCVI. n. 57.* à quo sicut Maymburgus objectionem accepit, oportebat & solutionem accipere, aut, si hæc non placebat, rationem dare, eamque refellere: nunc verò cùm Maymburgus Baronium legerit, Baronium citet, ex Baronio auctores, quos sibi ille objecerat, describat; taceat verò, quæ Baronius ad objecta respondit, equidem vereor, ut laudem à candore bonáque fide hic Auctor mereatur.

Denique ad testimonium Matthæi Parisiensis, quod Maymburgus inter fabulas refert, res sic habet. Matthæus Parisiensis Anglus, Monachus Albanensis historiam scripsit Anglicanam ab Anno MLXVI. usque ad Annum MCCLIX. ùt constat ex continuatione & supplemento ejusdem historiæ ab alio S. Albani Monacho, & habetur in Codice Bibliothecæ Salisburgensis; quamvis Baronius scribat, pervenisse tantùm ad Annum MCCL. Sed vide Morerum in suo Dictionario & vita Matthæi Parisiensis. Editus fuit hic liber Tiguri in Helvetia, civitate Religionis Calvinisticæ Anno MDLXXXIX. & Londini Anno MDLXXI. Nam ex Bibliothecis Anglicanis tempore Elisabethæ Reginæ emersisse ex præfatione ad lectorem certum est, ut mirum non sit, si multa & sæpe in Pontifices declamet; cetera opus est omni ex parte laudatissimum. Hic ergo Auctor, cùm in vitâ Henrici III. prolixè & distinctissimè acta Concilii Lugdunensis primi recitâsset, Decretum de ordinanda Imperatoris electione continuò subjungit.

Electores Imperatorum Laici

Dux Austriæ.
Dux Bavariæ.
Dux Saxonum.
Dux Brabantiæ.

Præ-

Prælati Principales
Archiepiscopus Colonienſis.
Archiepiſcopus Mogunt.
Salisburgenſis.

Iſti, ducentur in inſulam quandam Rheni, & dimittentur ſoli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris. Huic negotio præerit Archiepiſcopus Colonienſis, ſecundus Moguntinus, tertius Salisburgenſis. His à Domino Papa directa eſt diligentiſſima admonitio, ut ſibi aliquem Imperatorem eligerent, &c.

Hæc Parisienſis, quæ poſteà inſerta fuerunt actis Concilii Lugdunenſis, ùt videre eſt in Collectione Conciliorum per Severinum Binium. Sed Principes illic deſignati communi aliorum conſenſu & voluntate, retentoque numero Septemvirali in alios mutati ſunt, ùt expreſsè teſtatur Albertus Stadenſis in Chronico.

Nec obſtat Martinus Polonus, qui claruit ſub Innocentio IV. *Cùm in Ottone III.* hæc ſcribit: *Et licèt iſti tres Ottones per ſucceſſionem generis regnaverint, tamen poſteà fuit inſtitutum, ut per officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem, videlicet Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Brandeburgenſis, Palatinus, Dux Saxoniæ, & Rex Bohemiæ:* Nec enim illa dictio, *poſteà*, ùt vult Maymburgus, refertur ad tempora Ottonum; ſed, quòd poſt iſtos Septemviri elegerint. Et demus, illud *poſteà* ad Ottones pertinere, non negat Polonus auctoritate Pontificis id factum, de quo tamen quæſtio præcipuè vertitur.

Jam Lectoris arbitrium & judicium eſto, quàm feliciter Maymburgus præſtiterit, quæ poſt apparatum pompamque verborum tantam promiſerat, ſe videlicet aliis Auctoribus in obſcuro verſantibus, ipſique Baronio ſæpe impingenti facem prælaturum, enimverò contra tot alios teſtes & monumenta, quæ nos produximus, quæque ipſe Maymbourgus fatetur authentica eſſe, & impugnari non poſſe, nihil aliud exhibuit, quàm duos Hiſtoricos Stadenſem & Polonum: Stadenſis ad rem non facit, ùt oſtenſum; Polonus multo minùs. Quid ergo præſtitit Maymburgus, niſi quòd lectorem ad epulas humaniter & magnificè invitatum vento pavit, dimiſitque?

§. VII.

§. VII.

Quintus textus Canonicus exc. ad Apostolicæ. De sententia & re judicata in 6.

Summaria.

1. *Historia Friderici II. Imperatoris ab Innocentio IV. in Concilio Generali Lugdunensi Imperio exuti.*
2. *Ipsa Decretalis.*

I.

NOn potest hic textus non esse venerationis summæ, parísque auctoritatis, apud Gallos præsertim, utpote in Concilio Lugdunensi conceptus editúsque; qui, ut magis illustretur, facem ex historia præferimus.

Anno MCCIX. Otto IV. ab Innocentio III. coronatus est Imperator: sed vix Româ digressus Flaminiam, Faliscos, Apuliam, aliásque Ecclesiæ ditiones occupat, & jam Neapolitano Regno imminentem Innocentius diris percutit, & Fridericum à Principibus renuntiari Cæsarem curat. Fridericus ergo Henrici VI. filius Imperator eligitur, & Innocentius III. electionem ratam habet. Anno MCCX. Otto prælio cum Friderico congressus memorabili pugnâ cæditur, & in fugam avertitur: hinc mundi pertæsus dolénsque præteritorum, à Pontifice obtentâ absolutione, exemplum veræ pœnitentiæ decedit. Post annos aliquot Fridericus contra Richardum & Thomam Anagniæ comites, Principésque Hetruriæ, ac Innocentii fratres cum exercitu movet, quòd bellum agitarent. Utrúmque vincit, altero in carceres, altero in fugam acto: nec iræ aut victoriæ moderatus, Episcopos curatæ seditionis conscios exilio proscribit, aliósque subornat: & contumaciam delicto adjungens,

jure

jure id factum tuetur, quòd etiam in Episcopos Imperatori potestatem esse diceret, nec alium, extra Deum, judicem agnosceret. Opponere se Honorius Pontifex; *Friderico in Ecclesiasticos jus nullum esse: palatia Imperatoribus non Ecclesias committi: Siciliæ Regnum jure beneficiario à Pontifice Romano Fridericum tenere, hoc se indignum reddere, nisi cœptis absistat.* Cùm verbis nihil ageretur, excommunicatio in Cæsarem fulminatur, qui tamen expeditionem in terram sanctam magno cum apparatu ingressus continuò absolvitur. Sed vix tertium diem vela fecerat, cùm subitò morbum aut passus, aut fingens, in portum redit. Fama est, quatuor supra quadraginta armatorum millia iter ingressos, audito Cæsaris reditu, arma & crucem exuisse, reliquos expeditioni jam accinctos æquè absterritos: Gregorius IX. Imperatorem violatæ fidei ac juramenti reum, tantíque causam mali, anathemate ferit. Anno MCCXXVIII. in Palæstinam Cæsar transmittit, receptâque Civitate sanctâ, aliísque à Sultano Babylonico locis, indignas cum Barbaro conditiones init, pacémque cum Papa instaurat. Anno MCCXXXV. filium ad mortem compellit, ditiones Ecclesiæ vastat, Episcopos Galliæ, Hispaniæ, Angliæque Romam ad Concilium profectos, unaque tres Legatos Cardinales, ac triremes duas & viginti per insidias capit. Gregorio ob tam crudeliter à Cæsare facta, dolore oppresso. Cælestinus IV. Pontifex renuntiatus, sed octavâ decimâ ab electione die extinctus. Successit Innocentius IV. qui Fridericum bello totâ Italiâ grassantem veritus in Galliam secedit, Lugdunum anno MCCXLV. Concilium Generale indicit, in Fridericum apparatu Pontificio indutus, facésque cum aliis Prælatis, qui aderant, manu quatiens, & mox humum allidens solemniter diras pronuntiat, Imperio abdicat, & Principibus, ut alium eligant, mandat. Sequenti anno evectus in Imperium Henricus Thuringiæ Dux. Verùm ab eo tempore fortuna, quæ Cæsari hactenus adhæserat, continuò aversa, omnesque Fridericum execrati, donec factorum impœnitens, & ùt aliqui scribunt, à Manfredo filio notho in lecto oppressus infeliciter excessit, justâ DEI vindictâ, ut, qui Ecclesiam Matrem indignissimè afflixerat, à filio caderet. (a)

(a) Vide Abbatem Urspergensem ad hunc annum. Spondanum ibidem. Morerum in Friderico II.

11. Audiamus nunc Decretalem. Innocentius IV. Sacro præsente Concilio ad memoriam sempiternam. *Cùm dura guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutius afflixisset, nos ad Federicum præcipuum Principem secularem hujusmodi dissensionis & tribulationis auctorem, à felicis recordationis Gregorio Papa IX. prædecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum speciales nuncios & magnæ Auctoritatis Viros duximus destinandos, &c. Nositaq; super præmissis, & quàm pluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabitâ diligenti, (cùm Jesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisq; in Beati Petri persona sit dictum: Quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in Cœlis:) memoratum Principem, qui se Imperio & Regno omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, omni honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus, denuntiamus: & nihilominus sententiando privamus omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes: auctoritate Apostolicâ firmiter inhibendo, ne quisquam de cetero sibi tamquam Imperatori vel Regi pareat, & intendat. Decernendo quoslibet, qui ei deinceps velut Imperatori, vel Regi consilium vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere. Illi autem, ad quos Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem.* Hactenus Concilium Lugdunense.

Audis hîc iterum, non Pontificem tantùm aut Concilium, sed utrúmque, in medio ipsius Galliæ, consensúque Ecclesiæ Gallicanæ sententiam pronuntiantem, quam defendimus, quamque nemo aliùs impugnare potest, quàm, qui apertè se & Concilio universali, & Ecclesiæ Gallicanæ adversarium profiteatur.

§. VIII.

§. VIII.

Sextus Canonicus textus in Extravagante unica, ſi Fratrum. ne ſede vacante.

Summaria.

1. Hiſtoria Ludovici IV. Imperatoris.
2. Textus Extravagantis recitatus, & expenſus.

I.

ERo hujus Extravagantis majori explicatione ſciendum eſt, fuiſſe conditam & promulgatam Avenione in Galliis à Joanne XXII. Pontifice, natione, ſtudiis, promotione Gallo, quique ex Epiſcopo Avenionenſi & Franciæ Cancellario Pontifex electus eſt anno MCCCXVI. teſte Spondano ad eum annum. Multa hic Pontifex ſupremæ in Reges poteſtatis exempla reliquit. Nam Henrico VII. Imperatore vitâ functo, plures ex ſeptem Electoribus Ludovicum Bavarum hujus nominis IV. pauciores Fridericum Auſtriacum Ludovici conſobrinum, Imperatores nominant; Auſtriacus Romæ, Ludovicus Aquiſgrani coronatus, Imperio in partes ſciſſo, bellóque civili, quo Germania diu flagravit, accenſo. Cauſa diſcordiæ fuit, aut quòd Electores Eccleſiaſtici præteriti, nec ad electionem vocati Auſtriaco adhæſerint, aut quòd iſte, licet duo tantùm & certa ſuffragia, pro ſe haberet, Colonienſis videlicet Archiepiſcopi & Rudolphi Bavariæ Ducis ac Comitis Palatini: accedebant tamen alia duo incerta Ducis Carinthiæ, qui ſe Regem Bohemiæ, & alterius, qui ſe Marchionem Brandenburgicum ferebant. Ab utróque, Bavaro videlicet & Auſtriaco Legati Avenionem ad Pontificem miſſi, qui fidelitatem & obedientiam promitterent. Pontifex Legatis benignè auditis, Regium titulum electis, donec lis finiatur,

permittit; diem tamen utríque dicit ad jus ſuum coram Apoſtolica Sede proſequendum, juxta Decretum Innocentii III. *in c. venerabilem de electione.* Ludovicus verò non tantùm Imperatorem agebat, ſed Gibellinos etiam in Italia concitabat, eorum armis & potentiâ Joannem in ſuas partes tracturus: Pontifex Auſtriacum, magnâ vi pecuniæ & Imperio promiſſis, in Italiam contra Ludovicum evocat, non armis tantùm, ſed etiam calamo Romanæ ſedi infeſtum. Inter alios Guilielmus Okamus Franciſcanus ad Ludovicum defecerat, multísque libellis auctoritatem Romanam impugnaverat. Magno prælio ab Auſtriaco Bavaróque Mildorfii pugnatum pro corona eſt. Victoria Bavaro ceſſit, Auſtriacus captus, & poſt triennii carcerem liber dimiſſus, nec multò pòſt dolore & ærumnis confectus eſt, Princeps omnino & ipſe Imperio dignus, ſi duos Imperium caperet. Summa rerum penès Ludovicum ſtetit, extincto æmulo, & arma in Italiam converſa: Ludovicus enim à Gibellinis, qui Italiam vaſtabant, imploratus, auxiliares copias contra Guelfos Pontificios miſit: Pontifex inſtante præſertim Carolo IV. Francorum Rege Ludovicum monet, *Cœptis abſiſtat: copias in Pontificem miſſas revocet: Imperiali titulo, dignitate & functionibus abſtineat, donec de legitima electione doceat; niſi faciat, ipſo facto excommunicationem incurrat.*

Datum eſt hoc diploma Avenione, Anno Pontificatus VIII. Gallis non tantùm hunc actum Pontificiæ poteſtatis non impugnantibus, ſed etiam urgentibus, ſub quorum oculis bulla hæc data & promulgata eſt. (a) Sed Ludovicus indicto Norimbergam Epiſcoporum & Principum conventu, proteſtatus ſe Catholicæ Romanæque Eccleſiæ filium eſſe, omnémque reverentiam Chriſti Vicario debere, ad Concilium univerſale, appellat, jus illic ſuum demonſtraturus. (b) Joannes Papa, ubi videt Ludovicum propoſiti tenacem haud moveri, excommunicationem & cenſuras vibrat, cúmque Imperio abdicat: hîc enimverò Ludovicus in extrema prorupit: quæ tamen non illius culpa fuit, ſed quorumdam potiùs, qui aulam ſequebantur, Doctorum, quique infamibus ſcriptis à ſchola Pariſienſi poſteà concrematis, oleum foco addebant: impoſturæ

(a) Vide Bzovium ad annum MCCCXXIV.
(b) Vide Herwarth pag. 248.

sturæ præsertim Uldarici Hagenohr Cancellarii, paullo pòst vitâ functi malásque artes confessi, ùt videre est in libello P. Niggelii Schyrensis Benedictini, *de bonis operibus Ludovici IV.* Arma igitur à Ludovico in Italiam & Romam translata.

Tertiam illic coronam accepit, nam secundam Mediolani jam acceperat: Petrum quemdam de Corbaria, ex Religione minorum, quem Nicolaum V. appellârunt, Pseudopontificem creat, (qui posteà Avenione in carcere diem obiit:) & Joanni opponit. Quo facto omnium animos in Italia præsertim à se abalienavit, ut palàm deficerent, eúmque in Germaniam reverti compulerint.

Anno MCCCXXXIV. Mortuo Joanne Benedictus XII. eligitur Pontifex Maximus, ad quem missis Legatis renuntiare se dixit Ludovicus titulo Regis & Imperatoris Romanorum, & absolvi petiit. (a) Sed absolutione dilatâ, Legatio anno MCCCXXXVI. repetita, missíque Procuratores, qui nomine Ludovici contra Joannem Pontificem, vel Ecclesiam Romanam olim facta, revocarent, & in integrum restituerent, ablata Ecclesiæ redderent, donationes ab Imperatoribus factas confirmarent &c. Seque, nisi pactis & pollicitis stetesit, excommunicationi aliisque pœnis, etiam amissioni Regnorum & Imperii, si hanc pœnam Pontifex decreverit, submittit: ubi planè agnovit Ludovicus esse Pontifici jus fásque hanc pœnam infligendi: Verba ipsius Ludovici in suo ad Papam diplomate 8. Martii Anno MCCCXXXVI. hæc sunt: *Quod si intra tres menses alios prædictos monitioni prædictæ non paruerimus cum effectu, & per alios tres menses prædictos novem menses immediatè sequentes de gratia expectati, monitioni non paruerimus, ùt præfertur, liberum sit Romano Pontifici, prout sibi expedire videbitur, ad alias pœnas procedere contra nos, privando etiam nos, si sibi videbitur, Imperiali, Regiâ, & quâlibet aliâ dignitate &c.* (b)

Responsum Legatis Ludovici: *Si cum Ecclesia & Deo in gratiam redire vellet, Ochamum, Bonamgratiam, Michaëlem Cæsenatem, folles discordiarum, dederet: Calumnias, suorum instinctu, in Joannem Pontificem passim, & publicè vulgatas, corrigeret: Edicto caveret, neminẽ deinceps Imperatorem esse, vocarique posse, cujus electionem sedes Romana improbaret:*

(a) Bzovius ad annum MCCCXXXX. n. 7. Ex Chron. Alberti Argent. & Mutii de rebus Germanis lib. 24.

(b) V. Bzov. ad ann. MCCCXXXVI. fol. 746. ubi integrum diploma Legatis commissum recitat.

baret: Ipse Ludovicus se suumq; Imperium novæ electioni committeret: pacta deniq; cum Anglorum Rege, aliisq; Regis Christianissimi hostibus rescinderet; hæc, si faceret, ad Ecclesiæ sinum receptum iri. Plerasque harum conditionum Bavarus iniit, nobilissimâ iterum Legatione ad Pontificem missâ: sed bellum Anglicum spem omnem præcidit; dum enim per oratores hæc petebantur, interim arma cum Eduardo contra Philippum Valesium, Galliæ Regem sociaverat, eúmque in Belgio Vicarium constituerat, quo titulo Hollandiam, Geldriam, Brabantiam sibi Anglus adjunxit. Ergo ne Ludovicus in gratiam cum Ecclesia rediret, obstabat Gallus, ejúsque offendendi metus. Maymburgus *de la decadenze &c. lib. 6. Anno* CCCXXXVII. *initio.*

Anno MCCCXXXVIII. Eò res devenerant, ut Benedictus expugnato mitigatóque Philippi Francorum Regis animo, missâque etiam Roberto Duci Bavariæ, & Ludovici ex filio nepoti, rosâ benedictâ, negotium in portu videretur: cùm ex insperato omnia iterum turbata, Francofordiam Comitia Ludovicus indicit: Angliæ Regem Imperii Vicarium pronuntiat, Legatos suos Avenione revocat, & novum Germaniæ Patriarcham constituit, ac diploma vulgat, quo potestatem regiam in nullo casu Pontificiæ subjacere declamat, & qui huic Decreto non subscriberent, sacros, prophanos, Ecclesiis, Monasteriis, bonis omnibus movet. (a)

Mortuo Benedicto Clemens VI. Ludovicum Ecclesiæ civitates invadentem, diris iterum, & cum apparatu percutit, jubétque Imperii Electores, abdicato Ludovico alium Imperatorem eligere; Maymburgus *de la decadenze lib. 6. anno* MCCCXLVI. Si negligerent, jus eligendi ad Pontificem devolutum iri: paruerunt Electores, evectóque in Imperatorem communibus votis Carolo, Marchione Moraviæ, hujus nominis IV. sequenti anno MCCCXLVII. Ludovicus equo, dum ursum insequitur, lapsus, aut, quod alii dicunt, veneno periit. Eodem anno Ochamus fax omnium malorum extinctus est. Ludovicum priùs sibi redditum, quàm moreretur, & veniam peccatis suis, opémque Deiparæ Virginis implorâsse, quàmplures historici tradunt apud Bzovium ad annum MCCCXLVII. Et Maymburgus *lib. 6. de la decadenze de l' empire.* Nec negari potest fuisse Ludovicum Principem Imperio omnino dignum, & in quem omnes artes

(a) Vide Bzovium ad annum MCCCXXXVIII. à n. 8. Trithem. Nauclerum Generatione 45. ad annum MCCCXXXVIII. circa finem.

artes regnandi, cum magna pietate, munificentia, clementiáque confluxerant: &, si pugnas cum Romanis Pontificibus aliorum potiùs consiliis, dolis, duritiâque promotas excipias, æternâ memoriâ dignum: de cujus virtutibus vide laudatum Patrem Niggelium, qui ex M. SS. codicibus Bibliothecæ Schyrensis §. 8. & 9. cap. 5. hæc recitat; *Benedicto successit Clemens VI. Quid hîc iterum noster Ludovicus? Minimè defuit causæ. Nam alios de novo Legatos misit, qui seriò cum omni animi demissione absolutionem (si quæ opus habuisset) peterent; atque ut toti orbi innotesceret, quàm obtemperantem se Apostolicæ Sedi stiterit, iisdem chartam pergamenam sub sigillo suo magno commisit, eámque apertam, puram, mundam (biancam vocant) nullis tinctam litteris alióve genere, (sic expressè lego in nostro M.S. auctore, quem propter venerandam antiquitatem in his bonis Ludovici nostri operibus passim sequor) eum in finem, ut quidquid summus Pontifex injungere, qualemcúnq; pœnitentiam, aut satisfactionem à Ludovico fieri vellet, id omne inscriberetur, &c. Attamen Legatos sensit perfidos. Nam chartam, ùt jam dixi, litteris omnino vacuam insigni & inauditâ perfidiâ onerârunt; siquidem in gratiam Clementis scripsêre Ludovicum liberè se fateri hæreticum, & illegitimè in Regem electum; id quod deinde publicè recitatum ansam dedit (si ansa fuit) Clementi ad anathemata, &c. Quidquid sit, ista omnia patientissimè tulit Ludovicus, & vel hâc solâ patientiâ maximos Imperatores superavit, quia seipsum vicit: Maxima autem victoria est sui ipsius. Similis aut majoris perfidiæ erat ejus Cancellarius M. Ulricus Hagenohr Augustanus: Is cùm sigillum Imperatoris curæ suæ demandatum haberet, accidit fortè, ut à nonnullis Magnatibus ob æs alienum contractum graviter accusaretur. Ubi ex jussu Ludovici per 18. aut 15. Prælatos se Norinbergæ purgavit, mox pristinæ dignitati restitutus est: asserebant enim Prælati, Cancellario contra jus & æquum esse factum. Interim perfidus iste Cancellarius omnem lapidem movit de vindicta sumenda. Proinde Magnates illos ad Cæsarem gravissimè detulit, & eidem assiduus instigator fuit, ut ii Imperio pellerentur, omnibúsque bonis suis quamocius exuterentur: sed cùm actum ageret, tale quid commentus est. Ludovicus iteratò misit Legatos Avenionem ad Clementem, additis etiam litteris, in quibus promittebat debitam obedientiam Sedi Apostolicæ. Hoc prorsus opportunum sibi duxit M. Ulricus. Nam cùm Cæsar ejus vindicem agere nollet, ipse sui vindicem in Cæsare egit. Etenim litteris aliis perfidè fictis, & Cæsareo sigillo munitis inseruit, Pontificem esse bestiam illam de mare ascendentem, &c.*

tem &c. Atque hoc illius tam grande facinus eò usque latuit, donec id supremo judici revelare placuit tali modo. Non enim multò pòst Ulricus gravi morbo correptus, inter acerrimos corporis animiq; cruciatus publicè fassus est, se unicam ferè horum malorum Pontificem inter & Imperatorem causam extitisse, eò quòd Ludovicus hostes suos secundùm suam totiès repetitam petitionem è medio non sustulisset. Quod ubi Cæsar resciv it, & unà ex Medicis intellexit, eundē ultra tres plures vé dies in vivis haud futurum; tametsi, ait, sceleratus hic homo omni pœnâ & morte turpissimâ dignissimus foret, ego tamen ejus judicium supremo judici relinquo. Et cum dicto ubertim in lacrymas prorupuit: das grosse Weinen (*refert M S. noster auctor*) vnd Klagen / das der Käyser hätt / kan niemand beschreiben / *potuisset utique miserum hominem misserimè perdere, nisi misericordiam patientis Christi in animum revocâsset &c.*

Carolus IV. Romæ coronatus est Anno MCCCLV. & materiam contentionibus, quæ adeò frequentes erant & pernicioſæ, circa electiones Imperatorum ſublaturus, Norimbergæ celebrem illam conſtitutionem edidit, quam vocant Bullam auream Anno Chriſti MCCCLVI. Innocentii VI. Anno IV. cum conſenſu & approbatione Legati Apoſtolici, Magnatúmque Imperii. Ceterùm ipſe Carolus, priusquam à Sedis Apoſtolicæ Legatis, Petro Oſtienſi Epiſcopo, & Ægidio S. Clementis Cardinalibus nomine Innocentii, qui Avenione degebat, coronaretur, ſolemni juramento donationes Romanæ Eccleſiæ olim ab Imperatoribus factas confirmavit, eíque defendendæ ſe obſtrinxit, ùt videre eſt in ipſo Caroli diplomate, apud Bzovium ad Annum MCCCLV.

Jam ad noſtram Extravagantem à longo, ſed neceſſario diverticulo redeamus. Cùm Gibellinorum factionibus armísque eodem tempore Italia turbaretur, quo à Joanne XXII. electionem ſuam confirmari Ludovicus petebat, adeò ut Italiæ Proceres priſtinæ libertatis & Imperii admonitos, ad defectionem urgerent, ejectis Ferrariâ Romanis Præfectis, Joannes præſentem edidit extravagantem, in qua vacante Imperio interim à ſummo Pontifice, ſaltem per Italiam, jus Imperiale exerceri ſolitum dicit, jubétque Ludovicum electione adhuc dubiâ, & lite inter ipſum & Fridericum Auſtriacum necdum deciſâ, Imperatoriis faſcibus abſtinere. Hodierno tamen jure poſt auream Bullam Vicarius Imperii eſt Dux & Elector Saxoniæ, in partibus vid. Saxonici juris, & omnia

illa

illa potest, exceptis specialibus, quæ Imperator: in partibus verò Rheni, Sueviæ, Franconiæ Comes Palatinus, à quo hanc dignitatem Vicariatûs transiisse in domum Bavaricam auctoritate Ferdinandi II. scribit sæpe laudatus Hermes *in Fasciculo c. 23.*

Audiamus jam verba ipsius Extravagantis. *Si fratrum & Coëpiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet jura illibata servari & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus, multò fortius pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ Sponsæ nostræ juribus & honoribus conservandis, ex injuncto nobis officii debito, Apostolicæ provisionis partes tenemur impendere, ne temporibus nostris usurpationis injuriam subeant. Sanè in nostram & fratrum nostrorum deductum est notitiam, quòd vacante Imperio, cùm in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui in persona Beati Petri terreni simul & cœlestis Imperii jura DEVS ipse commisit, Imperii prædicti jurisdictio, regimen & dispositio devolvuntur, &c. Nos igitur volentes nostris & Ecclesiæ Sponsæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis ac scandalis, quæ ex retentione, assûptione seu resumptione hujusmodi orta sunt hactenus, nec non periculis animarum salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus omnes sub excommunicationis pœna, & singulos cujuscunque statûs, præeminentiæ, dignitatis aut conditionis existant, etiamsi Regiâ, seu aliâ quacunque præfulgeant dignitate, qui post vacationem Imperii absque nostra, vel Sedis prædictæ licentia hujusmodi Vicarii nomen assumpserunt, vel retinuerunt, abusu, potestate, & exercitio suprà dictis prorsus abstineant, & omnino desistant. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes & singulos, qui hujusmodi vicariatûs nomen retinentibus juramento fidelitatis tenentur adstricti à juramento hujusmodi, quantũ ad hoc de potestatis plenitudine absolventes Apostolicâ auctoritate firmiter inhibemus eisdem, ne talibus, ut Vicariis vel officialibus Imperii aliquatenus pareant, vel intendant, &c. datum Avinione in domo Episcopali pridie Calendas Aprilis, Anno. 1.*

Habemus in hac Extravagante Beato Petro cœlestis simul & terrestris jura Imperii commissa: quando sæcularis judicis copia non est, recurri ad summum Pontificem posse: si propter eligentium discordias Imperium & consequenter Ecclesia, cujus Advocatum Imperator agit, periclitatur; posse summum Pontificem Electis & Electoribus imperare, quæ componendæ paci necessaria fuerint.

Ubi animadverte, non esse aut negotii, aut intentionis nostræ examinare, quæ inter Ludovicum Imperatorem, summósque Pontifices contigêre, id enim ab aliis præstitum est, multísque ambagibus plenum: id solùm contendimus, quæ à Joanne XXII. Benedicto XII. & Clemente VI. contra Imperatorem, ejusq; abdicationem decreta sunt, in Galliis facta, & promulgata esse, & à Gallo ipsísq; Electoribus probata, qui vivente adhuc Ludovico Bavaro Carolum IV. elegêre, ut Clementis VI. mandatis obedirent: teste Maymb. *lib.6. de la decadenze.* Et potissima ratio, quæ Pontifices remorata est, ne Ludovicum nunc armatum, nunc supplicem Ecclesiæ & Imperio restituerent, Galliæ Regum auctoritas fuit; qui nunquam Pontifices ad Imperium Ludovico adimendum, alteríque dandum ursissent, nisi hanc in Pontifice potestatem agnoscerent; quis enim de Regibus æqui amantissimis sibi persuadeat, cùm audirent, videréntque Imperatores citari, puniri, abdicari, coronas transferri, diplomata contra illos & sententias dici, scribique; eas in Gallia non tantùm ferri, sed etiam promulgari, passuros fuisse; immo, ut fierent, omnino adlaborâsse, si crederent nullam in Reges esse Pontifici auctoritatem? Plane ipsi Galli scriptores fatentur, Reges Galliæ inprimis apud Pontifices id egisse, ne Ludovicum in gratiam Regnúmque reciperet, & Imperium Carolo conferret. Vide Morerum, *in Dictionario Historico in Vita Ludovici IV.* & Maymburgum *lib.6.de la decadenze de l'empire, ad annum MCCCXL. & MCCCXLI. & MCCXLIII.*

§ IX.

§. IX.

Septimus textus Canonicus in Extravagante, unam sanctam: inter communes, de Majoritate & obedientia: & Extravagante, meruit: de privilegiis.

Summaria.

1. *Quæ de Bonifacio VIII. apud Gallos opinio.*
2. *Semper Principibus fatales & pernitiosæ sacerdotum, Pontificum præsertim, persecutiones, quod exemplis ostenditur.*
3. *Constitutio Bonifacii.*
4. *Confirmata per aliam Clementis V. Gallorum studiosissimi, quæ expenditur.*

I.

BOnifacii VIII. Pontificis maximi memoriam Gallis infaustam ingratámque esse, nemo est, qui ignorat, nec nobis animus est, quæ inter illum Regésque Galliæ contigerunt aut excusare, aut proscindere: hoc non debemus, illud nolumus; cùm non de virtutibus vitiisque nobis concertatio, sed veritate sit.

De Bonifacio VIII. *ad annum MCCCIII.* sic loquitur Spondanus Episcopus Gallus: *Moritur Bonifacius animi mærore anno MCCCIII. Pontificatûs sui 9. in quem, cùm scriptores Franci stylum acuant, laudatur tamen ab aliis, tanquam Ecclesiasticæ libertatis egregius defensor, observátque Genebrardus: Philippum IV. cognomine Pulchrum Galliæ Regem nunquam deincepi prosperè habisse, ùt ab Episcopo Moranensi viro sanctissimo prædictum fuerat, tribus etiam ejus filiis absque prole masculâ brevi extinctis.* Ubi observare licet: permissum

quidem esse Regibus & Principibus sua jura suásque dignitates contra quoscunque etiam Romanos Pontifices tueri, salvo semper moderamine inculpatæ tutelæ, &, ne plus agant, quàm oportet; id enim exigit reverentia communi Patri Christique Vicario debita; unde perpetua omnium temporum experientia docuit, malè semper Principibus cessisse, cùm terminos justæ defensionis egressi, & vindicandi studio rapti, arma contra sacerdotes, præsertim Pontifices, induerunt: adeò ut scriptores illi, aulicique, qui prætextu quidem Regiæ potestatis augendæ, sed reverâ, ut lucrum & auram captarent, Principes contra Pontifices armârunt, unà etiam perdiderint.

II. En tibi exempla Paralipomenon 2. *cap.26.* post descriptam Oziæ Regis felicitatem, quam diu divinæ legi obedierat, subjungit sacer textus: *Sed cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum DEUM suum, ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis, stetimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, restiterunt Regi, iratúsque Ozias minabatur sacerdotibus, stetimque orta est lepra in fronte ejus, & perterritus acceleravit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini.* Et 2. Paralipomenon 24. *versu 1. & 17. Septem annorum erat Joas cùm regnare cœpisset, fecitque, quod bonum erat coram Domino cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis. Postquam autem obiit Jojada, ingressi sint Principes Juda & adoraverunt Regem, qui delinitus obsequiis eorum acquievit eis. Et dereliquerunt templum Domini DEI Patrum suorum, & facta est ira contra Judam & Jerusalem propter hoc peccatum. Spiritus itaque DEI induit Zachariam filium Jojadæ Sacerdotem, & stetit in conspectu populi & dixit eis; Hæc dicit dominus Deus: quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum miserunt lapides juxta Regis Imperium. Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus & requirat. Cùmque evolutus esset annus, ascendit contra eum exercitus Syriæ, & interfecit cunctos Principes populi. Et certè cùm permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eò quòd dereliquissent Dominum DEUM. In Joas quoque Regem ignominiosa exercuêre judicia. Et abeuntes dimiserunt eum in languoribus magnis: surrexerunt autem contra eum servi sui in ultionem sanguinis filii Jojadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo, & mortuus est.* Vides hic exemplum memorabile

Prin-

Principis, dum Sacerdotum consilio paruit, felicis, posteà adulatione decepti, perditique.

Arcadius Imperator post victorias contra Rufinum, Persas, Gainam, cùm Chrysostomo, aliisque Episcopis cœpit infestus esse, eosque in exilium cogere, aliisque modis affligere, intempestivâ morte, & vix trigesimum primum ætatis annum egressus, vivis eripitur. *Socrat. lib. 6. cap. 17.* Sed multò infelicior Eudoxiæ Imperatricis, eundem Chrysostomum persequentis mors: quæ, cùm uterum ferret, fœtu diu retento & putrescente, tandémque magico carmine effuso, animam unà emisit; & urna, in qua cadaver ejus conditum, visa perpetuò agitari. *Niceph. lib. 13. c. 36.* Nec est, ut aliquis dicat, Chrysostomum fuisse sanctum, & ideò illius persecutores tam acriter punitos; nam & dignitas ipsa Pontificia, quâ Christum repræsentant, & character quo insigniti sunt summi Pontifices, multò majorem sanctitatem habent, & venerationem merentur.

Justinianus Imperator debellatis Gothis, Wandalis, Persis, Affricâ Italiâque receptis, pacis & belli artibus glorioſissimus, ad summum pervenerat felicitatis & potentiæ: cùm Theodoræ blanditiis captus, Vigilio Pontifice Maximo diriſſimè vexato pulsoque, in hæresin labitur, eâque ipsâ horâ, quâ Anastasium Episcopum Antiochenum aliósque alsacerdotes in exilium rapi jusserat, improvisâ morte occumbit. *Nicephorus lib. 17. c. 31.* Ipse Belisarius Justiniani Dux, qui Affricam, Persiam, Siciliam, Italiam, Romam victoriis & triumphis impleverat, dum sævienti Theodoræ Imperatrici obsequitur, & Silverium Papam in exilium pellit, ipse tandem in suspicionem affectatæ tyrannidis adductus, amissis dignitatibus, opibus, oculis, inter ærumnas ultimámque paupertatem è vivis abiit. *Zonar. Cedrenus, Glycas, &c.*

Theodorico Gothorum Regi omnia ex voto fluxerant, donec Joannem Pontificem mori inter carceres ærumnasque compulit, tunc aversâ fortunâ, & mente captus delirio extinctus est. *Procop. de bello Goth.*

Fridericus Ænobarbus post toties afflictam vexatámque Romanam Ecclesiam, factorum pœnitens, susceptâ in terram sanctam expeditione, deletis ad internecionem usque aliquoties Barbaris, in medio victoriarum cursu, dum æstum meridianum natatu levat,

infeliciſſimè mergitur, DEO videlicet injurias olim Pontificibus illatas vindicante. (a)

Fridericus II. Imperator Romanæ Eccleſiæ ſummiſque Pontificibus toties infeſtus & excommunicatus, tandem à proprio filio ſtrangulatur. Exemplis hujuſmodi abundant hiſtoriæ. Nos ad extravagantem Bonifacii revertimur, quam primò dabimus, deinde aliam Clementis V. ut hujus apud Gallos auctoritas etiam illam muniat, & hæc alterius exceptiones abſolvat. Sic ergo habet:

Bonifacius VIII.

III. *Unam ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam urgente fide credere cogimur, & tenere. Igitur Eccleſiæ unius unum corpus, unum Caput, non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique Succeſſor, dicente Domino ipſi Petro; Paſce oves meas; non ſingulariter has vel illas, ſed generaliter, per quod commiſiſſe ſibi intelligitur univerſas, &c. In hac ejúſque poteſtate duos eſſe gladios ſpiritualem videlicet, & temporalem evangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis, Ecce gladii duo hic, in Eccleſia ſcilicet; cùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in Petri poteſtate temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exerendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam ſacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nã cùm dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas niſi à DEO, quæ autem ſunt à DEO, ordinata ſunt; non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundum B. Dionyſium, lex divinitatis eſt, infima per media in ſuprema reduci &c. Ergo ſi deviat terrena poteſtas, judicabitur à poteſtate ſpirituali: ſed ſi deviat ſpiritualis minor, à ſuo ſuperiori: ſi verò ſuprema, à ſolo Deo, non ab homine poterit judicari, &c. Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis.*

Habemus in hac Extravagante: Petro ejúſque Succeſſoribus utrúmque gladium datum eſſe, temporalem, vicelicet, & ſpritua-

(a) Ut expreſſè habet Neubrig. l. 4. c. 15. Vide Bleſenſem epiſt. 169. vel 172.

lem: potestatem temporalem & Regiam, spirituali tanquam digniori subesse; & si contingat temporalem errare, à spirituali corrigendam, judicandámque esse. Supremam verò & Pontificiam dignitatem, non alium judicem, quàm DEUM habere. Videtur hæc constitutio à Bonifacio edita circa *annum MCCCII.* ardentibus jam inter ipsum Regémque Galliæ Philippum simultatibus, quas multò etiam magis hoc Decretum accendit. sic enim illud interpretati sunt Galliæ proceres, ut crederent, voluisse Bonifacium Regnum Galliæ sibi temporaliter tanquam Beneficiarium subesse, illúdque à Papa, non verò legitima successione, accipi oportere, ùt legere est in epistolis à Clero Gallicano ad Bonifacium datis *in libro Gallico libertatum Ecclesiæ Gallicanæ n.14.* Clemens ergo V. ut omnem dubitandi dissidendique materiam amoveret, Bonifacianam in hunc modum explicavit.

Clemens V.

Meruit Charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum illustris, sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorum suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac devotionis sinceritas, ut tàm Regem, quàm Regnum favore benevolo prosequamur. Hinc est, quòd nos Regi & Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit: unam sanctam: nullum volumus, & intendimus præjudicium generari, nec quod per illam Rex, Regnum & Regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quàm anteà existebant, sed intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.

IV. Nota, Clementem definire, Regnum Galliæ per Bonifacii constitutionem non magis Ecclesiæ Romanæ subjectum esse, quàm anteà fuerit; agnoscit ergo aliquam & antiquam subjectionem temporalem, (de hac enim tantùm, non vero de spirituali dubitabatur:) cùm novam tantùm excludat: ea verò antiqua subjectio, nec juris humani, sed divini & naturalis ac regnis coæva, est illa ipsa, quam defendimus; cùm videlicet necessaria est ad veram fidem ac religionem conservandam, finémque spiritualem, quem omnia regna & imperia spectant, consequendum. Si enim Clemens Papa ne hanc quidem & indirectam potestatem agnosceret, non diceret: post Bonifacii Constitutionem Regnum Galliæ non ampliùs esse subjectum Ecclesiæ Romanæ, *Quàm anteà: & esse in eodem statu, in quo ante constitutionem fuerat:* sed potiùs, nec ante constitutionem, nec post ullo modo subjectum esse.

Ubi

Ubi ad tollendam omnem æquivocationem, quæ posset occurrere, sciendum est, cùm quæritur, an summus Pontifex in Reges, & Regna temporalem habeat potestatem? absolutè responderi posse, nullam habere. Cùm enim hæc potestas sit indirecta, subsidiaria, per accidens, ac extraordinaria, non denominat subjectum, quod tale dicitur ab iis, quæ plerúmque, non verò quæ rarò accidunt. *Per L. 3. & 4. ff. de LL.* Quemadmodum absolutè dicimus Principem aliquem Italum & Hispanum non posse eligi Imperatorem, quæ propositio non excludit potentiam extraordinariam: & in hoc sensu loquitur Innocentius III. *in c. venerabilem, qui filii sint legitimi. & c. novit. de judiciis.* Ubi absolutè summus Pontifex negat sibi esse potestatem temporalem in Reges Galliæ: eâque si uteretur, indebitam & usurpatam fore.

§. X.

Octavus textus Canonicus ex cap. grandi, de sup. plen. neglig. Prælat. in 6.

Summaria.

1. *Innocentius IV. Gallis amicissimus.*
2. *Causa & historia scribendi hujus Decretalis.*
3. *Ipsa Decretalis recitata & expensa.*

I.

AUctorem habet hæc Decretalis Innocentium IV. de quo Spondanus *ad annum MCCXLIII. Fuit*, inquit, *patriâ Genuensis, insignis Juris-Consultus, tantique à multis æstimatus, ut Patrem veritatis appellare non dubitârint.* Regibus Galliæ planè addictissimus, ad quos sibi à Friderico II. metuens confugit, & indulgentiam decem dierum iis omnibus concessit, qui pro Rege

Rege Christianissimo preces ad DEUM funderent, ùt testatur S. Thomas *in 4. dist. 20. q 1. a. 3.* Spondanus *ad annum MCCLIV.* Verba D. Thomæ *loc. cit.* sunt: *Quicunque orat pro Rege Franciæ, decem dies habet indulgentiæ à Papa Innocentio IV.* Celebravit Concilium universale Lugdunense, & in conspectu totius Galliæ, quòd infrà dicetur, Fridericum II. Imperio exuit.

II. Dedit Innocentius Decretalem nostram in Galliis *Anno MCCXLV.* ejúsque scribendæ causam Mariana *lib. 13. c. 4.* in hæc verba recensèt: *Per id temporis Sancio Capello Regi Lusitano Mencia Reguli filia connubio juncta fuit, viri usque adeò potens, ut non Principem se, sed ministrum ageret faminea cupiditatis. Apud eam gratiâ & auctoritate plurimùm poterant, quos minimè omnium oportebat, ii soli omnium consiliorum participes erant, sine illis, neq; domi, neq; foris quidquam majoris rei gerebatur. Proceres rempublicam ignobilium hominum arbitrio agitari molestè ferebant. Res ad Pontificem Romanum delata. Viri sancti adhibiti, qui Regis animo, alioquin minimè mali religionem incuterent. Nihil eâ diligentiâ profectum. Erat Sancio frater ætate proximus eximiâ indole, Alphonsius nomine. Episcopi Bracharensis, & Conimbricensis ad Innocentium Pontificem, qui hoc anno Lugduni Concilium congregârat, à Lusitanis proceribus amandati, cùm Pontifici causas legationis explicâssent, ut Sancius Regno pelleretur, non potuerunt impetrare. Id modò concessum, ut Alphonsius, dum viveret, rempublicam gubernaret.*

III. Ipsa Decretalis sic habet: Innocentius IV. Baronibus & Comitibus Regni Portugalliæ. *Mandamus, quatenus dilectum filium nobilem virum præfati Regis Portugalliæ fratrem de devotione, probitate, ac circumspectione multipliciter commendatum, præsertim cùm ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque piorum locorum Regni præfati, & personarum Ecclesiasticarum, nec non viduarum, orphanorum, & ceterorum ibidem degentium sit assumptus, cùm ad vos accesserit (fidelitate, homagio, juramento, seu pacto, si aliquibus forte præfato Regi vel cuicunq; alii personæ tenemini, aut etiam ipsius Regis prohibitione nequaquam obstantibus:) in civitatibus & munitionibus Regni prædicti, cum omnibus suis recipere absq; difficultate qualibet procuretis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bracharensi Archiepiscopo & Episcopo Conimbricensi damus in præceptis, ut vos per censuram Ecclesiasticam appellatione remotâ compellant. Per hoc autem non intendimus memorato Regi, vel ipsius legitimo filio prædictum Regnum adimere: sed potiùs sibi & eidem Regno destructioni expositio, ac vobis ipsis consulere.*

Vides hîc iterum tàm ex hiſtoria, quàm contextu ipſius Decretalis, Regno & conſequenter Eccleſiâ periclitante, cujus Advocati Reges ſunt, poſſe ſummum Pontificem, legitimum alioquin Regem administratione privare, coadjutorem illi aut vicarium dare, ſubditos juramento fidelitatis abſolvere, &c. Et hæc omnia præſtare Pontificem ſuo jure, nec Prælatis Galliæ, qui ad Concilium confluxerant, aliud id mentem veniſſe, multóque minus hujc in Galliis exercitæ poteſtati litem intendiſſe.

§. IX.

Nonus Textus Canonicus ex c. per venerabilem, qui filii ſint legitimi.

Summarium unicum.

Cauſæ Decretalis ſcribendæ, & ipſe textus.

I.

AUctor hujus Decretalis eſt Innocent. III. de quo Spond. *ad annum MCXCVIII. Innocentius præ ceteris omnibus ob vitæ honeſtatem, & ſcientiam litterarum, licet flens, ejulans ac renitens, electus eſt ad Pontificatum: ſed & ſigno viſibili electio ejus confirmata eſt, columba poſt ejus nominationem candidiſſima juxta dexteram ejus inſedit.*

Cauſa hujus ſcribendæ Decretalis Innocentio fuit, ut reſponderet ſupplicationi Guilielmi comitis Peſſulani, qui ex Mathilde, filia Emmanuelis Imperatoris, legitima uxore, unicam filiam ſuſceperat, ex Agnete pellice filios aliquot, quos legitimari ab Innocentio III. petebat, allegato Philippi Galliæ Regis exemplo, cujus filios illegitimos natalibus Pontifex reſtituerat. Sic Decretalis ſonat.

Innocentius III.

Nobili Viro Guilielmo Montis Peſſulani. *Per venerabilem fratrem noſtrum Arelatenſem Archiepiſcopum, tua Nobis humilitas ſupplicavit, ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis,*

eis, quò minùs tibi succederent, natalium objectio non noceret, &c. Videbatur autem ex eo trahere majorem audaciam postulandi, quòd cum Regis Francorum filiis de benignitate Apostolicæ Sedis dispensavimus, &c. Rationibus igitur hisce inducti Regi gratiam fecimus, requisiti, causam tam ex veteri, quàm novo testamento trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in aliis Regionibus certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, sed quia, sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicium inter portas videris variari, venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: & facies, quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus: sequerisq; eorum sententiam: qui autem superbiverit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, decreto judicis morietur. Sanè cùm Deuteronomium, lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut, quod ibi decernitur, in novo testamento debeat servari: locus enim, quem elegit Dominus: Apostolica Sedes esse cognoscitur. Cum enim Petrus urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat revocare, interrogatus ab eo: Domine quò vadis? respondit, venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro se dictum ad locum ipsum protinus est reversus. Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis jure Levitico in executione sacerdotalis officii coadjutores existunt. Is verò super eos sacerdos sive judex existit, cui Dominus inquit in Petro; Quodcunque ligaveris super terram erit & ligatum in cælis. Ejus Vicarius, qui est sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, constitutus à DEO judex vivorum & mortuorum. Tria quippe distinguit judicia. Primum inter sanguinem & sanguinem, per quod criminale intelligitur & civile. Ultimum inter lepram & lepram, per quod Ecclesiasticum & criminale denotatur. Medium inter causam & causam, quod ad utrúmque refertur, tam Ecclesiasticum quàm civile: in quibus, cùm aliquid fuerit difficile, & ambiguum, ad judicium est Sedis Apostolicæ recurrendum, cujus sententiam, qui superbiens contempserit observare, mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam velut mortuus à communione fidelium separari. Paulus etiam, ut plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinth. scribens ait: Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia? Licet igitur cum filiis sæpe dicti Regis (de quibus an fuerint legitimi ab initio dubitabatur,)

bitabatur) duxerimus dispensandum: quia tamen tam lex Mosaica, quàm Canonica sobolem susceptã ex adulterio detestatur testante Domino, quòd manzeres & spuru usq; ad decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt. Canone verò vetante tales ad sacros ordines promoveri: sæcularibus quoque legibus non solùm repellentibus eos à successione paternâ, sed negantibus ipsis etiam alimenta: petitioni tuæ non duximus annuendum, &c.

In hac Decretali Summus Pontifex apertè testatur, se in locis dominio suo temporali subjectis plenam exercere jurisdictionem temporalem, in aliis verò locis non plenam, sed limitatam, certisque ex causis: idque jure non tantùm voluntarii compromissi (de quo nullum dubium esse potuit, cùm hoc non in solam personam Summi Pontificis cadat) sed jure divino expresso Deuteron. 17. & 2. ad Corinth. 1. Videatur Barbosa *ad hoc c.*

§. XII.

Decimus textus Canonicus ex c. alius item. causa 15. aliíque textus allegati.

Summaria.

1. Recitatur c. alius item. causâ 15. q. 6. aliíque textus remissivè.

I.

HUjus textus historiam infrà & ex professo explicabimus, quò lectorem remittimus, nunc tantùm verba recitabimus: habetur autem hic Canon in regesto Gregorii VII. *lib. 8. epist. 21. ad Hermannum Metensem Episcopum scripta*, ubi: *Alius*, inquit, *Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tanta potestati erat inutilis, à Regno deposuit: & Pipinum Caroli M. Imperatoris Patrem in ejus locum substituit, omnésque Francigenas à juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit. Quod etiam ex auctoritate frequenti*

agit

agit S. Ecclesia, cùm milites absolvit à vinculo juramenti: quod factum est his Episcopis, qui Apostolica auctoritate à Pontificali gradu deponuntur.

Ceterùm ad propositum argumentum, nostramque sententiam confirmandam deserviunt multi alii canones, quos brevitatis causâ tantùm allegabimus, sunt autem *c. ad abolendam 9. de hæret. 6. licet 10. de foro compet. c. ult. de pœnis. c. decernimus. de sentent. excommunic. in 6. c. Si duobus. de appellat.*

§. XIII.

Ecclesiasticam potestatem etiam in Reges eorúmq; temporalia extendi, auctoritate Concilii Constantiensis, quâ Conventus Gallicanus maximè nititur, clarè ostenditur.

Summaria.

1. *Historia Concilii Constantiensis.*
2. *Ejus pro nostra sententia quàmplures constitutiones.*
3. *Quas cùm Galli, & meritò venerentur, omnem exemptionem superant.*

I.

COnstantiensis Concilii apud omnes Catholicos summa est auctoritas: tum ob ingentia bona, quæ in Ecclesiam universam redundârunt, sublato ingenti obstinatóque schismate, quo tot annis conflictata est; tum ob viros doctissimos, qui ad illud confluxêre: ut meritò Conventus Parisiensis in secunda propositione fateatur: *Sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsóq; Romanorũ Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata esse Decreta, atq; ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita.* Videamus ergo, quæ hujus œcumenicæ Synodi in argumento, quod versamus, fuerit sententia; si enim ostendatur id omnino

nino sentire, & docere, quod probandum suscepimus, erit irrefragabile, invictúmque illis saltem argumentum, qui tantam, & meritò, huic Concilio reverentiam profitentur.

Priùs verò, quàm Decreta hujus Concilii in medium producantur, rem totam à suis principiis repetemus, sic enim clarior evadet, historiâ prælucente: enimverò & hæretici in errores & Catholici in non paucas difficultates impegére, ignorantiâ factorum decepti. Causa ergo, ob quam Constantiense Concilium convenit, sic habet.

Sederant Pontifices LXXII. jam annos Avenione in Galliis, eorúmque absentiam ingentia bella, seditiones, calamitates exceperant nunquam extinctæ. Eas ut tandem compesceret Gregorius XI. in Italiam cogitabat; & stimulos addente B. Catharina Senensi tandem ex Gallia evasit Anno MCCCLXXVI. Biennium pòst moritur. Electio novi Pontificis in partes scissa, natúmque obstinatum & diuturnum schisma, quo Ecclesia Catholica XXXX. totos annos miserè conflictata est. Volebant Italum Itali, Gallum Galli: electus tandem Bartholomæus Neapolitanus Barensis Archiepiscopus, quem Urbanum sextum appellárunt. Hic dum corruptelas, quæ passim liberéque vagabantur, emendare aggreditur, & à ferro curationem incipit, ægros in medentem concitavit, maximè purpuratos: Tertio quippe ab electione mense, Joannæ præsertim Neapolis Reginæ potentiâ freti, Robertum Cardinalem Gibbenensem collatis votis Pontificem renuntiant, qui Clementis VII. nomen accepit, & Avenionem in Gallias navigavit. Schismati prætextus, ùt fieri solet, quæsitus: quòd videlicet Urbanum VI. elegissent metu compulsi. Itali, Germani, Angli, Hungari, Urbano adhæsêre: Galli, Scotíque Clementi, Hispani utrique. Urbano è vivis sublato succesêre Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. & Joannes XXIII. Clementi verò Antipapæ larva potiùs quàm Papa Petrus de luna, quem Benedictum XIII. appellárunt, quo nemo sanctiùs pacem Ecclesiæ promisit, nemo pertinaciùs negavit. Gregorius XII. cùm pacis gratiâ se Pontificatu exuisset, si modò Benedictus idem foret: hoc recusante, nec Gregorius pollicitis teneri se dicebat: sed in Concilio Pisano utérque depositus est, surrogato, ùt dicebamus, Alexandro, & post hunc Joanne. Contigit ergo eodem tempore tres in Ecclesia Pontifices

fices videri Gregorium, Benedictum, & Joannem ignaro Orbe, cui capiti pareret. Ad Schisma igitur extinguendum tam Ecclesiæ pernicioſum, Concilium universale Constantiæ indicitur, auctoritate Joannis XXIII. & Sigismundi Imperatoris operâ, inchoaríque est cœptum Anno MCDXIV. 5. Novembris, cui Joannes Pontifex, Sigismundus Imperator, quatuor Patriarchæ, viginti novem Cardinales, quadraginta septem Archiepiscopi, Episcopi 160. (alii 270.) Prælati & Doctores 564. hominum sexaginta millia adfuêre: productum est in tertium annum. In hoc Concilio Joannes XXIII. cùm priùs se pacis gratiâ, Pontificatu abiturum promisisset, è fuga retractus, multorúmque criminum postulatus, à Concilio in ordinem redigitur: eadem in Benedictum dicta sententia, quamvis obstinatè throno hærentem, nec à Sigismundo Imperatore, qui propterea in Hispaniam profectus fuerat, flecti se passum. Gregorius sponte, ùt juraverat, cessit: sic ad novam electionem à Concilio proceditur, & Martinus V. Pontifex renunciatur. (a) Interfuit Concilio Joannes Gerson Cancellarius Universitatis Parisiensis, ex cujus præsertim eloquentia & doctrina, velut oraculo, Patres pendebant.

II. His circa Concilium Constantiense præmissis, videamus, quæ in præsenti quæstione illius fuerit sententia, non verbis, sed quod plus est, factis expressa. Cùm enim Georgius Episcopus Tridentinus datis ad Concilium litteris graviter contra Fridericum Austriæ Ducem, jura & bona Episcopatûs invadentem conqueſtus esset: Concilium *Sess. 20.* ad eundem Austriæ Ducem Monitorium in hæc verba expediit: *Sacroſancta Generalis Synodus Conſtantienſis, univerſos & ſingulos Venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. requirimus & monemus primò, ſecundò, tertiò & peremptoriè &c. quatenus præfatum Fridericum Ducem Auſtriæ, & alios occupatores prædictos requirant, & moneant, quos nos etiam tenore præſentium ſic requirimus & monemus, ipſíque Friderico Duci in virtute S. obedientiæ, & ſub anathematis, ſacrilegii, privationis omnium bonorum feudalium, quæ ab Eccleſia ſeu Imperio obtinet, & inhabilitationis ſuæ & filiorum ſuorum maſculorum ad obtinendum tam feuda, quàm officia & beneficia uſque ad ſecundam generationem, & honoris & famæ ac communionis in conſiliis Principum &c.* Et Sess. 28. Contra eundem Fridericum. *Eadem Synodus declarat, Fridericum & alios occupatores cujuscunque ſtatûs, gradûs, condi-*

(a) V. Æmilium in Carolo VI. Platinam, Spondan. ad ann. MCCCCXVII.

conditionis aut præeminentiæ, etiamsi Ducalis fuerint, sententias & censuras in dicto monitorio comprehensas incidisse. Et intrà. *Committit ergo præfata S. Synodus charissimo filio Ecclesiæ defensori & advocato Sigismundo Regi Romanorum semper Augusto, cujus specialiter interest ad requisitionem Ecclesiæ contritas & oppressas Ecclesias restaurare &c. Et eandem sententiam executioni demandare &c.* Et Sessione 31. In monitorio contra Comitem virtutum: *Et si (quod absit) prædictas pœnas interdicti & excommunicationis dictus Philippus Comes animis sustinuerit induratis, ad omnes alias pœnas spirituales & temporales auctoritate præsentium procedere valeant.* Et Sess. 37. in sententia contra Benedictum XIII. *Eadem sancta Synodus universalem Ecclesiam repræsentans, omnes Christicolas ab ejus obedientia* (Benedicti videlicet XIII) *atque juramentis & obligationibus, eidem quomodolibet præstitis, absolvit, & absolutos esse declarat, ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ schismatis, & hæresis atque privationis omnium beneficiorum dignitatum, & honorum Ecclesiasticorum & mundanorum, & aliis pœnis juris, etiamsi Regalis sit dignitatis, aut Imperialis, quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate hujus Decreti ac sententiæ ipso facto privati &c.* Et Sess. 39. ubi providetur Schismati futuro: *Ut autem metus seu impressionis molestia in electione Papæ eò formidolosius evitetur, duximus specialiter statuendum, quòd si quis hujusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, cujuscunque statûs aut præeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali aut Regali præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione Bonifacii VIII. quæ incipit: Felicis: continentur, illisq; effectualiter puniatur.* Hæc Synodus Constantiensis repetens infligénsque pœnas Decretalis, quæ habetur; *cap. 5. de pœnis in 6.* ubi: *Reus criminis læsæ Majestatis perpetuò sit infamis, diffidatus, nihilominus & bannitus, sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex testamento vel ab intestato vocetur: fiant habitationes ejus desertæ, & ut non sit, qui eas inhabitet; dentur cuncta ipsius ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus respondere in judicio teneatur, &c. Si qua verò feuda vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso jure privatus, &c. Nulli præterea talium filiorum atq; nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem alicujus aperiatur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel munda-*

mundani. In Sess. 42. habemus, imperâsse Concilium Sigismundo Imperatori, & Ludovico Bavariæ Duci, ut Joannem XXIII. custodirent; nec priùs hoc custodiendi onere solvi potuêre, quàm ex licentia Martini V. Summi Pontificis, quo electo cessavit omnis jurisdictio & auctoritas Concilii, ùt legenti ipsum Concilium patet. Bulla Martini *Sess. 42.* inter alia hæc habet: *Martinus Episcopus Servus Servorum DEI, Charissimo in Christo filio Sigismundo Regi Romanorum, &c. Cùm nuper nos instanter & sæpe requisieris, quatenus personam dicti Balthasaris de tua custodia recipere, teque & eundem Ducem de prædicta custodia liberare & exonerare vellemus; nos attendentes, quantis laboribus & studiis pacem & unionem Ecclesiæ omnipotentis DEI nostri fueris prosecutus, &c. Volentes te ac eundem Ducem ab omni onere liberare, decernimus, & ordinamus, &c.*

In Bullâ Martini V. quæ habetur *post Sess. ultimam,* idem Sumus Pontifex omnibus Principibus, & Dominis temporalibus mandat, ut Inquisitoribus hæreticæ pravitatis omne auxilium & favorem præbeant, eósque investigandos, capiendos, custodiendosque curent.

Et in eadem Bulla post enumeratas hæreses Wicleffi & Hussii idem Pontifex sacro approbante Concilio: *volumus insuper ac statuimus, & decernimus, ut omnes & singulos hæreticos, etiamsi Regali, Reginali aut aliâ quâvis Ecclesiasticâ vel mundanâ præfulgeant dignitate, auctoritate nostrâ diligenter inquirere studeatis, & eos, quos per inquisitionem hujusmodi diffamatos, vel aliàs hujusmodi hæresis & erroris labe respersos reperietis, auctoritate prædictâ etiam per excommunicationis, nec non privationis dignitatum ac etiam bonorum, aut dignitatum secularium puniri faciatis, &c.*

Videatur Constitutio Carolina auctoritate Concilii Constantiensis expedita, ùt patet *Sess. 19.* quæ Carolina habetur post Concilium: maximè verò §. *Item eâdem auctoritate, &c.* & §. *Item dicta Synodus, &c.*

Habemus ergo ex Concilio Constantiensi, eos qui invadunt bona & jura Ecclesiasticâ, posse à summo Pontifice & Concilio universali jurisdictione privari, infamiâ notari, bona ab omnibus occupari, etiamsi Ducalis fuerint dignitatis *Sess. 28.* Et in confirmatione Carolina paullo post initium: Bonis omnibus, dignitatibus & honoribus non tantùm Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus abdicari, cujuscunque dignitatis fuerint etiam Regalis. *Sess. 37.* circa

finem. Ducibus immo Imperatoribus præcipere, ut ad Ecclesiæ & Pontificis arbitrium custodiæ aliquem mandent, dimittántque. *Bulla Martini Sess. 42.* Ut hæreticos investigent, capiant, custodiendos curent. *Bulla Martini post Sess. ultimam.* Fautores & receptatores hæreticorum, sub pœna privationis omnium feudorum, bonorum ac dignitatum etiam temporalium coërceant. *Bulla Martini post Sessionem ultimam circa fin.*

III. Patet jam, Concilii Constantiensis quænam mens fuerit, quantúmque à doctrina Parisiensis Conventus aliena: hic enim primam propositionem hanc ponit: *Principes in temporalibus nulli Ecclesiæ potestati nec directè, nec indirectè subjectos esse.* Constantiense verò Concilium toties támque repetitis vicibus Principes Regésque dignitatibus, honoribus, bonisque temporalibus, si jura Ecclesiæ invadant, si hæreticis faveant, multandos esse decernit, ut proinde vel hoc, vel Parisienses Patres falli necesse sit: qui & cum Concilio, & secum ipsis manifestè pugnant: cum Concilio quidem, cujus doctrinæ aliam omnino contrariam opponunt: secum ipsis, quia propositione secundâ Synodum Constantiensem sanctam & immotam, & ab Ecclesia Gallicana semper custoditam cultámque dicunt, ejusque Decreta, velut lineam & terminos Pontificiæ Auctoritati statuunt, & tamen ab illa continuò & longè discedunt, & quam maxime laudant, maximè impugnant.

§. XIV.

Concilii universalis Lateranensis IV. in eandem sententiam Decretum ex c. 3. de Hæret.

Summaria.

1. *Historia & verba Concilii Lateranensis.*
2. *Conventum Parisiensem, cùm SS. Canonibus & Conciliis omnem reverentiam profiteatur, non debuisse propositiones edere SS. Conciliis, Canonibus, Decretis Pontificum & antiquitati omnino contrarias.*

I. De

I.

DE hoc Concilio ita loquitur Spondanus *ad annum MCCXV. Celebratum est Generale Concilium Lateranense kal. Novemb. omnium, quæ unquam in Europa habita fuerunt, celeberrimum, cui videlicet interfuerunt cum Innocentio Papa, Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti, Abbates duodecim, Priores Conventuum octingenti, quos inter exitêre Pariarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, atque Alexandrini & Antiocheni Legati, itémque Oratores Imperatorum Orientis & Occidentis Regum Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierosolymorum, & Cypri.*

Ludovicus Morerus scribit, fuisse hoc Lateran. IV. per excellentiam appellatum *Magnum Concilium*, ob prodigiosum numerum Episcoporum, qui ad illud confluxêre; illiq; Orientis & Occiden- I mperatorum, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Hierosolymorum, Cypri, & Araganiæ, Bzovius addit Bohemiæ & Daniæ Regum Oratores adfuisse, ut proinde, si Concilium aliquod universale, hoc maximè dicendum fuerit. In hoc ergo Concilio *c. 3.* quod incipit: *Excommunicamus*, Patres sic loquuntur: *Si verò dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam. &c.*

Hactenus Concilium, cujus sententia est tam clara, ut planè nullam admittat exceptionem.

Et hæc quidem SS. Canonum testimonia sunt, ex quibus, quæ Patrum fuerit sententia, Sole clarius evadit, tantoq; urgent efficaciùs, quòd Conventus ipse Parisiensis propositione tertiâ fateatur: *Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu DEI conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Patrũq; terminos manere inconcussos atq; id pertinere ad amplitudinem Sedis Apostolicæ, ut statuta, & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatæ, stabilitatẽ obtineant.*

Hæc sunt verba Parisiensis declarationis. Si ergo debita sacris Canonibus Sediq; Apostolicæ reverentia postulat, ut semel ritè statuta, ne quidem ab ipso Pontifice Maximo refigantur, quantò magis Episcopos Pontifice inferiores obstringent, iisq; necessitatem imponent, nihil, quod illis adversetur, docendi jubendiq; ?

Si ergo,quæ hactenus in medium produximus Decreta, sunt Canonica, à SS. Patribus sacrisq; Conciliis facta, publico juri inserta, usu & approbatione non cujuscunq;, sed sanctissimorum Patrum, & Doctorum,út posteà dicemus, recepta, exemplis cursuque tot sæculorum munita; oportebit utique doctrinam, quæ abillis discedit, abluditque, suspectam omnino reddi, & alienam à veritate. Nec, quidistis Canonibus opponi possit, videmus; nisi forsan dicas, à summis Pontificibus in causa propria editos, nec proinde mereri fidem indubitatam, nec in Galliis admissos esse. Verùm hæc responsio nimis est imbecilla, ut tantis tantorúmque Patrum auctoritatibus opponi queat, & in juris notissimum principium impingit. Utroque enim jure receptissimum est, quemlibet judicem, seu ordinarium seu delegatum,cognoscere & judicare posse, an sua sit jurisdictio. (a) Etsi cognoverit suam esse eandem, valeat mandatis pœnalibus contra non obtemperantes defendere. (b) Quod verissimum saltem est in Principe supremo, nec alteri subjecto, qualem esse Summum Pontificem alibi dicemus,& expressè ac ingenuè confessa est Synodus Sinuessana trecentorum Episcoporum in causa Marcellini Pontificis *1.tomo Concil.*& habetur *c.nunc autem 7. dist. 21.* ubi: *Nullus tamen eorum proferre sentiam in eum ausus est, dum et sæpissime omnes perhiberent; Tuo ore judica causam tuam:non nostro judicio.Et iterum: Noli, ajunt, audire, nostro judicio; sed collige in sinu tuo causam tuam. Et rursu: Quoniam ex te, inquiunt, justificaberis,aut ex ore tuo condemnaberis.* Et infrà: *Prima Sedes non judicabitur à quoquam. Videantur plures textus eadem distinct. &c. si Papa 6.quod est S. Bonifacii Archiepiscopi & Martyris dist. 40.* Et insigne exemplum est in Leone III. cujus permissu,immo jussu,cùm in Ecclesiam S.Petri Italiæ Galliæque Prælati, & ipse Carolus M. convenissent de innocentia Pontificis, quam æmuli criminabantur,cognituri ,unâ voce ab Episcopis conclamatum est, se Apostolicam Sedem, quæ est caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audere,cùm ex antiquo more illa omnes judicet, & à nemine judicetur. (c)

Si ergo nemo alius est, qui Pontifici maximo jus dicat, de sua juris-

(a) L. si quis ex aliena.5. ff. de judiciis. L.2.ff. si quis in jus vocatus.
(b) L.1.in pr.ff. si quis jus dicenti,
(c) vide Anastasium in Leone. Et P. Maymburg. in Historia Iconoclast. ad initium anni pccc.

jurisdictione ipse cognoscet, & necessitas in propria causa judicandi, immo potiùs in causa Christi & Ecclesiæ, suspicione illum absolvet; nam ut diximus primâ conclusione, nulla est Pontifici in Principes, eorúmque jura & dominia potestas, nisi cùm Ecclesiæ publica causa hoc remedium, & necessarium, & ultimum extorquet. Deinde si auctoritates, quas ex jure canonico modo produximus, ideò suspectæ, quia ab ipsis Pontificibus in sua, ùt dicunt, causa; quis ergo, cum lis Pontifici movetur, decidet? Concilium Oecumenicum & Universale, quod tanto laborum & temporis impendio, tantisque Principum impedimentis vix aliquando cogitur, ùt in Tridentino vidimus, & coacto tot exceptiones opponuntur? erunt ergo lites indecisæ, immortales; & si ad Concilium differantur, sine exitu discordiæ. Si Concilium Generale aliquod est, quo Pontifices etiam indirectè, & cùm ultima necessitas premit, prohibentur in Principes potestatem exercere, producatur in lucem; Si nullum produci potest, ùt planè non potest, non intelligimus, quâ auctoritate Conventus Parisiensis doctrinam à SS. Canonibus, Pontificibus, Conciliis toties & tam clarè assertam respuerit; immo propositionibus exadversò & velut in contrariam aciem armatis impugnatum iverit: num ergo Pontifex M. non tantùm universali Concilio, sed etiam Parisiensi subest: & si non subest, cur ab illo judicatur, & canones à Romano Pontifice facti non evertuntur tantùm, sed tot tantisq; cautelis, ne resurgant, curatur, ut credas Episcopos auctoritatem, quam Pontifici negant, sibi in Pontifices usurpâsse.

Quod si denique hæc omnia cessent, & Decreta Summorum Pontificum erroris aut dubiæ fidei postulentur, Concilia saltem, quæ allegavimus, superant exceptionem omnem, cùm & sint generalia, & partim in Galliis habita, partim à Gallis magnâ veneratione culta, qualia sunt Lateranense, Lugdunense, Viennense, & Constantiense: ergo non poterant, nec debebant à Conventu Parisiensi, qui particularis est, nec paris cum Concilio generali auctoritatis, litem & bellum pati, ab illis præsertim, qui tam copiosè tantoq; apparatu observantiam Canonum profitentur, Summisq; Pontificibus inculcant. Si concilii universalis aut Papæ Decreta refigi possunt abolerique, hoc ab alio Concilio Universali, non privato Conventu præstari debuit.

§. XV.

Hæc ipsa SS. Pontificum auctoritas & potestas exemplis confirmata.

Summaria.

1. *Exempla Childerici III. & Pipini Francorum Regum expensa.*
2. *Caroli M. Francorum Imperatoris.*
3. *Tria alia B. Gregorii M. & Concilii VIII. Toletani.*
4. *Berengarii Imperatoris, & Boleslai Poloniæ, & Philippi Francorum Regis.*
5. *Hungariæ Croatiæ Dalmatiæque.*
6. *Henrici IV. Imperatoris, Regis Nordhanhumbrorum, Emmanuelis Comneni, & Friderici Ænobarbi Imperatorum.*
7. *Alfonsi Regis Lusitaniæ, Ottonis IV. Friderici II. Alfonsi Regis Castellæ.*
8. *Philippi IV. Regis Francorum, Reipublicæ Venetæ, Ioannæ Reginæ.*
9. *Ioannis Albretani Regis Navarræ, Henrici & Elisabethæ Angliæ Regum, Cosmi Ducis Hetruriæ, & Henrici M. Francorum Regis.*

I.

HActenus Canones, Consilia, Patres; deinceps exempla omnium temporum producemus, quæ hanc in Ecclesia potestatem semper agnitam exercitámque fuisse ostendent; nec aliud Patres docuisse, quàm fecerint, adeo ut vel hos ignorantiæ damnare & impietatis oporteat, quanumvis pietate & sanctitate eximios; aut ingenuè fateri, doctrinam Patrisiis

Parisiis nuper expositam, nihil habere cum illis cõmune, & eorum patrocinio destitui, quos maximè suos cupiunt; verbo aliud Ecclesia sensit, fecitque, quàm isti doceant; quod res ipsa, quã aggredimur, ostendet

Anno DCCLI. Jussu & auctoritate Zachariæ Pontificis Childericus III. ob inertiam regendique imperitiam Regno depositus, & Pipinus bello & potentiâ insignis in thronum provectus. Rem totam copiosè & eleganter describit Æmilius *in histor. rerum Francic. & vita Childerici III. fol. 46. Pipinus Burchardum Wirzburgensium Episcopum ad Zachariam Pontificem Max. Oratorem misit, ut Franci solverentur jurisjurandi religione, quâ se Childerico devinxerant. Is Romam profectus, ac ad Pontificem Max. admissus ita locutus est, &c.* Et infrà. Oratorem Gallum sic peroratsse scribit: *Tu autem Beatissime Pater sic apud animum tuum constitue, te uno ex edicto, solvendis q; jurisjurandi Religione Francis plus gloriæ inventurum, quàm ex impietate victa Martellus reportavit. Oratione Episcopi motus Zacharias, initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem suscipere, sed tandem Francos sacramento Regi Childerico dicto solvit.*

Idem habet Eginhardus *in vita Caroli M.* ab initio, ubi: *Gens*, inquit *Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum Regem, qui jussu Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in Monasterium trusus est, durâsse putatur.* Et infrà: *Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex constitutus est.*

Rheginо *in Chronico*; *Jussit*, inquit, *Papa per auctoritatem Apostolicam Pipinum Regem creari, ne perturbaretur Christianitatis ordo.*

Otto Frisingensis *lib. 5. c. 22. Zacharias consultus respondit, & ipsius auctoritate Pipinus à Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, & aliis Regni Principibus in Regem eligitur.*

Fredegarius *ad annum DCCLI fol. 161. Quo tempore unà cum consilio & consensu omnium Francorum missâ relatione à Sede Apostolica, auctoritate perceptâ, præcelsus Pipinus electione totius Franciæ in Sedem Regni sublimatur.*

Annales Francici à Pithœo editi: *Anno DCCLII. Zacharias Papa ex auctoritate Petri Apostoli mandat Populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate Regiâ utebatur, nominis quoque dignitate frueretur.*

Abbas Urspergensis *ad annum DCCXLIII.* circa finem: *Sic ergo Pipinus ex Præfecto Palatii auctoritate Apostolicâ sublimatus, & unctus in sedem Regni, regnavit annis XV. absolutus per eundem Papam*

Stepha-

Stephanũ à juramento quod Regi Hilderico cum ceteris Regni primoribus fecerat. Idem testantur expressis verbis Sabellicus *Enneade 8. lib. 8. f. 301.* Robertus Gaguinus *in historia Francica lib. 3. fol. 45.* Platina *in Zach.* Spondan. *ad annum DCCLI.* Et deniq; habetur *in c. alius causa, 15. q. 6.*

Causa deferendi Pipino Regnum fuit, ut diximus, tum ignavia Childerici Regis, tum necessitas eum Principem demerendi contra Longobardorum injurias, Italiæ Sedique Apostolicæ ejusque ditionibus extrema minantium. Et planè summa beneficia sunt, quæ à Pipino Pontifices acceperunt. Nam Zachariâ è vivis sublato, Stephanum III. per summos honores in Galliis, quò velut ad sacram aram confugerat, excepit; Alpes cum exercitu transmisit, cæsis, qui transitum obsederant, Aistulphi Longobardorum Regis copias delevit: Regem, victoriæ certus, Ticini obsedit, & tandem ad conditiones compulit, ut videlicet, quæ ademerat Ecclesiæ, redderet, adjunctâ insuper Exarchiâ Ravennate, quam Pontifici dono dedit. Pipino vix Italiam egresso Aistulphus omnia ferro flammâque vastare, & copiis Romæ admotis Pontificem obsidere. Implorata iterum & ultimis quidem precibus Pipini arma. (a) Qui Alpes iterum transgressus Romam obsidione liberat, bis victor Aistulphum Ticino includit: Legatos Copronymi Exarchiam Ravennatem repetentis infectâ re dimittit; Aistulphum ipsum, Gallis jam propè irrupturis, ad petendam pacem compellit, non aliter concessam, quàm, ut quæ proximè lapso anno convenerant, impleret: cederet Ravennæ Exarchatu, & unà Pentapoli, Arimino, Pisauro, Anconâ, Auximo, Urbino, totâque Æmiliâ, quæ omnia per Fulradum Abbatem Romano Pontifici data, clavesque tumbæ Apostolorum impositæ, & ipsa donatio consensu filiorum Pipini Regnique procerum solemniter firmata. Sic mutuis beneficiis inter Regem Papámque certatum est, Rex Pontifici coronam & Regnum; Pontifex Pipino libertatem & Principatum debuit.

Anno DCCLIV. Stephanus III. Parisiis Pipinum & filios Reges coronat, inungitque: ac Principes Francos juramento adigit, nunquam ex alia quàm Pipini stirpe Regem electuros. Audi Æmilium *in vita Pipini* prope initium: *Pipinus*, inquit, *ad tertium à Cariasico oppido lapidem Stephano obviam progressus, pedes, ut ferunt, exosculatus,*

coërceri

(a) Vide Baron. ad annum DCCLV.

coërceri non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frenum prosecutus in Regiam deduceret. Per aliquot dies nullum genus honoris, religionis, comitatis prætermissum fuit. Anteà ad Cæsares ibant Pontifices Maximi: hic primus ex Italia ad exteros Reges se contulit. Ad eum visendum adorandúmque tota ex Gallia & finitimis gentibus concursus omnium mortalium fuit. Hâc celebritate Pipinum coronavit, sacrâq; unctione imbuit, &c. Eundem filiósque Carolum & Carlomannum inunctos benedixit, omniáq; fausta in omne tempus sacris ceremoniis apprecatus, simul diris detestationéq; insectatus est, si quis contrà moliri auderet. Ita priùs acceptum jus regnandi, tunc quasi divinitus confirmatum, & immortale factum in ea familia videbatur: ut in Pipino non magis invictas vires formidarent mortales, quàm Religionem revererentur.

Ludovicus Imperator Caroli M. filius in epistola ad Hilduin. quæ habetur in Areopagiticis: *Gesta sunt autem hæc*, inquit, *à B. Stephano Papa adjuvantibus SS. Apostolis Petro & Paulo anno ab Incarnatione DCCLIV. quo inter celebrationem & oblationem Sacratissimi Sacrificii unxit in Reges Francorum florentissimum Regem Pipinum, & duos filios ejus Carolum & Carlomannum, atq; Francorum proceres auctoritate B. Petri sibi à Domino Jesu Christo tradità obligavit & obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe Regem super se præsumant aliquo modo constituere; quos & divina providentia ad sanctissimam & Apostolicam Sedem tuendam eligere dignata est, &c.*

Abbas Urspergensis *ad annum DCCLIII. Francorũ*, inquit, *Proceres unà cum populo auctoritate B. Petri Apostoli obligavit, & protestatus est eos, ut nunquã de alia stirpe Regem sibi proponerent, nisi ex eorum propagine, quos divina Providẽtia in defensionẽ Ecclesiæ est dignata sublimare, &c.*

Giguinus *hist Franc. lib. 3. fol. 45. Stephanus autem, ut Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati ejus, atq; qui temeritate aliquâ adversus Francos bella moverent, communione Christianâ interdixit, &c.*

Joannes Nauclerus *Volum. 3. Generat. 26.* iisdem verbis rem describit. Videatur etiam Spondanus *ad annum DCCLIII.*

Circa utrúmque hoc Zachariæ & Stephani factum observa: Scriptores, qui hæc referunt, esse omni exceptione majores, præsertim Eginhardum, qui Carolo M. à secretis fuit, nec unquam ab ejus latere discessit, multóque minùs ignorare potuit, quæ sub ejus oculis fiebant. Deinde Pontifices, qui Regnum Franciæ in Pipinum transtulêre, fuisse Sanctissimos, nec posse ullam arrogantiæ

aut injustitiæ notam, aut suspicionem in illos cadere, multóque minùs ignorantiam divinæ & naturalis legis in re tanti momenti, quam nunquam attentâssent, nisi potestatis suæ certi. Zachariam inter Sanctos relatum esse, & annuâ memoriâ cultum, testis est Anastasius in ejus vita, Baron. & Spondanus *ad annum DCCLII.* Ludovicus Morerus *in Dictionario Gallico de Stephano III.* Æmilius *in vita Pipini* prope initium idem testantur; nec verò hos Pontifices consilio tantùm, sed etiam jussu, & auctoritate Pipinum Regno admovisse, patet ex citatis auctoribus, quorum verba tam sunt clara, ut adjungi nihil possit; sufficeret ergo, si omnia deessent, hoc exemplum adostendendum iis, qui libero, nec occupato affectibus animo veritatem quærunt; quid tunc temporis Regnum & Ecclesia Gallicana senserit de Pontificia in Reges potestate, tunc inquam temporis, cùm viris, sanctitate, Zelo, & doctrinâ summis florebat.

II. Anno DCCLXXIV. Carolus M. expugnato Ticino, capto Desiderio Rege regnóque Longobardorum penitùs deleto, ab Hadriano Papa Romanorum Patricius jubetur teste Sigeberto *in Chronico ad hunc annum.* & habetur *in c. Hadrianus dist. 63. & c. seq.* Adelmus *in annal. Franc. ad annum 801.* Fuit verò dignitas Patricialis amplissima, multóque major Consulatu, & Imperiali proxima, & illâ præditi Patres vocabantur Imperatorum. (a)

Hadrianum verò, qui hanc dignitatem in Carolum contulit, quâ Occidentis Imperio aptabatur, fuisse notæ sanctitatis, testatur Spondanus *ad annum DCCLXXII.* ut adeò credi non possit, eum alienam potestatem involâsse, non suâ usum.

Anno DCCXXX. Gregorius II. Synodo Romam indictâ Leonem Isauricum, quòd Sacris imaginibus impiè juxtà & crudeliter bellum inferret: quòd S. Germanum Sede Patriarchali & vitâ expulisset: quòd Ecclesiam persequeretur sanguine, cædibus Catholicorum omnia miscens: quòd calcato gentium jure Legatos Pontificis exilio proscripsisset: quòd denique animum obstinâsset hæresi toto Imperio sparsâ; has ob causas Leonem excommunicatione percellit, & ne illi Romæ, aut in Italia tributa pendantur, prohibet, adornatâque in Gallias Legatione, Carolo Martello periclitantem Ecclesiam commendat, & oblato consulatu ac Pro-

(a) Vide L. 3. & ultimam Cod. de Consul.

Protectoris titulo, cum exercitu in Italiam vocat. (a) Et hic Gregorius II. in tabulas Sanctorum relatus annuâ celebritate colitur.

Anno DC. S. Gregorius Mediolanensibus concedit, ut extinctâ Regum Longobardorum stirpe, ejus civitatis Antistes coacto Provincialium Episcoporum Concilio Regem eligat, quem velit. (b)

Anno DXCIII. *Petentibus Francorum Regibus*, inquit Spondanus ad hunc annum, *Beatus Gregorius Magnus Monasterio Suessionensi S. Medardi in Gallia privilegium concedit, quo illud constituit caput Monasteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni subjici, præterquam Sedis Apostolicæ. In fine verò privilegii, Regibus, Antistibus, judicibus, & aliis, quicunque hoc privilegium violare præsumerent, excommunicatio & dignitatis privatio denuntiatur.* Hæc Spondanus *ad annum DXCIII.* Initium hujus privilegii sic habet: *Pretiosissimis lapidibus in diademate Christi meritò renitentibus omnibus Sanctæ DEI Ecclesiæ membris Gregorius, licet sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen Servorum DEI servus, &c.* & infrà: *Si quis autem Regum, Antistitum, judicum, hujus Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis Decreta violaverit, aut contradixerit, vel aliter ordinaverit, cujuscunq; dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, &c.* habetur hoc privilegium *lib. 2. epist. Indict. 11. epist. 38. novæ edit:* Meminit ejusdem privilegii Gregorius VII. *lib. 8. epist. 2. & lib. 4. epist. 2. & 23.* Baronius *ad annum DXCIII. n. 85.* Illíque posteà Theodoricus Rex Franc. aliíque Episcopi subscripserunt; ut hîc iterum videas, quænam sederit Ecclesiæ Gallicanæ opinio de potestate Pontificia. Tanta verò fuit Beati Gregorii modestia & humilitas, tanta etiam doctrina, ut nihil minus cogitari possit, quàm aut quid Regibus debeatur, illum ignorâsse, aut contra istorum jura & Majestatem potestate suâ abusum.

Anno DCIII. ad Beatum Gregorium Magnum missa legatio à Francorum Regibus, quâ inter alia Legationis capita Ecclesiis S. Martini, Monasterio ancillarum DEI, & Xenodochio à Regina constructis privilegia petebantur, quæ à Beato Gregorio concessa, & adjuncta clausula: *Si quis verò Regnum, Sacerdotum, judicum, Per-*

(a) V. Cedrenum anno 9. Leonis Isaurici. Zonaram in Leone. Maymburg. Hist. Iconoclast. ad annum DCCXXX. circa finem. Spondanum ad eundem annum. (b) V. Sigon. de Regno Italiæ Ann. DCI. Spond. ad annum DC.

sonarúmque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, &c. habetur hoc privilegium totum *lib. 11. epist. 10. indictione 6.* Circa quod & similia privilegia bene observat Spondan. *ad annum DXCIII. n. 6.* non fuisse Pontificum mentem ob quamcunque privilegiorum violationem pœnam adeò gravem irrogare, sed tum demum, cùm violatores id in odium seu detestationem, Sedisque Apostolicæ contemptum obfirmato in eorum perniciem animo perpetrarent, ita ut non tam privilegiorum causa, quàm Romanæ Ecclesiæ, fideique Catholicæ ageretur.

Idem Beatus Gregorius, cùm Mauritius Imperator legem edidisset, quâ publicis rationibus & militiâ obligati prohibebantur Religionem ingredi: edictum Imperatorium correxit, ut videlicet rationibus liberi, & militiâ necdum expletâ, si tamen seriò constantérque mundo renuntiarent, admitti possent, sicque correctum Imperatoris diploma Episcopis observandum misit. (a)

Anno DCLIII. Celebratum est in Hispaniis Concilium Toletenum VIII. cui præter Abbates & absentium Vicarios interfuerunt Episcopi 52. præfuitque Orantius Emeritensis Metropolitanus: in quo statutum, ut defuncto Regi Pontifices, Hispani, & Magnates successorem eligerent, sic habetur *in c. 10. ejusdem Concilii.* Præscribere autem formam & ordinem eligendi Regem est maximè actus politicus, quem tamen ob maxima incommoda, quæ in electionibus contingebant, & quæ illo capitulo recensentur, crediderunt Episcopi ab Ecclesiastica potestate exerceri potuisse.

Anno DCCC. Leo III. Pontifex Maximus ademptum Græcis Imperium in Carolum transfert.

Anno DCCCCIV. Joannes IX. Lambertum & Berengarium coactâ Romæ Synodo de Imperio contendentes audit, & causâ examinatâ Lamberto Imperium addicit, Berengario, quòd metu egisset, in ordinem redacto. *Vide c. 6. Synodi Ravennat. sub Joanne IX.* Baronium & Spondanum *ad hunc annum.* Sigebertum *ad annũ DCCCCIII.* ubi scribit, huic Synodo 73. Episcopos, interfuisse & Francorum Archiepiscopos. Imperavit Lambertus *ad annum DCCCCV.* eique per insidias ab Hugone Comite Mediolanensi occiso, Berengarius

Anno

(a) Vide lib. 1 epist. 11. Indict. 1. Baron. ad annum DXCIII. n. 22.

Anno DCCCCXV. suffectus, coronatúsque à Joanne X. Pontifice Maximo, quòd contra Saracenos auxilio Christianis fuisset; & ipse à suis obtruncatus est, ob evocatos in Italiam Hunnos contra Rodolfum electum Francorum Regem, à quo acie superatus fuerat. (a)

Anno MLXXIX. Cùm Boleslaus Poloniæ Rex Beatum Stanislaum Cracovienſem Episcopum ad aras cæcidisset, à Gregorio VII. Pontifice Maximo, re maturè agitatâ, diris percussus est, Regno omníque dignitate privatus: quam sententiam Deus ipse probavit, Rege insaniâ correpto, & à canibus lacerato. Vide Longinum *in Polonica Historia*, cujus inter alia hæc verba sunt: *Tam lugubri, & crudeli in Sanctum Dei per Boleslaum Poloniæ Regem occisione ad notitiam summi Pontificis perlatâ, ipse Pontifex maturâ deliberatione tempus terens, tandem generale interdictum in universam Gnesnenſem observari præcepit, Regem insuper Boleslaum & Poloniæ Regnum omni honore, dignitate & excellentiâ Regali privavit, & omnes Principes & subditos ab ejus ditione absolvens, obedientiam & subjectionem solitam exhibere vetuit.* Vide Baronium *ad annum MLXXIX. n. ultimo.* Idem fatetur in suo Dictionario Morerus v. *Pologne §. le gouvernement de Pologne.* Fuit verò Gregorius VII. Sanctitate & miraculis celeberrimus, inter quæ illud non ultimum, quòd post 500. ferme annos incorruptum ejus corpus duraverit: estque inter Sanctos relatus. Ejus in exilio morientis hæc ultima vox fuit: *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Vide Leonem Ostien. *lib. 3. c. 64.* Auctorem vitæ D. Anselmi Episcopi Lucensis, Ottonem Frising. Baronium & Spondanum *ad hunc annum.* Ludovicus Morerus *in suo dictionario Gallico*, quod Regi Christianissimo dedicavit, inter alia de Gregorio VII. sic loquitur: *Mortuus est Salerni non sine odore sanctitatis, habetúrque inter Pontifices, omnium, qui Ecclesiam gubernârunt, clarissimus.* Otto Frisingensis hoc elogio Gregorium ornat *lib. 6. c. 36. in fine. Porrò Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore, dixisse fertur: Dilexi justitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum fuit, Ecclesia quoq; tanto pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui Zeli, & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.*

(a) V. Luitprandum lib. 2. c. 14. Sigonium de Regno Italiæ lib. 6. ad annum DCCCCXV. Spondanum ad eundem Annum.

Anno MLXXIX. Idem Gregorius VII. variis Episcoporum Galliæ querelis contra Philippum Francorum Regem pulsatus, quòd sacerdotia pretio venderet, eandémque ob causam nollet Episcopum Matisconensem admittere, ad Rodericum Cabilonensem Episcopum, Regique præcharum scribit; *Moneat Regem tam turpi mercimonio quæstuq; absistat; Episcopo Matisconensi legitimè & Regio etiam nutu electo, negotium & moras ne faciat, alioquin censuris feriendum Regnóque casurum:* Verba Pontificis sunt *lib. 1. epist. 35. Quod si facere noluerit, indubitanter noverit, nos hanc Ecclesiæ ruinam nequaquam diutiùs toleraturos, nam aut Rex ipse repudiato turpi Simoniacæ hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo, nisi fidem Christianã abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt, &c.*

Paruit Philippus monenti Gregorio, missisque Legatis in ejus se potestate futurum respondit. *Vide lib. 1. epist. 35.*

V. Anno M. Silvester II. Pontifex Maximus S. Stephano Hungariæ Duci jus & dignitatem Regiam concedit, & Hungariæ Ducatum Regni juribus donat. Auctor est Cartuitius Episcopus *in vita S. Stephani ad Colemannum Regem apud Surium die 20. Augusti, qui inter alia: Quarto à Patris obitu Stephanus Astricum Præsulem ad SS. Apostolorum limina misit, petiturum, ut recens conversæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, & ipsum Ducem Regio diademate cohonestaret, & ut eo fultus honore, quæ Divinæ gratiæ adjutorio cœpisset, ea magis magísque promovere posset.*

Anno MLXXVI. Gregorius VII. per suos Legatos habitâ Synodo Salonæ in Dalmatia Demetrium Croatiæ, Dalmatiæque Ducem Regem coronat, juribus Regni Dalmatiæ concessis; & annuo tributo, quod Rex sponte obtulerat, accepta. Vide hujus monimentum *ex Vaticana Bibliotheca apud Baronium ad hunc annum n. 66.* Ad cujus finem Demetrius sic loquitur: *Ego Demetrius, DEI gratiâ, Apostolicæ Sedis dono Rex, ab hac hora, ùt anteà, sancto Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, suísque successoribus canonicè intrantibus ero fidelis, &c. Regnum autem, quod mihi per manum tuam Domine Gebizo (Legatus erat Pontificis Gregorii) traditur, fideliter retinebo.* (a)

Anno DCCCXXXIII. Synodus Episcoporum Compendii habita, in qua Ludovico Pio Caroli M. filio Imperium ademptum, ejúsque

(a) Vide Spondanum ad hunc annum.

ejusque filio Lothario datum, quod ubi Gregorius IV. Papa intellexit, damnatis falsis criminationibus Galliæ Procerum, quibus legitimum Principem oneraverant, Decretum abrogationis rescidit. Testis est Æmilius *lib. 3. rerum Francic. in vita Ludovici Pii fol. 81.* ubi *Lugduni Concilium Episcoporum, quos filii Regis contraxerant, habitum, Imperiúmq; Patri abrogatum: quod Decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis multata, ex Sede enim dejectus est.* Vide etiam Spondanum *ad hunc annum.*

VI. Anno MLXXVI. Gregorius VII. Henricum IV. Germaniæ Regem in Synodo Romana, quòd Sacerdotia, & Ecclesiasticas dignitates mercatui exponeret: quòd subditorum facultates prædaretur: quòd appellationes ad sedem Apostolicam impediret; quòd habito Wormatiæ Conventu ausus esset in Gregorium sententiam dicere, eúmque Papatu exuere: & denique ob alia multa flagatia excommunicat, Regnóque indignum pronunciat, & subditos juramento liberat: sententia sic habet. *Beate Petre Apostolorum Princeps inclina, quæsumus, pias aures tuas nobis, & audi me servum tuum, quem ab infantia nutristi, & usq; ad hunc diem de manu iniquorum liberâsti, qui me pro tua fidelitate oderunt, & odiunt, &c. Hâc itaq; fiduciâ fretus pro Ecclesiæ tuæ honore & defensione ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritûs Sancti per tuam potestatem & auctoritatem Henrico Regi, qui contra tuam Ecclesiam inauditâ superbiâ insurrexit, totius Regni Teutonicorum & Italiæ gubernaculo contradico, & omnes Christianos à vinculo juramenti, quod sibi fecêre & faciunt, absolvo, & nullus ei sicut Regi serviat, interdico.* Nec omisit Gregorius dictæ in Henricum sententiæ omnes Principes Germaniæ admonere: à quibus Conventu Triburiam indicto, de alio Rege consultatum. Venêre ab Henrico Legati, præterita excusantes, & in futurum omnia spondentes: quibus teste Lamberto Schafnaburgensi istorum temporum Scriptore, Monacho Hirsfeldensi, à Principibus in hæc verba responsum: *Cùm ab Ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit Imperator, & ei communicare sine fidei jactura non possimus, cùm fidem nostram multis apud DEUM Sacramentis implicitam Romanus Pontifex Apostolicâ auctoritate explicuerit, extremæ profectò dementiæ esset, divinitus oblatam salutis occasionem non obviis manibus excipere; quapropter immobiliter animo fixum tenemus, ut absq; ulla dilatione virum nobis provideamus, qui præcedat nos, & prælietur bellum Domini ad expugnan-*

pugnandam & destruendam omnem cujuscunque hominis altitudinem elevantem, & extollentem se adversùs justitiam & sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem.

Henricum posteà genio suo & flagitiis redditum, & Germaniæ Proceres in ordinem tandem redigunt, & Rudolfum Sueviæ Ducem Regem appellant. Huic à Gregorio diadema missum cum inscriptione: *Petra dedit Petro: Petrus diadema Rudolfo. Vide lib. 4. Epist. 3. quæ habentur tomo 3. Concilior. ante Concil. Roman. 1.* Lambertum Schafnaburgensem ad hunc annum, Abbatem Urspergensem ad annum MLXXV. qui ultimus recitat epistolam Gregorii VII. ubi inter alia: *Post datam reconciliationem, solam,* inquit, *ei communionem reddidi, non tamen in Regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, restauravi. Episcopi verò & Principes Ultramontani audientes illum non servare, quod mihi promiserat, quasi desperati de eo, sine consilio meo elegerunt sibi Rudolfum in Regem.* Vide Spondanum ad hunc annum.

Anno DCCCVIII. Rex Nordhanhumbrorum à suis Regno pulsus, auctoritate Leonis III. & potentiâ Caroli M. solio restituitur: testis Aimoinus, vel potiùs Adelmus *in annalibus Regum Franciæ*, ubi: *Intereà*, inquit, *Rex Nordhanhumbrorum deductus est in Regnum suum, & Legati Imperatoris atque Pontificis reversi sunt.*

Anno MCLXVI. Cùm Fridericus Aenobarbus in Italiam cum exercitu movisset, incendiis & rapinis omnia vastaret, Guidonem Antipapam Alexandro III. opponeret, armisque muniret; adsunt Constantinopoli ab Emmanuele Comneno Imperatore Legati, unionem cum Ecclesia Romana, ingentémque vim auri, & auxiliorum spondente, si Pontifex Maximus Imperium Occidentis Græco restitueret. Adi ipsius Alexandri acta ab auctore illius temporis edita apud Baronium *ad hunc annum, n. 17.*

Idem testantur Blondus *Decade 2. lib. 5.* Nauclerus *in Chronico volum. 3. generat. 39.* Platina *in Alex. III.* Spondanus *ad hunc Annum.* Repetiit Legationem & munera Comnenus iterum pro Imperio supplex Ann. MCLXX. Sed re infectâ munera cum Legatis à Pontifice remissa. Vide Spondanũ *ad hunc annũ:* & acta ipsiꝰ Alexandri, quæ inter alia hæc habent: *Intereà Emmanuel Magnus Constantinopolitanus Imperator, cùm videret Fridericum Ecclesiam Romanam, & Alexandrum Papam vehementer cum Schismaticis impugnare, & persequi, misit Imperii Apocrysariũ cum immensâ multitudine pecuniarũ ad præsentiam ipsius Pontificis*

loquen-

loquentem hæc verba: *Dominus Imperator, cùm videat Fridericum Imperatorem Romanæ Ecclesiæ advocatum acrem illius impugnatorem, & persecutorem, magis vult eidem Ecclesiæ servire atque succurrere: unde rogat & postulat, quatenus prædictæ Ecclesiæ adversario Imperii coronâ jam privato sibi eam, prout ratio est & justitia exigit, restitueret, &c.*

Anno MCLXVIII. Idem Alexander III. Fridericum Ænobarbum pertinacissimo schismate belloque, Italiæ, Ecclesiæ, Pontifici omnibus infestum, sacris & Imperio interdicit. Testis est Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis & B. Thomæ Martyri amicitiâ conjunctissimus, qui *lib. 2. epist. 84.* quam dedit ad Joannem Cantiæ Subpriorem, hæc scribit: *Cùm enim Romanus Pontifex per patientiam Teutonicũ Tyrannũ diutiùs exspectâsset, ut vel sic provocaretur ad pœnitentiam, & ille abutens patientiâ ejus peccata peccatis adderet, Vicarius Petri à Domino constitutus super gentes & super Regna, Italos & omnes qui ei ex causa Imperii juris jurandi religione tenebãtur adstricti, à fidelitate ejus absolvit, abstulit ei etiam Regiam dignitatem, & inhibuit auctoritate DEI, ne vires ullas in bellis habeat, aut aliquam victoriam consequatur, &c.*

Vide Spondanum & Morerum *in vita Alexandri.* Fridericus tandem infortuniis fractus, tædioque obstinati schismatis ad decem & octo annos productî, pacem cum Alexandro Venetiis init, transmissóque mari contra infideles, ingentibus præliis & victoriis functus, dum in Dydno amne lavat, infelici casu aquis præfocatur.

VII. Anno MCLXXIX, Alfonsus I. Dux Portugalliæ ab eodem Alexandro III. ob res adversùs Arabes præclarè gestas jura & titulum Regis accipit, & annuum censum Romanæ Ecclesiæ statuit. Vide Spondanum & Baronium *ad hunc annum*, qui ultimus recitat Innocentii III. epistolam ad Sancium Regem Portugalliæ in hæc verba: *Innocentius, &c. Nos attendentes tuam personam ornatam prudentiâ, justitiâ præditam, atque ad Regni gubernationem idoneam, eam sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & Regnum Portugallense cum integritate honoris, Regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non & alia loca, quæ de Saracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare ad exemplar Alexandri Papæ, qui hæc avo tuo per privilegii paginã concessisse dignoscitur, tuæ Sublimitati concedimus, & auctoritate Apostolicâ confirmamus, & hæc ipsa*

*haredibꝰ tuis duximus concedenda, eoſq; ſuper iis, quæ conceſſa ſunt pro injuncto nobis Apoſtolatus officio defendem*ꝰ. V. Innoc. *1. epiſt. 144. & 151.*

Anno MCCX. Otto IX. Imperator, cùm Friderico juniori Regi Neapolitano, totique Italiæ bellum inferret, nec à Pontifice admonitus cœptis abſiſteret, ab Innocentio III. anathemate perſtringitur, Imperio arcetur, permiſſúque Pontificis idem Fridericus Henrici V. Imperatoris filius à Germaniæ Principibus throno imponitur. Urſpergenſis *in Chronico*, Nauclerus Spondan. & Bzov. *ad hunc annum*. Verba Abbatis Urſpergenſis ſunt: *Sanè ne tanta turbatio fieret in Eccleſius & populo Chriſtiano, voluit Dominus Papa ſuſtinere omne damnum, quod ſibi Imperator in terris Eccleſiæ Romanæ intuliſſet, aut inferret, hanc formam compoſitionis, cùm recusâſſet Imperator admittere, Dominus Papa tanquam vir animoſus & confidens in Domino, tria ardua negotia ſimul explere diſpoſuit. Anno enim Domini MCCXII. laboravit ſuper depoſitione Ottonis Imperatoris, quod fuit arduum negotium, &c.*

Anno MCCXXXIX. Gregorius IX. Fridericum II. Imperio & ſacris interdicit. Idem poſteà ſolemni ritu in Concilio Generali Lugduni Anno MCCXLV. ab Innocentio IV. repetitum. V. Blondum, Platinam, Spondanum, *ad hunc annum*, ubi: *Inter Gregorium*, inquit, *Pontificem & Fridericum Imperatorem publicatur toto orbe diſſidium, & diverſo utriúſque diplomate excommunicatur Fridericus, & imperio privatus declaratur. Scriptorum fides in tanto animorum motu vacillat, pluribus tamen & æquioribus Fridericum ſummæ ingratitudinis, in Eccleſiam Romanam impietatis, multorúmque ſcelerum damnantibus.*

Anno MCCLXXIII. *Gregorius*, inquit Spondanus, *mandat Principibus Germanis, ut tandem Imperatorem creent, niſi velint, aliquem à ſe imponi. Convenientes igitur Francofurti primùm Ottocaro Regi Bohemiæ Imperium deferunt, ſed recuſante eo, conſenſum eſt in Rudolfum Comitem Habſburgenſem, armis & conſilio potentem.*

Morerus *in vita Rudolfi* confirmatum fuiſſe à Gregorio X. electionem Rudolfi Habsburgenſis teſtatur. Operâ ergo Sanctiſſimi & miraculis clariſſimi Pontificis in domum Auſtriacam devenit Imperium pietate Rudolfi partum, pietate productum, pietate, quod omnes boni ſperant, optantque duraturum. Scribit idem Morerus, Rudolfum magnâ vi auri accepta Italiæ, quæ Imperio adhuc ſerviebat, libertatem dediſſe. Auctor paralipomenon ad Chroni-

Chronicum Urspergensis: *Anno*, inquit, *Domini MCCLXXIII. Rudolphus Comes Habsburgensis, Landgravius Alsatiæ, post longam vacationem Imperii & civilia bella, communi voto Principum electus in Imperatorem Germaniæ & Romanorum, à Papa confirmatus fuit, &c.*

Platina *in Gregorio X. Gregorius*, inquit, *iter in Italiam faciens, absoluto Lugdunensi Concilio, obviàm habuit Alfonsum Castellæ Regem, conquerentem, quòd Imperium Rodolfo mandâsset, verùm acceptâ Pontificis satisfactione jus omne suum Rodolfo concessit.*

Meminit ejusdem Alfonsi Imperium à Pontifice postulantis Mariana *lib. 13. c. ult.* ubi Alfonsum in confessu procerum sic loquentem inducit: *Nunc filio in Patria relicto, geminæ jam prolis patre, Imperium te auspice atque adjutore Gregori Pontifex maxime capessemus, inane quidem & sine proventu nomen, sed publicum Hispaniæ decus respicere, nostrámque ignominiam depellere cogimur, quod utinam sine armis præstare possimus, alioquin quodcunque periculum retinendi honoris studio subire est animus.*

VIII. Anno MCCCVII. Interfecto Alberto Imperatore Philippus IV. Galliæ Rex cognomento pulcher, collatis cum senatu capitibus, solemni ad Clementem V. Legatione tunc in Galliis agentem, Imperium sibi, vel Carolo fratri suo petit: Sic enim à Francis in Germanos dilapsum Imperium ad Francos rediturum: inter alias rationes hæc etiam producta: *Cui enim*, inquiebat Rex, *fiat injuria, si vacantis Imperii conditio permutetur? Idem fecerunt olim Pontifices alii.* Sed Clemens Philippi potentiam veritus, si Imperio augeretur; & iram si offenderet; deliberaturum se dixit: clàm interim monet Electores, qui Comitem Lucemburgensem Henricum VII. Imperatorem dicunt: electio à Senatu confirmata. Rem accuratè scribit Conradus Vecerius *in lib. de gestis Henrici VII.* Bzovius *ad hunc annum n. 6.* Æmilius *in Philippo pulchro*, qui tantùm electionis confirmatæ, à Pontifice meminit.

Agnovit ergo Galliæ Rex, regiúsque senatus, esse aliquam Pontifici in Reges & Imperatores potestatem, quam implorarent.

Anno MCCCV. Clemens Papa V. Venetos, quòd occupassent Ferrariam, sacris interdicit, eorúmque bona ubique terrarum primò occupanti exponit, excitatis etiam in eos sacri belli militibus. A quibus victi Veneti veniam Avenione deprecantur per Franciscum Dandalum, ad pedes Pontificis ad hoc prostratum. Sponda-

nus *ad hunc annum.* Sabellicus *Ennead.9. lib.8.* Bzovius *ad annum MCCCIX.* Platina *in vita Clementis V.* Quo teste, Galli præsertim hanc sententiam Clementis non tantum non improbârunt, sed etiam impigrè sunt executi: sic enim Platina *in vita Clementis* prope initium scribit: *Quamobrem Genſipſa* (Veneti) *mercaturæ admodum dedita, in Anglia & in Gallia maxima incommoda perpeſſa eſt.*

Anno MCCCCXX. Martinus V. in Joannam Reginam Neapolitanam armat Sfortiæ Ducem, transfertque jus Regni in Ludovicum III. Andium Ducem. Spondanus & Pandulphus *ad hunc annum.*

IX. Anno MDXII. Julius II. excommunicat Joannem Alibretanum, ejúsque Regnum primò occupanti donat, quòd Alfonso Ferrariæ Duci & Ludovico XII. Regi Galliæ opem tulisset. Hæc origo Navarrici Regni ad Ferdinandum V. Aragoniæ Regem & Hispanos delati. Joanna Alibreta Navarræ Regina odio Pontificis,& Hispanorum, Catholicam Religionem ejurat, vocatis qui Henricum Borbonium unicum filium Calvinismo erudirent. Ab hoc in Reges Galliæ provinciæ aliquot Navarrici Principatus derivat. Negant quàm plurimi à Julio II. jure id factum. Vide Spondanum *ad annum M. D XII.* & libellum Gallicum, cui titulus *Intereſts de Princes fol. 62.*

Anno MDXXXIV. Clemens VII. in Henricum Angliæ Regem diras pronuntiat, & Regnum abrogat, quòd Catharinam legitimam uxorem repulisset, Bolenâ in Thalamum admissâ; quòd Cardinalem Roffensem, & Morum primæ venerationis capita præcidisset; quòd innocentium sanguine Angliam inundâsset, non alterius culpæ quàm Religionis Catholicæ reos: quòd cœnobia, Religiosos, Ecclesias omnes igne, ferro, spoliisque fœdasset; quòd postremò D. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem tot annos jam vitâ functum, & miraculis clarum in jus citâsset, sacrósque cineres in aquas sparsisset. Sunt, qui Pontificem arguant anathematis præcipitati nuntio post biduum apparente, qui litteras obsequii plenas à Rege deferebat. Sed plus satis exspectatum; nec prius ad extrema deventum esse, quàm spe omni consumptâ, scribit Palavicinus *in hist. Conc. Trid. lib.4. cap.7. & lib.3. cap.15.* Vide Morer. *in vita Henrici VIII.*

Anno

Anno MDLXIII. Inter alia documenta, quibus Vicecomitem suum in Hispaniam Nuntium Pius IV. instruxit, illud etiam â Palavicino *lib. 24. Hist. Concil Trid. c. 1. n. 3.* Regem doceret de affixo libello, quo Regina Navarræ in jus vocabatur, sex mensium spatio ad se purgandum concesso, quo elapso eam Regno privatum iri.

Anno MDLXIX. Pius V. Elisabetham Reginam execratus, diris perstringit, Regnúq; Angliæ proscribit. Spondanus *ad hunc annū.* Eadem proscriptio à Sixto Pontifice Maximo repetita, de qua vide Thuanum, *lib 89. ad annum MDLXXXVII.*

Anno MDLXX. Idem Pius V. Cosmum Mediceum, Ducem Florentiæ, Magni Ducis Hetruriæ titulo honorat, non sine aliqua aliorum Principum obtrectatione. Spondanus *ad hunc annum.*

Anno MDLXXXV. *Sixtus V. Pontifex Maximus Henricum Navarræ (posteà magnum Galliarum Regem) hæreticum declarat, & Galliæ Regno inhabilem.* Verba sunt Spondani *ad hunc annum*, qui subdit: *Hinc verò gravissimum ortum est bellum, & inaudita rerum confusio, atq; animorum dissidio secuta, quæ nobilissimum ac Christianissimum Regnum haud dubiè in extremam perniciem deduxissent, nisi idem ipse, à quo destructio timebatur, potenti tandem manu restitutionem operatus esset.*

Anno MDXCI. *Gregorius XIV. Eundem* inquit Spondanus, *Henricum Regio nomine indignum pronunciat, & adversùs eum in Gallias exercitum mittit.*

Anno MDXCIII. *Confœderati Galliæ*, inquit Spondanus, *occasione potestatis sibi à Clemente Pontifice factæ eligendi Regis, qui Catholicus esset, comitia Parisiis celebrant, sed ingenti confusione, cùm plurimi exteri promoveri cuperent: quando & felix ille illuxit dies, quo Henricus divinitùs illustratus, & rationibus Catholicorum apprimè imbutus, abjuratâ hæresi Religionem avitam amplexus est, misitque Romam Ducem Nivernensem, qui absolutionem à Clemente VIII. impetraret.* Vide etiam Thuanum *lib. 106.*

Hactenus pauca ex plurimis exempla deflovavimus, quibus omnium propè à Gregorio M. sæculorum decursu, usúque probatum est, etiam Regnis, Imperiisque Summos Pontifices, cùm Religio id poscret, legem dedisse, juxta illud *Ier. 1. Ne formides à facie eorum, ego quippe dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream super omnē terram Regibus Iuda, Principibus ejus, & sacerdotibus & Populo terræ, & bellabunt adversùm te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus*

Domino, ut liberem te: Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna, ut evellas & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Et quamvis aut imprudentiâ, aut abusu peccatum aliquando sit; id tamen omni humanæ potentiæ eomune est, quam si propterea proscriptam velis, quia excessit, quam nobis reperies à culpa immunem? Oportebit ergo omnem tolli potestatem, pejori, quàm sit malum, remedio. Etsi Pontificum, qui hac in Reges usi sunt auctoritate, Sanctitatem consideres & doctrinam (quales sunt Gregorius Magnus, Zacharias I. Stephanus III. Gregorius II. Gregorius X. Leo III. Pius V. omnes inter Sanctos Beatosve relati:) negari haud potest, noluisse eos aliena invadere, suis tantùm juribus contentos armatósque. Nunc ab exemplis ad testes procedamus.

§. XVI.

Testes pro eadem Sententia.

Summar. unicum.

Sententiæ SS. Gregorii Magni, Thomæ Doctoris Angelici, Bonaventuræ Seraphici, S. Antonini, Ioannis Gersonis Doctoris Christianissimi Petri Blesensis, S. Petri venerabilis Abbatis Cluniacensis, S. Bernardi, Cleri Gallicani, aliorumq; Doctorum remissivè.

Primus testis S. Gregorius M.

BEati Gregorii Magni quanta fuerit modestia, Regúmque veneratio, orbe toto notissimum est, ut proinde nihil minùs credi possit, quàm voluisse tantâ moderatione Pontificem egredi terminos potestatis à DEO sibi traditæ. Et hic tamen in privilegiis Monasterio Svessionensi S. Medardi & Ecclesiæ S. Martini concessis, non dubitavit Reges privilegiorum invasores coërcere, & Regnis interdicere, ùt supra ostendimus, nec libet repetere. Videatur interim Gregorius VII. *lib. 8. Epist. 21. quæ habetur* in tomis Conciliorum *tomo 3. p. 2.*

Secun-

Secundus testis S. Thomas Doct. Angelicus.

Multa sunt, quæ D. Thomæ doctrinam, apud Gallos præsertim, omni exceptione majorem reddant: quòd è cœlo potiùs quàm litteris, & studio quæsita: quòd summæ humilitati & modestiæ conjuncta: quòd Parisiis ab eodem S. Doctore diu magnóq; cum plausu audita & excepta: quòd in omnibus scholis, Universitatibus, omniumque Doctorum assensu præcipuâ veneratione, & ante alias culta: quódque majus est, ipsius Christi Domini oraculo sacrata: quòd non à doctissimo tantùm, sed etiam sanctissimo calamo profecta, adeò ut ad maximas dignitates summóque merito vocatus, eâdem constantiâ oblatas spreverit, quâ alii non oblatas ambiunt: quod denique Gallias adeò dilexerit, ut illic & cathedram vivus, & tumbam mortuus legerit. Hæc omnia liberum affectibus animum convincunt, nihil ab illo præmii, aut adulandi causâ, nec partium studio scriptum esse, sed veritatis tantùm. Et ne forte quis dicat Beatum istum scholis, & solitudini addictum, aularum jura & Principum ignorâsse, exstant accuratissimi libri de Regimine Principis ab eodem conscripti, in quibus adeò Principum arcana, artésque regnandi complexus est, ut possis dicere, nihil exquisitius, regnísque moderandis ab alio dici potuisse, qui in senatu, aulisque consenuisset. Meritò proinde Urbanus V. in Bulla LAUDABILIS DEUS ad Tolosanam Academiam scribens, *Ut D. Thomæ doctrinam tanquam veridicam & Catholicã sectetur, totisque viribus promovere studeat, injungit.* Et Joañes Baptista Gonetus in præludiis tomi 1. testatur, *Burdigalensem, & Avenionensem in Galliis cathedras D. Th. doctrinam ex professo & juramento tueri.*

Audiamus ergo, quid S. Doctor senserit, scripserítque.

Sic ergo 2.2.q.12.a.2. *in corpore* loquitur: *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt, sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia homo Apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat, intendens homines separare à fide. Et ideò quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter Apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à Dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.*

Et eodem articulo ad 1. *Dicendum quòd illo tempore* (Juliano imperante) *Ecclesia in sui novitate nondum habeat potestatem terrenos*

Prin-

Principes compescendi, & ideò toleravit fideles Juliano Apostata obedire in his, quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur. Et 2.2 q.60.a.ad 3. *Dicendum, quòd potestas sæculiaris subditur spirituali, sicut corpus animæ. Et ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantùm ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei à seculari potestate relinquuntur.*

Idem docet *in secunda sententiarum distinctione 44.q 9.a 2. & in 2. ad Corinth. c 11. lect 2. & in epist. ad Philipp. circa finem.*

Et opusculo 29 *de Regimine Princip. lib 3. cap.10. Propter quod oportet dicere, in summo Pontifice esse plenitudinem omnium gratiarum, &c. Quodsi dicatur ad solam referri spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale & temporale ex spirituali, & perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ. Sicut ergo corpus per animam habet esse, virtutem & operationem, ita & temporalis jurisdictio Principum per spiritualem Petri & Successorum ejus, cujus quidem argumentum assumi potest, per ea, quæ invenimus in actis, & gestis Summorum Pontificum & Imperatorum, &c.* Et *c.17. eodem lib. quod vide.* Et *c.19. Et tunc*, inquit, *diversificatus est modus Imperii, quia usque ad tempora Caroli in Constantinopoli in eligendo servabatur modus antiquus, aliquando enim assumebantur de eodem genere, aliquando aliunde, aliquando per Principem fiebat electio, aliquando per exercitum: sed instituto Carolo cessavit electio, & per successionem assumebantur de eodem genere, ut semper primogenitus esset Imperator, & hoc duravit usque ad septimam generationem, quâ etiam deficiente tempore Ludovici, cùm Ecclesia vexaretur ab iniquis Romanis, advocatus est Otto I. Dux Saxonum in Ecclesiæ subsidium, liberatâque Ecclesiâ à vexatione Longobardorum, & impiorum Romanorum, ac Berengarii Tyranni, in Imperatorem coronatur à Leone VII. genere Alemanno, qui & Imperium tenuit, usq; ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et ex tunc, ùt historiæ tradunt, per Gregorium V. genere similiter Theutonicum provisa est electio, ut videlicet per septem Principes Alemanniæ fiat, &c. & tantum durabit, quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in Principatu tenet, Christi fidelibus expediens judicaverit, in quo casu, ùt ex verbis Domini est manifestum, videlicet pro bono statu universalis Ecclesiæ videtur Vicarius Christi habere plenitudinem potestatis, cui competit dicta provisio ex triplici genere, &c.* Pergit S. Doctor ex professo id probare, quem vide.

Tertius

Tertius testis S. Bonaventura Doct. Seraphic.

Et hunc Doctorem cum admiratione plausúque Gallia docentem audivit, quando Parisiis Theologiam publicè legit, dictavitque. Tanta integritatis illi & innocentiæ apud omnes æstimatio, ut ejus arbitrio Pontificis Maximi electio permitteretur, elegitque Gregorium X. à quo Purpuratis adscriptus. Lugduni mortuus conditúsque, ubi illius sacrum caput summâ veneratione colitur, reliquo corpore ab hæreticis in aquas sparso; ut adeò hujus sancti Patris sententia & doctrina, Gallis oraculum esse debeat, apud quos, & cathedram, & tumbam, & aras delegit, præsertim ob excellentissimam in rebus theologicis sapientiam, patémque sanctitatem ab omni fuco, & adulatione alieniſſimam. Sic ergo loquitur *Libro de Ecclesiastica Hierarchia p. 2. c. 1. tomo. 7. operum. Patet igitur, quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata est penitùs spiritualis, meritò est consona Ordini Dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores ordines, quòd illos illuminat, perficit, purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur: quia sicut spiritus dignitate & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quàm sæcularis, & ideò bene sortitur nomen Dominationis. Unde Regalis potestas subjacet potestati & auctoritati spirituali, sicut in 1. Canonica Petri dicitur: Vos estis gens sancta, Regale sacerdotium, &c. Nam temporale Regnum velut quoddam adjectum subjacet Sacerdotio in novo testamento, sed in veteri testamento Sacerdotium subfuit Regno, unde dicitur in exodo: Eligi Vos in populum peculiarem, in sacerdotale Regnum, &c. ubi Regnum ponitur substantivè, sed Sacerdotium adjectivè, & ideò Reges tunc poterant amovere sacerdotes summos ab officio, sicut Salomon amovit Abiathar. 3. Reg. 2. Jam verò possunt sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges & deponere Imperatores, sicut sæpiùs accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penès quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed soliùs Dei judicio reservatur: spiritualis enim homo judicat omnia, & à nemine nisi à solo Deo judicatur. 1. Corinth. 2. sed ut possint tales personæ liberiùs spiritualibus vacare, ut nunc per verbi vitæ prædicationẽ, nunc verò per Sacramentorũ ministrationem populum sibi subditum ad DEIformem similitudinem reformare, necesse fuit alios*

aſſumere in partem ſollicitudinis, qui in diverſis negotiis & cauſis eis aſſiſterent, & onus eorum ſupportarent. Temporalia enim ſpiritualibus ſunt annexa, & de facili ſpirituale officium impedirent, niſi cauſas & lites ex temporalibus orientes, aliqui per juſtitiam deciderent & definirent. Ideò dixit Jetro ad Moyſen: Ultra vires eſt negotium, ſolus ſuſtinere non poteris. Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicunt ad Deum, oſtendásq; ceremonias, & ritum colendi Deum vitámque, per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide ergo viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & oderint avaritiam, & conſtitue ex eis, qui judicent populum in omni tempore, leviúsque tibi ſit partito in alios onere, Exodi 18. v. 6. Et tales ſunt Decani, Præpoſiti, Archidiaconi & quicunque judices ſive ordinarii ſive delegati, qui lites ſopiunt, & decidentes cauſas diſcordes ad concordiam revocant, & reducunt, & tales ſua officia providè & viriliter exequentes conformitatem habent cum ordine virtutum, qui ſequitur ordinem Dominationum, nam ſine virtute non poteſt tale expediri officium. Idem Seraphicus *in 4. diſtinct. 37. in expoſitione textûs dub. 4. Dicendum eſt*, inquit, *quòd utérque gladius, ut dicit Bernardus, eſt Eccleſiæ, ſed differenter: qui eſt ſpiritualis, extrahendus eſt manu Eccleſiæ, ſed materialis non manu, ſed tantùm nutu, &c.*

Quartus teſtis S. Antonius.

Hic notiſſimæ Sanctitatis, doctrinæque *p. 3. Summæ tit. 22. c. 5. §. 13. Imperat.* inquit, *eſt miniſter Papæ, eo ipſo quòd eſt miniſter Dei, cujus vices gerit, juxta Apoſtolum ad Rom. 13. Eſt autem Principalis agentis eligere miniſtros & inſtrumenta ad ſuum finem, unde puto, quòd Papa cùm univerſos fideles in præſenti Eccleſia ad pacem habeat ordinare, & ad ſpiritalem finem conſequendum dirigere & deſtinare, juſtâ cauſâ & rationabili exiſtente per ſe ipſum poſſit Imperatorem eligere, aut propter eligentium negligentiam, vel diſcordiam, aut propter populi Chriſtiani, & pacis providentiam, aut propter coërcendam hæreticorum & paganorum audaciam & potentiam. Poſſe enim Papæ fulcitum debet eſſe veritate, juſtitiâ & æquitate, non enim poteſt adverſus veritatem &c.* & infrà: *Potuit etiam Papa Electores Imperatoris inſtituere, & inſtitutos mutare ex cauſa rationabili: ſicut etiam Imperatorem electum poteſt non confirmare, & confirmatum deponere. &c. &c.* Et infrà: *Item Papa poſſet providere de Imperatore per hæreditariam ſucceſſionem, quando videret populo Chriſtiano pacem dari magis per hæreditariam ſucceſſionem Imperii. &c.*

Quin-

Quintus testis Joannes Gerson.

Floruit Joannes Gerson circa annum MCCCCXII. Doctor, & Cancellarius Universitatis Parisiensis, cujus sapientia, & libertas admirationi fuit & venerationi Concilio Constantiensi, inter primos, magisque conspicuos Galliæ Doctores habitus. Hic ergo *p. 4. sermone de pace & unitate Græcorum, consideratione 5. Homines*, inquit, *per hoc, quòd unicum principale caput habent ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quam bonitate morali & spirituali, convenientiùs, & divinius se hoc modo in unitate tenent. Nec est ullo modo in præjudicium cujuscunque dominii temporalis vel spiritualis, sive Regum sive prælatorum. Hic sunt duo extremi errores, dicunt aliqui, homines Ecclesiasticos, Papam, vel alios non posse ullam tenere temporalitatem, vel jurisdictionem: alii dicunt terrenos dominos nullum prorsus jus habere in temporalitate: sed hoc verum non est, nec dicere oportet omnes Reges vel Principes hæreditatem eorum, vel terram tenere à Papa, ut Papa habeat superioritatem civilem, & juridicam super omnes, quemadmodum imponunt aliqui Bonifacio VIII. Omnes tamen homines Principes, & alii subjectionem habent ad Papam, in quantum eorum jurisdictionibus, temporalitate & dominio abuti vellent contra legem divinam, & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiva & ordinativa potiùs, quàm civilis vel juridica.*

Vides Gersonem potestatem juridicam & civilem ac ordinariam Pontificibus negare, qualem videlicet habet Rex in suos subditos: Dominus directus in Vasallos &c. concedere tamen subjectionem Principum respectu Papæ, quando *jurisdictionibus, temporalitate, & dominio abutuntur: quam ipse vocat directivam & ordinativam*, nos casualem & extraordinariam. Nec enim voluit Gerson, pro eo casu, quando abutuntur, excludere coërcitivam; directivam enim (quâ declaratur quid fieri debeat, aut non debeat,) non tantùm habet Papa, sed episcopus quilibet, etiam extra casum abusûs; nec aliam potestatem Pontifici negat Gerson, quàm illam ordinariam, quam aliqui summo Pontifici etiam extra casum necessitatis concedebant. Et ideò Cardinalis Peronius apud Gramundum *lib. 1. Hist.* Gersonem pro hac sententia, quam defendimus, laudat.

Sextus testis Petrus Blesensis.

Et hic Gallus, Blesis videlicet natus, Bathonienſis in Anglia Archi-

diaconus, eloquentiâ, & doctrinâ inter primos sui temporis floruit circa annnum MCC. Hic *epistolâ 146.* in persona Eleonoræ Angliæ Reginæ Cælestinum Papam III. sic alloquitur: *Duo filii mihi supererant ad solatium, qui hodie mihi miseræ & damnatæ supersunt ad supplicium. Rex Richardus tenetur in vinculis, Joannes frater ipsius Regnum captivi depopulatur ferro & vastat incendiis &c.* Et infrà: *Porrò Princeps Apostolorum adhuc in Apostolica sede regnat & imperat, & in medio constitutus est judiciarius rigor, illudq; restat, ut exeratis in maleficos Pater gladium Petri, quem ad hoc constituit super gentes & Regna. Christi crux antecellit Cæsaris aquilas, gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes præjudicat Imperatoriæ potestati.*

Septimus testis S. Petrus Abbas Cluniacensis lib. 6. Epist. 28.

Cùm Clericus quidem furti injustè damnatus Apostolicam Sedem appellasset, nec admissa fuisset appellatio: unum, quod habuit, unum quod potuit fecit: ad illum unum præcipuum & singulare oppressorum præsidium confugit, Apostolicum dico auxilium elegit, tabernaculum scilicet, quod est in umbraculum diei ab æstu, terminum videlicet vel obicem Apostolicæ appellationis interposuit, quam, ut putabat, non liceret eis transgredi, sed frustra hoc speravit; nam post factam appellationem tota illa rerum ipsius rapina ab eis facta est, quæ supra à me conscripta est. Addita est insuper verborum contumelia, quæ apud Imperatores sæculi Reos Majestatis faceret, & pœnâ ad minus capitali puniret. Sed quamvis Ecclesia non habeat Imperatoris gladium, habet tamen super quoslibet minores, sed & super ipsos Imperatores imperium. Unde ei sub figura prophetici nominis dictum est: Constitui te super gentes & Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices, & plantes. Quare si non potest occidere, potest evellere. Si non potest occidere, potest destruere.

Octavus Testis S. Bernardus Abbas Clarevallensis.

Nihil habuit Gallia hoc Sancto divinius, nihil eloquentius: melle credas aut rosâ, non calamo aut atramento scripsisse. Natus est Fontanis in Burgundia Gallica Anno MXCI. miraculis, facundiâ, an verò Principibus componendis felicior, nescias. Dabimus elogium Baronii Cardinalis *ad annum MCLIV.* Verè *Apostolicus vir*, inquit, *immo verus Apostolus missus à Deo, potens opere & sermone, illustrans*

strans ubique & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis, qui apud Imperatores, & Reges aliósq; Principes pro omnium sublevatione atq; ipsorum Principum salute tot, & tanta peregit. Et qui dicendus sit totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul & fulcimentum, Gallicanæ verò imprimis Ecclesiæ prædicandus sit summum decus, summa gloria, felicitas.

Hic ergo Sanctus de potestate Pontificis sic loquitur *lib. 1. de consideratione cap. 6. Mihi non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris non judicare de talibus (causis temporalibus) quibus datum est judicium in majora: quid ni contemnant de terrenis possessiunculis hominum judicare, qui & Angelos judicabunt? Habent hæc infirma & terrena judices suos, & Reges Principes terræ; quid fines alios invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? non quia indigni Vos, sed quia indignum Vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis: denique ubi necessitas exigit, audi, quid sentiat non ego, sed Apostolus: Si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis? Et lib. 4. c. 3. Quid tu denuo* (alloquitur Eugenium Papam) *usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam: tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu; evaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hîc; non respondisset Dominus: Satis est; sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est, ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & jussum Imperatoris.*

Testimonium nonum totius Cleri Gallicani.

Ecclesia Gallicana non semel tantùm, sed aliquoties, & clarissimè potestatem hanc Pontificiam agnovit, & professa est: in Synodo videlicet Pontigonensi, de qua Aimoinus rerum Francic. *lib. 5. c. 33.* & nos suprà. In Conciliis Generalibus Viennensi, Lugdunensi primo, & Constantiensi, in quibus adeò clarè mentem suam expressit Ecclesia Gallicana, ut ne à nobis quidem clarius posset. Sed ut appareat non olim tantùm, sed recentissimè hanc ipsam fuisse Gallicani Cleri doctrinam, describemus, quæ habet Bartholomæus Gramondus Sacri Regii Consistorii Senator, & in Parlamento Tolosano Præses *lib. 1. Hist. ad annum MDCXV. fol nobis 60.* &

ſequentibus ſub exitum *anni MDCXV.* Comitia videl. trium Galliæ Ordinum generalia Lutetiam fuiſſe convocata, hoc eſt, Cleri, Nobilitatis, tertiique Ordinis, qui ultimus Magiſtratibus ſubalternis & minore populo conſtat. In ipſo Comitiorum ingreſſu, ortas ſtatim inter Clerum, tertiumque Ordinem ſimultates. *Clerus*, inquit Gramondus, *in caput Magiſtratuum petit abrogari novam legem, per quam officia ipſorum in hæredes tranſibant, ſub cautione tributi in ſingulos annos præſtari ſoliti: (Pauletam dixêre per id temporis ab auctore ſubſidii:) Id ubi tertii Ordinis Oratoribus agnitum, rati, ùt res erat, peti Ordinem ſuum, ſtatim proponunt theſin toties Clero obſtrepente agitatam. Nullam eſſe poteſtatem in temporalibus ſupra Regiam, uniq; immediatè DEO, debitam coronam à Gallis Regibus, nullis obnoxiam interdictis,* (Notentur ea verba) *obſtrepente Clero.* Pergit poſtmodùm narrare: de Summi Pontificis in Reges poteſtate pluribus actum, miſſosq; communibus votis tertii Ordinis ad Clerum articulos tres, quorum hæc ſumma erat. *1. Sacrilegum eſſe Reges unctos Dei quolibet prætextu in necem dare. 2. Debitam immediatè uni Deo Regum in ſubditos poteſtatem. 3. Nullis Sedis Apoſtolicæ interdictis ſubjacere Imperia Regum, ſubditosq; nunquam ſacramento fidei exſolvi poſſe. Conſenſit primæ Clerus, immo perorante doctiſſimè Peronio Cardinale, theſin in tyrannicidas de fide eſſe reſpondit ex Decreto Concilii Conſtant. Seſſ. 5. Alteram de fide negavit, quamquam humanitùs, & hiſtoricè defendi poſſit. Difficultatem præcipuè movit Articulus 3. Vindicabat vir doctus Summi Pontificis in Regum ſceptra poteſtatem certis caſibus; Probabat poteſtati Romanæ Sedis in Reges hæreticâ labe infectos ſubſcripſiſſe, quotquot Calvinum ante theologica tractavêre. Contrariam opinionem novam eſſe, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam. Sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur pellendis regno ſuo hæreticis, ſi pejeraverint in hæreſin ipſi degeneres, ſi fautores hereſiarcharum, ſi novi dogmatis aſſertores: deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege ſpectat perjurii pœna. In eam ſententiam exactis ſæculis itum: iri & hodie paſſim toto Orbe Catholico, ſi Galliam demis.* Ex hac tota Cardinalis Peronii, & Gramondi diſſertatione vides, Clerum Gallicanum *Ordo Eccleſiaſticus*, inquit Gramondus, *perorante doctiſſimo Peronio*) in ea ſententia fuiſſe, ut crederet opinionē hanc, poteſtatē Pontifici in Reges negantium *novam eſſe, Luthero, & Calvino fautoribus nuper natam, cui veterum ſubſcripſit nemo, recentiorum pauci: tanquam dogma politicum defendi poſſe ad ſummum: eo errore primam fuiſſe Henrico VIII.*

VIII. Angliæ Regi viam in hæresim: ex injusto repudio justè condemnatum rebellâsse contra judicem suum: non aliud præcinere thesin, quàm rebellionem in solium Petri. In contrariam sententiam exactis sæculis itum, iri & hodie passim toto Orbe Catholico, si Galliam demis, &c. Pergit verò Gramondus, quæ posteà contigerunt, pertexere, cùm videlicet Senatores Parlamenti in eandem cum tertia Ordine sententiam conspirâssent, placitúmque suum vulgâssent: pro lege politicâ, Regnóq; fundamentali habendum esse, quòd Rex Galliæ neminem in temporalibus agnoscat.

Excanduit, inquit, *Clerus, addito non eas esse Parlamenti partes, ut ultro respondeat: Comitiis Galliæ generalibus convocatis Regium omne jus translatum in ipsa; adeò ut velut justitio indicto, cessare debeat Magistratus. Clerum & Nobilitatem convenire in eandem sententiam, nec ideò contrariam opinionem valere, quia ita populus censet, duorum vota & calculos uni prævalere.*

Hactenus in sua historia Gramondus. Jam prudentum quilibet facilè judicaverit, quàm apud omnem posteritatem Conventui Parisiensi decorum futurum sit, eam propositionem tanto cum apparatu, curâque, immo gravissimis pœnis imperare, quam sub felicissimæ & glorioissimæ memoriæ Ludovico XIII. Patres Gallicani censuerunt: *Esse opinionem novam, Luthero & Calvino auctoribus natam, cui veterum nemo subscripsit, recentiorum pauci, quæ Henrico VIII. via in hæresim fuerit, quæ apertam rebellionem præcinat in solium Petri, quam prælo datam, obtento à Rege diplomate, multáque in Typographum oblitteratum voluêre, cui deniq; in iisdem comitiis omnino contrarium rotundè edixerunt, Sacramento videlicet Reges Galliæ, ubi inaugurantur, pellendis Regno suo hæreticis obstringi: si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum, si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege Dei spectat perjurii pœna.* Quæ omnia non sunt nostra, sed Ecclesiæ Gallicanæ verba apud Gramondum omni exceptione majorem. Subjungit posteà laudatus Gramondus *de Tridentino Concilio, expediátne in Gallia promulgari; multa in utrámq; partem vulgata prætereo. Eleganter & doctè Peronius Cardinalis pro Concilio: institêre acriter contrà Miro, & Savaronus, prævaluitq; Clero populus. Creditum tunc potuisse conciliari opiniones Cleri & populi factâ quasi compensatione: Nempe si Clerus articulum tertii Ordinis admitteret negantem summo Pontifici jus esse in Regna, &c.* Ergo eo temporis hæc propositio: *Pontifex nullũ jus nullóq; casu habet in Regna*: erat popularis & à

Clero

Clero Gallicano pernegata, adeò ut Concilium Tridentinum deſeri maluerint, quàm cum populo componere, & in eam propoſitionem convenire; eam tamen problematicè defendi patiebantur, quò auctoritati Eccleſiaſticæ & ſæculari fieret ſatis, teſte eodem Gramondo *loco citato fol. 67.*

Jam alios Doctores audiamus. Alexander Alenſis ex Ordine S. Franciſci Anglus cognomento irrefragabilis *p. 3. ſummæ q. 48. membro 1. a. 3. §. 2. in reſolutione. Reſpondeo*, inquit, *ſecundùm Hugonem de S. Victore, ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, ut ſit, & judicare habet, ſi bona non fuerit. Ipſa verò à DEO primùm inſtituta eſt, & cùm deviat, à ſolo Deo judicari poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Spiritualis dijudicat omnia, & à nemine judicatur. Inde eſt, quòd ſumma poteſtas Sacerdotalis, qualis eſt in ſummo Pontifice, non poteſt ab homine judicari, ſed habet de omnibus judicare, & de perſonis, quæ vitæ ſpirituali deputatæ ſunt, ùt univerſaliter ſunt omnes perſonæ Eccleſiaſticæ, & de perſonis, quæ ad vitam terrenam deputatæ ſunt.*

Henricus Gandavenſis cognomento ſolemnis, Doctor Sorbonicus *quodlibet. 6. q. 23. Chriſtus ſecundùm quod homo, caput eſt, & Monarcha, non tantùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, ſecundùm quod dixit ei Deus Pater in Pſalmo. 2. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Propter quod dixit Apoſtolis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra; unde & de ipſo dicit Dionyſius cap. 5. Eccleſ. Hierarch. In ipſo perficitur & completur omnis naturæ noſtræ hierarchicæ diſpoſitio. Ipſe autem tanquam homo peregre proficiſcens in altum, non abſque regimine, & ordine in terris relinquere nos voluit, ne tumultuaretur juvenis contra ſenem, & contra ſapientem fatuus, ſed inferiores in donis, & naturalibus & gratuitis per ſuperiores in ordine debito cuſtodiret.* Et mox de Pontifice ſummo loquens: *Talis ergo Hierarcha, ſicut vir ſpiritualis omnia judicat, & ipſe à nemine judicatur, ùt dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. v. 15. Judicat autem non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus, quia temporalia non niſi ſecundùm ſpiritualia judicari debent, & regulari, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. Si Angelos judicabimus, quantò magis ſæcularia? Gloſſa prima, de rebus ſæculi: ſemper enim, qui judicat de majori, ad ipſum ſicut ad primum judicem debet reduci omne judicium de minori, juxta illud. 6. per Venerabilem, qui filii ſint legitimi, ubi dicitur: Cùm major in ſpiritualibus tam providentia, quàm auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in*

majori

majori conceditur, licitum esse videtur in minori. Iste Hierarcha primus post Christum super universam Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claves tradidit, & duos gladios commisit, sic ut regimen universalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus quàm temporalibus ad ipsum pertineret, juxta illud, quod dicitur dist. 22. c. omnes: Romanam Ecclesiam solus ipse fundavit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro æternæ vitæ claviger, terreni simul & cœlestis Imperii jura commisit, ubi dicit glossa: argumentum, quòd Papa habet utrúmq; gladum spiritualem, & temporalem.

Beatus Augustinus Triumphus *quæst. 1. de potestate Ecclesiastica part. 1. art. 7. Papa gerit vicem Christi saltem quantùm ad potestatem & jurisdictionem officii. In Christo autem planum est fuisse potestatem Regalem & Sacerdotalem, quod ostensum est, Primò in ejus incarnatione: Secundò in ejus conservatione: Tertiò in ejus passione & resurrectione:* & art. 8. *Bona temporalia & spiritualia ad tria possunt comparari, Primò ad eorum productionem: Secundo ad eorum ordinationem: Tertio ad eorum motionem & actionem, & secundùm ista tria, tribus rationibus ostendi potest in Papa esse potentiam super omnia.*

Primò quidem propter eorum productionem, quia non ab alio producta sunt temporalia, & ab alio spiritualia, ùt Manichæi putaverũt: sed ab eodẽ Deo, à quo producta sunt spiritualia, ab eodẽ etiam producta sunt corporalia & temporalia: Papa ergo, qui gerit vicem Dei in terris, ex quo habet potestatem spiritualem, habebit similiter potestam temporaliũ & corporalium.

Secundò hoc patet propter eorum ordinationem: ordinantur enim ipsa bona temporalia & corporalia ad bona spiritualia tanquam organa, & tamquam instrumenta. Unde Philosophi posuerunt, quod sine exterioribus bonis, quorum fortuna putabatur Domina, non contingit esse felicem, & virtuosè operari. Componitur enim homo ex anima & corpore. Unde sicut ipsum corpus ordinatur ad animam, & est instrumentum ejus, mediante quo exercet operationes suas: sic ipsa bona temporalia ad bona spiritualia ordinantur mediante Papâ. Papa ergo qui habet providere suis fidelibus de spiritualibus, habet eodem modo providere de temporalibus & corporalibus, sine quibus spiritualia in vita ista politica exerceri non possunt. Unde Apostolis dicentibus: Dimitte turbas, ut sibi emant escas, dictum est: Non habent necesse, ite, date Vos illis manducare.

Tertiò, hoc patet propter eorum motionem, & operationem; videmus enim, quòd temporalia & corporalia moventur; & regulantur in eorum operationibus per ipsas intelligentias in tantum, ut Philosophi secundum

numerum mobilium corporum poſuerint numerum motorum; ſicut patet. 12. Metaphyſicæ. Iſtos etiam motores poſuerunt omnes regulari & moveri ab uno motore primo, qui eſt Deus. Auguſtinus etiam dicit: Omnem ſubſtantiam temporalem, & corporalem adminiſtrari per Angelos. Papa ergo, in quo eſt poteſtas ſpiritualis, habebit per ipſam poteſtatem ſpiritualem ſimiliter diſponere & ordinare de temporalibus.

Illud ergo notatu eſt dignum, omnium ſcholarum Principes in noſtram ſententiam convenire: ex ſchola Franciſcana Alexandrum Alenſem, & S. Bonaventuram: Ex Dominica SS. Thomam & Antoninum: ex Auguſtiniana Anteſignanum Ægidium, & Beatum Auguſtinum Triumphum: ex Carmelitana Joannem Bacconum: ex Carthuſiana præcipuum Doctorem Dionyſium: ex Societate Jeſu Franciſcum Suarez, omnésque ejusdem Societatis Doctores.

Omnes etiam, qui ob doctrinam eminentem titulum aliquem, & elogium, maximæque eruditionis characterem ſunt conſecuti: Hugonem videlicet cognomento *Magiſtrum*: Alenſem *Irrefragabilem*, Thomam *Angelicum*, Bonaventuram *Seraphicum*, Ægidium *Fundamentalem*, Mayronem *Illuminatum*, Gandavenſem *Solemnem*, Bacconum *Reſolutum*, Gerſonem *Chriſtianiſſimum*, &c.

Quamplurimos denique Sanctis adſcriptos, v.g. S. Thomam, S. Bonaventuram, B. Ægidium Romanum, *lib. de poteſtate Eccleſiaſtica*. B. Auguſtinum Triumphum, S. Antoninum, S. Raymundum *lib. 1. tit. de Hæreticis*. S. Gregorium Magnum, B. Joannem Capiſtranum *lib. de poteſtate Papæ. p. 2.*

Infiniti ſunt denique, qui ſentiunt nobiscum: aliquos tantùm citabimus, quos Lector conſulat. B. Ægidius Romanus *lib. de poteſtate Eccleſiæ*. B. Auguſtinus Triumphus *lib. de poteſtate Eccleſiaſtica*. Alexander Alenſis *parte 4. q. 10. memb. 5. & 6.* Aſtenſis *in ſumma 1. p. lib. 2. tit. 64. art. 4.* Antonius Bonfin. *Decade 3. lib. 1.* Ægidius Bellamera *in c. alius, cauſa 15. q. 6. n. 2.* Alfonſus de Caſtro *lib. 2. c. 7. de juſta hæreticorum punitione*. Alfonſus Alvarez *in ſpeculo c. 16.* Antonius Cordubenſis *lib. 1. quæſtionarii q. 57. dubio 3.* Albertus Pighius *lib. 5. de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 2. & 14.* Anton. Diana *p. 1. tract. 2. reſolut. 121.* Alexander de Elpidio *lib. de auctoritate S. Pontificis c. 9.* Auguſtinus Barboſa *in c. per venerabilem. 13. qui filii ſint legitimi.* Bartholus *in L. ſi Imperialis. Cod. de legibus.* Baldus *in proœmio digeſti veteris.* Cæſar Cardinalis

dinalis Baronius *tomo 9.* Cyprianus Aragonensis *lib. de prima orbis sede.* Durandus Episcopus *lib. de origine jurisdictionum q. 3.* Dominicus Scoto *in 4. distinct. 25. q. 2.* Dominicus Bannes *in 2. 2 q. 10. art. 10.* Didacus Covarruvias *in Regulam peccatum. p. 2.* Dionysius Carthusianus *de Regimine polit. art. 19.* Franciscus Zabarella *tract. de Schism.* Franciscus Victoria *de potestate Eccles. last. lectione 1. q. 5.* Ferdinand. Vasq. *lib. 1. illust.* Franciscus Mayron. *in 4. sentent. distinct. 19.* Gabriel Biel. *lect. 23. in Canonem Missæ.* Guilielmus Durandus speculator *in speculo lib. 1. tit. de Legato.* Gabriel Bereria *de manu Regia prælect. 1.* Henricus Brito *lib. de potestate Papæ.* Henricus Ostiensis *in summa tit. de hæret.* Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacramentis.* Henricus de Gondavo *quodlibeto 6.*

Patres Jesuitæ ferè omnes, Robertus Bellarminus *de potestate Papæ in controversiis.* Azor. *tomo 2. lib. 4 c. 9.* Suarez *de legibus lib. 3. c. 22. & contra Regem Angliæ lib. 3. c. 5. & c. 23.* Molina *de justitia tomo 1. tract. 1. disp. 29.* Tanner *in 2. p. dist. 4. q. 2.* Valentia *in 2. 2. distinct. 1 q. 12.* aliique. Jacobus Almain *de suprema potestate temporali & Ecclesiastica q. 2.* Joannes Driedo *lib. 1. de libertate Christiana c. 14.* Jacobus Gretserus *adversùs Goldastum.* Joannes Roffensis Episcopus Martyr *contra Lutherum.* Ludovicus Bologninus *tract. de potestate Papæ.* Ledesma *in 2. p. q. 20.* Martinus Navarrus *in c. novit. de judiciis.* Nicolaus Abbas Panormitanus *in c. solidè. de majoritate & obedientia.* Nicolaus Sanderus *de visibili Monarchia.* Petrus Ancharanus *in c. Canonum statuta de constitutionibus.* Petrus Cluniacensis *lib. 6. epist. 29.* Pelagius Alvarus *de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 21.* Petrus de Palude *tract. de causa immed. Eccles. potestatis.* Robertus Holcot *in lib. sapientiæ lectione 200.* Reginaldus Polus *lib. de summo Pont. c. 8.* Sylvester *in Summa, verbo Papa.* Stanislaus Hosius Cardinalis *in confessione Catholica.* Salgado *de protectione Regia tomo 1. p. 1.* Thomas Valdensis *lib. 2. a. 3.* Thomas Morus *pro Regis Henrici VIII. libello contra Lutherum.* Turrecremata *in summa lib. 2. c. 11.*

§. XVII.

Rationes pro eadem veritate.

Summaria.

1. *Prima Ratio ex officio Paſtoris.*
2. *Ex jure naturalis defenſionis.*
3. *Ex fine rerum temporalium.*
4. *Ex obligatione divina præcepta humanis præponendi.*
5. *Ex juramento, quo ſe Reges Eccleſiæ obſtringunt.*
6. *Ex poteſtate Pontificia divinas leges interpretandi.*
7. *Ex officio Advocati Eccleſiæ, quo Reges funguntur.*
8. *Ex Comparatione Eccleſiaſticæ poteſtatis cum temporali.*
9. *Ex inductione rerum omnium.*

Rationes ultimo loco producimus, tantò validiùs pugnaturas, quòd antiquitate, Patrum teſtimoniis exemplisque omnium, ùt vidimus, ætate ſubnixæ.

I.

PRima ergo *ratio* deſumitur ex officio paſtorali, Petro, ejúsque ſucceſſoribus commiſſo, Joannis ultimo per illa Verba, *Paſce oves meas:* Officium verò paſtorale circa oves non tantùm verſatur in paſcendo, regendo, fovendo, &c. Sed etiam in arcendo, ſeparandóque oves morbidas à ſanis, ne infirmentur: abigendo lupos, ne invadant, &c. Cùm ergo Reges Chriſtiani ad oves Chriſti pertineant: ſi, quòd abſit, eorum aliquis gregem Chriſti & Eccleſiam peſſundet, hæreticus evadat, divinis ac naturalibus legibus obſtinatè non pareat; pertinebit ad curam ſummi Paſtoris, nullâ ſpe correctionis allucente, aliísque remediis in va-

in vanum consumptis, hujusmodi Principem ab Ecclesia separare, & potestatem nocendi, velut furioso gladium extorquere. At, inquies, Pontifex Romanus in spiritualibus tantùm, & quæ Religionem, & animam spectant, Pastor est Regum : illique clavis Regni cœlorum, non Regni terrarum commissa est. R. Potestatem spiritualem & temporalem sic conjunctas esse, ut separari non possint, & separatæ facilè corrumpantur : sicut enim corpore indisposito, organisque corporeis malè affectis non potest anima suas functiones exercere, ita nec Religio florere, conservarique Republicâ malè constitutâ, & perdito aliquo Principe imperante. Deus ipse quamvis fidem Catholicam, & Ecclesiam per miracula, & specialissimam providentiam plantaverat, noluit eam Principibus ethnicis diù subjacere, sed illis per Constantinum excisis, Imperium ad Christianos transtulit, sub quibus toto orbe dilatata est ; spectatâ siquidem hominum fragilitate, fieri non potuisset, Imperio penès ethnicos, & persecutionibus diu multúmque durantibus, fidem Catholicam conservari, victâ tandem diuturnis pœnis patientiâ, quod apertè Christus in persecutione Antichristi eventurum prædixit, *Matth. 24.* & exempla Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Græciæ, &c. plus nimio ostenderant, veram Religionem fidémque Catholicam turbatâ Republicâ, & infidelibus rerum potitis excidisse. Cùm ergo Imperium, & Religio adeò colligata sint, non potuit una sine altero Christi Vicario, summóque Pastori committi: Sicut enim pastori ovium tantùm, non luporum aut prædonum cura committitur : si tamen isti oves invadant, etiam istos pellere & procul arcere Pastoris officium est : eodem modo nulla in Principes & Regna potestas summo Pontifici, nisi quando ex mala illorum administratione Ecclesia periclitatur, nec aliis remediis locus est. Eadem utriúsque juris sententia est, cùm statuunt, concessâ alicui jurisdictione, concedi omnia, quæ ad illam necessaria sunt, & sine quibus exerceri illa efficaciter non potest. *L. fin. ff. de off. ejus cui mandat. jurisdict. & L. 2. ff. de jurisdict. omnium Judicum. & c. præterea, de officio Judic. delegati.* Si ergo Principes sæculares ad oves Christi pertinent, quarum cura Petro ejúsque Successoribus commissa est; si & de illorum præcipuè animabus summo Pontifici reddendæ sunt Deo rationes, tanquam præcipuis Ecclesiæ membris, oportebit consequenter omnem potestatem illis concessam esse, quæ ad

eorum animas, subditorúmque pascendas, regendas, curandásque necessaria; nisi velimus DEI providentiam, quæ rebus etiam vilissimis necessaria providit, Ecclesiæ non providisse. Esse verò potestatem indirectam Ecclesiæ Religionique necessariam, & res ipsa, & exempla, ùt diximus, convincunt.

II. *Secunda Ratio* desumpta ex Jure & debito naturali, quo S. Pontifex Christi Ecclesiam, verámque Religionem defendere tenetur. Quilibet enim Princeps non tantùm jus habet subditos gubernandi, sed etiam ex hoc resultat jus aliud naturalis defensionis, quo potest alium Principem etiam non subditum, qui publica commercia turbat, pacta non servat, alióve modo sibi, suísque infestus est, ad officium compellere, & nisi absistat, bello invadere, Regnoque privare: multò igitur magis poterit Papa, cui Ecclesia concredita est, Principes sæculares Ecclesiæ filios, & quorum potestas temporalis est spirituali subordinata, si Religioni vel committendo vel omittendo noceant, & juramentum violent, quo Ecclesiæ se obstrinxerunt, Regno deponere, aliisque modis coërcere, idque jure defensionis: posse enim Ecclesiam non spiritualibus tantùm, sed etiam temporalibus pœnis suos hostes comprimere, extra dubium est (modò ipsa non exequatur, & extra sanguinem *c. inter. 33 q. 2.*) & sunt auctoritates SS. PP. *in c. de Liguribus. 43. & c. 44. & c. non vos hominum. 42. causa 23. q. 5. & c. jam verò. causa 23. q. 8.* Plerumque enim pœnæ spirituales contemptui sunt impiis, & ludibrio, tantùm abest, ut sint remedio: & fuisse etiam ab Apostolis usurpatas docet S. Hieronymus *in c. legi 31. causa 23. q. 8.*

III. *Ratio tertia* desumitur ex fine regiminis temporalis, ejúsque subordinatione ad finem regiminis spiritualis. Finis enim Regni & temporalis gubernationis est felicitas temporalis, quæ in pace, divitiis, mutuis commerciis, quieta rerum suarum possessione, aliisque, quæ civem reddere possunt felicem, consistit; ita tamen, ut hæc ipsa felicitas temporalis ad finem altiorem & supernaturalem reducatur, veram videlicet fidem, Religionem, cultum Dei, exercitium omnium virtutum, quæ hominem decent, & quibus ad æternam felicitatem pervenitur. Cùm enim Regna sint à Deo constituta, idem finis regnantium esse debet, qui fuit Dei, hic autem propter seipsum, suámque gloriam Regna constituit, & ita expressè *S. Thomas 1. 2. q. 21. art 3.* & præsertim *de Regim.*

Regim. primò. lib. a. 7. docuit. Et ideò Principes sæculi priùs oportet, ut quærant Regnum Dei & justitiam ejus, quàm bona alia temporalia, *Matthæi 6. v. 33.* cùm ista sint media tantùm, & illud finis, *Deuter. 17. v. 18.* Si ergo, ex omnium consensu potestas regia ordinatur ad Religionem tanquam medium ad suum finem, tanquam minus perfectum ad magis perfectum: ille, qui est caput Religionis, erit etiam regiæ potestatis, in quantum hæc pertinet ad Religionem: & qui moderatur fini, ejusque executioni, multò magis & mediis ad eum finem ex sua natura & institutione Dei ordinatis: sicut enim sanitas, quia est finis medicinæ, quidquid enim ad sanitatem facit, herbæ, liquores, gemmæ, ad eandem medicinæ artem pertinent, ejúsque directioni subjacent; & quia finis nauticæ artis est felix ad portum navigatio, ideò ad eandem pertinet, magnetem, acum nauticam, ventorum & stellarum examen, & alia ad hunc finem necessaria instruere, dirigere, mutare, &c. Eodem modo potestas regia medium & instrumentum cùm sit æternæ felicitatis, cui ex officio istius cura committitur, etiam illius commissa est, tanquam inferioris & instrumenti ex Dei institutione ad felicitatem æternam directi: si quis imaginem suam pictori exprimendam deferat, quis non dicat hoc ipso factam illi potestatem colores miscendi, telam poliendi, tingendique, radios & penicillos in omnem partem ex præscripto artis ducendi, & operi inutiles, aut etiam noxios corrigendi, aut si non possit, omnino projiciendi? Cùm ergo Ecclesia militans sit imago triumphantis Ecclesiæ *ad Hebræos 9.* quam fide, spe & charitate, ac præsertim Religione in Deum, velut totidem coloribus imitatur, ejusque pingendi Dei Vicario, velut summo Pictori commendata sit, Principibus verò tanquam instrumentis & penicillis divino huic operi deservientibus; ad eundem CHRISTI Vicarium pertinebit inutiles, noxiosque, & quibus fædatur potiùs imago, quàm perficitur, semovere, aliosque substituere: sic tamen, ut in Principes Ecclesiæ utiles nihil juris exerceat, dicente ipso Christo Pharisæis, hoc est, Legis Doctoribus & expositoribus: *Date ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matthæi 22.* Quam rationem ubique & constanter S. Thomas usurpat, *nam 1. p. q 82. art. 4. in corpore. In omnibus potentiis,* inquit, *activis ordinatis illa potentia, quæ respicit finem universalem, movet potentias, quæ respiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in na-*

in naturalibus, quàm politicis: cœlum enim, quod agit ad universalem conservationem generabilium; movet omnia inferiora corpora, quorum unumquoque agit ad conservationem propriæ speciei, vel etiam individui: Rex enim quia intendit bonum commune totius regni, movet per suum imperium singulos præpositos civitatum: qui singulis civitatibus curam regiminis impendunt. Objectum autem voluntatis est bonum, & finis in communi. Quælibet autem potentia comparatur ad aliquod bonum proprium sibi conveniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri. Et ideò voluntas per modum agentis movet omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetativæ partis, quæ nostro arbitrio non subduntur. Et *in 1. 2. q. 9. a. 1. Et inde est,* inquit, *quòd ars, ad quam pertinet finis, movet suo imperio artem, ad quam pertinet id, quod est ad finem. Sicut gubernatoria ars imperat navifactivæ; ut in 2. Physic. dicitur, bonum autem in communi, quod habet rationem finis, est objectum voluntatis. Et ideò ex hac parte voluntas movet alias potentias animæ ad suos actus: utimur enim aliis potentiis, cùm volumus, nam fines & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur sub objecto voluntatis, sicut quædam particularia bona; semper autem ars vel potentia, ad quem pertinet finis universalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illo universali comprehensus; sicut Dux exercitûs, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitûs, movet suo imperio aliquem ex suis tribunis, qui intendit ordinem unius aciei. Sed objectum movet determinando actum ad modum principii formalis, à quo in rebus naturalibus actio specificatur, sicut calefactio à calore. Primum autem principium formale est ens & verum universale, quod est objectum intellectûs, & ideò isto modo motionis intellectus movet voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum.* Et *2. 2. q. 23. a. 4. ad 2. Dicendum, quòd virtus vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, imperat virtutibus vel artibus, ad quas pertinent alii fines secundarii: Sicut militaris impetrat equestri, ut dicitur in 1. Ethic. Et ideò quia charitas habet pro objecto ultimũ finem humanæ vitæ, scilicet Beatitudinem æternam: ideò extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii, non quasi immediatè eliciens omnes actus virtutum.* Et *1. p. q. 57. a. 2. Hoc enim rerum ordo habet, quòd quantò est aliquid superius, tantò habeat virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem, sicut in ipso homine patet, quòd sensus communis, qui est superior, quàm sensus proprius, licèt sit unica potentia, omnia cognoscit, quæ quinq;*

sen-

sensibus exterioribus cognoscuntur: & quædam alia quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi & dulcis. Et simile etiam est in aliis considerare. Unde cùm Angelus naturæ ordine sit supra hominem, inconveniens est dicere, quòd homo quacunq; suâ potentiâ cognoscat aliquid, quod Angelus per unam vim suam cognoscitivam, scilicet intellectum, non cognoscat. Unde Aristoteles pro inconvenienti habet, ut litem, quam nos scimus, DEUS ignoret, ut patet in 1. de anima, & in 3. Metaphys.

Cùm ergo finis omnium Regnorum & Principatuum sit vera Religio, Deique cultus rectus, & tandem æterna felicitas; ordo & à Deo perpetuò observatus postulat, ut cui Religionis, æternæque felicitatis cura mandata est, sit etiam Regnorum & Principum, in quantum ad illa pertinent.

IV. *Ratio 4.* Desumitur ex obligatione, quam omnes fideles habent, veram Religionem fidémque colendi, & qui eam impugnant repellendi. Cùm enim omnes teneantur jure divino ad æternam vitam adspirare, eodem jure ad nostram Religionem, & mandatorum observantiam obligantur, sine quibus illa non potest obtineri, & consequenter omnia, quæ hoc impediunt, amoliri: si ergo ponamus Principem aliquem hæreticum fieri, & exemplo aut præcepto subditos suos in errorem & perditionem rapere, non tenebitur, immo nec poterit Respublica membrum hoc putridum, & totum corpus infecturum pati, sed præcidere juxta illud Christi: *Si oculus tuus aut pes tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.*

Cujus rei multa sunt argumenta. Primò: ex natura præcepti humani, quod subjacet divino; si ergo obedientia homini delata impediat obedientiam DEO debitam, illa abrumpenda est. Deinde Deuter 17. prohibetur populus eligere Regem, qui non sit Religione Judæus.

Quæ causa hujus præcepti? ne videlicet Judæos ad Idololatriam pertraheret: quæ ratio cùm sit naturlis tam in novo, quàm in veteri testamento procedit: adeò ut teste D. Thomâ ab omnibus recepto 2. *2.q.10.art.8.* etiam infidelibus nullóque modo subjectis possit Ecclesia bellum indicere, ne fideles in suæ Religionis exercitio impediantur; quantò magis Regi Christiano poterit titulo juramenti & subordinationis Ecclesiæ subjecto? Immo sententiâ omnium DD. receptum est, præsertim Gallorum: Pontifici si

Ecclesiam persequatur, aut in hæresin notoriam incidat, resisti etiam armis posse, & Pontificatum adimi: quantò magis Regi notoriè hæretico & Ecclesiæ persecutori adimi poterit? cùm potestas Regalis à Populo sit in Reges translata, sicque humani, non divini juris. Denique matrimonium, etsi jure divino & naturali institutum, naturale vinculum pariat, sitque indissolubile, si tamen Conjux infidelis sine Creatoris injuria cohabitare nolit, fidelis liber est, & aliud matrimonium aggredi potest. *1. ad Corinth. 7. c. gaudemus. de divortiis.* Hæc omnia efficaciter probant, Principem, ubi Religioni detrimento est, exauctorari posse: quod tamen cùm sit prudentiæ & circumspectionis summæ, & ad illa remedia pertineat, quæ cum extrema sint, magnis periculis plerumque conjunguntur, ideò hujus rei judicium, tanquam gravissimæ soli Pontifici reservatur per expressa verba Spiritus S. *Deuter. 17.* & exemplum habetur *2. Paralipom. 23.*

V. *Ratio 5.* Sumitur ex juramento, quo se Reges Ecclesiæ, & subditis obstringunt: quando enim Regibus habenæ committuntur, juramento se obligant, & subditis de eorum privilegiis non infringendis, & Ecclesiæ, de illa contra hostes defendenda. Vide juramentum Caroli apud Spond. *Anno DCCC.* & Ottonis Imper. *in c. tibi 33. distinct. 63.* si ergo fidem & juramentum fallunt, à privatis quidem æquo animo tolerandi sunt, auctoritate tamen publicâ coërceri possunt, ùt eleganter docet S. Thomas *de Regim. Princ. lib. 1. toto c. 6.* fidem enim frangenti impunè fides non servatur. *Vide c. 3. de jurejur. c. 28. de Simonia. c. frustra de R. I. in L. 6. cùm proponas 21. Cod. de pact. & ibi DD. Vide Clement. unic. de jurejurando.*

Cùm ergo causa juramenti & perjurii sit fori Ecclesiastici *c. 13. de judic. & c. 34. de elect.* si hoc à Regibus committatur, cur à summis Pontificibus judicari, & pœnis coërceri non possint? ergo ex hoc saltem capite Summorum Pontificum judicio submittuntur.

VI. *Ratio 6.* Sumitur ex potestate interpretandi declarandique juris divini, & naturalis dubii, quam summis Pontificibus concedunt Catholici omnes, hæc enim potestas apertissimè deducitur *ex Deuter. 17.* Cùm ergo detur aliquis casus, in quo ipsi Galli fatentur Principem abdicari posse: immo P. Maymburg *lib. 2. Histor. Iconoclast.* hanc abdicandi Reges potestatem Statibus, & Comi-

Comitiis Generalibus concedit; poterit ergo summus Pontifex saltem per viam auctoritativæ declarationis pronuntiare, in confluxu certarum circumstantiarum, & ob gravissima mala Religioni, & Ecclesiæ impendentia, juramentum à subditis præstitum non obligare, eóque solutos liberósque esse: si enim concedimus casum aliquem dari, ut juramentum hoc non obliget; quando is contingat, judicium erit summi Pontificis, ad quem causæ juramentorum spectant *c. 13. de judic. c. 34. de Elect.* quid ergo quoad effectum ipsum differt, sive dicamus jus Pontificium in Reges esse veræ potestatis, sive meræ declarationis & interpretationis auctoritativæ? quemadmodum summus Pontifex sive dispenset in præcepto residendi, sive declaret præceptum residendi cessare, utróque modo obligatio residendi sublata est; quòd si hanc ipsam declarandi potestatem Pontifici negant: imprimis negant, quod nunquam salvâ Religione negatum est: deinde quærimus ad quem ergo hæc declarandi facultas pertineat? ad omnes? ad nullum? ad aliquem? Si ad omnes: miserrima omnium juramentorum Regúmque conditio est, quorum coronæ & imperia voluntati, arbitrio & declarationi subditorum succumbunt: quibus cùm placuerit, & aliter judicaverint, juramenta solvuntur. Si ad nullum: miserrima iterum omnium jurantium conditio est, quibus in tanta casuum varietate, & alternatione, ubi meritò dubitari potest, an juramentum liceat possitque observari, nemo tamen est, qui dubitantes absolvat, dubióque liberet. Quis ergo Francos juramento, quod Childerico dixerant, exolvit? Quis Romanos cùm à Græcis ad Carolum M. Francorum Regem defecerunt? Quis eosdem Francos, cùm Hugoni Capeto Regnum detulerant, Carolo I. Lotharingiæ Duci & Regii sanguinis proximo debitum? Si verò aliquem concedunt esse, cui juramentum interpretari liceat, neminem alium videmus, quàm Magistratum Ecclesiasticum, eumque præcipuè, cui dictum est: *Quodcunque solveris super terram, &c.* Quod Ecclesia Gallicana apertè professa est, quam per os Peronii Cardinalis sic locutam accepimus in Comitiis Generalibus anno MDCXV. *Sacramento vinciri Reges Galliæ, ubi inaugurantur pellendis Regno suo hæreticis: si pejeraverint in hæresin ipsi degeneres, si fautores hæresiarcharum si novi dogmatis assertores, deberi ultionem Vicario Dei, ad quem unum ex lege spectat perjurii pœna.* Gramondus *l. 1. Histor. ad annum MDCXV. f. 65.*

VII. *Ratio 7.* Sumitur ex officio Advocati, & defensoris Ec-

cleſiæ, quod Imperatoribus Regibúsque commiſſum eſt : eſſe enim Principes Eccleſiæ advocatos habemus expreſsè *in c. Venerabilem. de electione. Clement. Romani. de jurejurando. c. 2. in 6. de ſuppl. neglig. Prælat.* fatentur ipſi etiam electores Imperii, ùt videre eſt apud Bzov. *ad annum MCCCXIV. fol. 256.* Et Albertus Auſtriacus Imperator ad Bonifacium VIII. apud Baronium *Anno DCCCCXCVI. n. 49.* Ipſe Rex Chriſtianiſſimus per Archiepiſcopum Pariſienſem *MDXXXIII.* Maſſiliæ Clementem VII. ſic eſt allocútus: *Beatiſſime Pater, cùm Sereniſſimus Dominus Franciſcus Rex Chriſtianiſſimus animadverteret quantis in periculis Chriſtianitas per hos annos ſit verſata, jam pridem deſideravit cum S. V. tanquam Chriſtianorum omnium ſummo Paſtore, & parente, aliquo in loco utriq; commodo colloqui, idque ab eadem S. V. inſtanter petierit, ut cum ea præſens in commune bonum conſulere poſſet: nunc hujus voti compos, benignitate V. S. effectus, agit eidem V. S. maximas gratias, non ſolùm, quòd a proximo morbo debilis, & jam annis gravis laborem viæ, & maris diſcrimen non defugerit, ſed & quòd in ejus Regnum venire dignata ſit. Deinde verò, quod ipſe ſemper optavit perſonaliter exequi, eidem S. V. tanquam verò Chriſti Vicario & Petri Succeſſori obedientiam perſonaliter præſtat, ſeq; & ſua Regna, & dominia omnia pro S. V. & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus ipſe Primogenitus filius exiſtit, tuitione & augmento piè offert & pollicetur : rogans, ut filialem hanc obedientiam & oblationem paternâ benignitate ſuſcipere dignetur.* Sic habet *tomus 2. Preuves des Libertez de l' Egliſe Gallicane. c. 3. n. 3.* Et eleganter B. Leo *epiſt. 73. ad Leonem Auguſtum : Debes incunctanter advertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas.* Et B. Gregorius Papa *ad Mauritium Imperatorem lib. 2. indict. 11. epiſt. 6. Ad hoc poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum pietati cælitùs data eſt, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut cœlorum via largiùs pateat, ut terreſtre regnum cæleſti Regno famuletur.* Et prædixerat jamdudum Iſaias. *c. 49. Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ : vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Et *c. 60. Et aperientur portæ tuæ jugiter : die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur.*

Cùm ergo ex allatis textibus certissimum sit, Imperatores, Reges, Principésque omnes Advocatos esse, Defensores, Nutritios, Ministrósque Ecclesiæ, adeò ut ex Dei intentione hic fuerit primus præcipuúsque finis, Reges Regiámque potestatem instituendi, ut Ecclesiæ videlicet & fidei servirent : hoc ergo respectu, si Ecclesiæ noceant, eámque opprimant, cui patrocinium debent, poterit in illos velut in suos Ministros, Advocatósque Ecclesia animadvertere, & in officio continere; nam, ùt bene argumentatur Innocentius III. *in c. venerabilem. de electione : Nunquid enim Ecclesia Advocato & Defensore carebit, eorúmq; culpa ipsi redundabit in pœnam?* Neque hoc in jure, aut praxi novum, ut, qui uno respectu liber, exemptúsque est, alio subjectus fiat : nam Matrimonium v.g. ùt contractus quidam in officium naturæ institutus, ad forum ecclesiasticum non spectat, pertinet tamen quâ ratione Sacramentum est; sic personæ Ecclesiasticæ omni jure humano, divinóque extra civilem jurisdictionem sunt : si tamen à Principe feudum aliquod habeant, hujus foro & judicio adstringuntur. *c. 6. de foro competenti.*

Idem homo si filius familias, & Præses Provinciæ sit, non potest ùt filius familias manumittere, potest ùt præses *L. si Consul. ff. de adopt.* Rex inservit Ecclesiæ, quatenus homo est, vivendo fideliter; quatenus autem Rex est, justas leges indicendo. *c. si Ecclesia. 23 q. 4.* Vide Abbat. *c. ex litteris. de probat. c. fin. de instit.* Estque communis sententia Juristarum, posse unum plurium vices sustinere, dummodò exercitium actûs non obstet exercitio alterius, quod latè probat Abbas *in c. ex litteris de probat. Sanchez. lib. 8. de matrimonio. disp. 3.* Sic ergo dominus temporalis ex eo capite, quòd DEI institutione magis principaliter est Ecclesiæ Advocatus, Defensor, & Minister, quàm Rex, (quia hoc ad illa ordinatur) poterit ab Ecclesia judicari, coercerique : enimverò non esse hoc meram & legalem speculationem, sed plùs nimio in praxi observari solitam doctrinam, ut qui uno respectu liber est, alio serviat, exempla satis docent, & quæ sequenti ratione dicemus, adhuc magis declarabunt.

VIII. *Ratio 8.* Sumitur ex comparatione temporalis, & Ecclesiasticæ dignitatis : hanc enim esse multò illâ majorem, est in confesso apud omnes, & jam dudum eleganter docuit Innocentius III. *in Decretali ad Constantinopolitanum Imperatorem c. sollicitè. de majoritate*

tate & obedientia. Ubi inter alia : *Prætereà nôsse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Cœli : luminare majus, ut præesset diei ; & luminare minus, ut præesset nocti : utrúmque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur Cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est : quæ verò carnalibus, minor, ut quanta sit inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Et S. Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem: *Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas : in quibus tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus in divino reddituri sunt examine rationem. Nôsti enim, Fili Clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate rerum, tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas salutis tuæ expetis, inq; sumendis cœlestibus sacramentis, eisq;, ùt competit, disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nôsti itaq; inter hæc, exitiorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. Et si cunctis generaliter Sacerdotibus rectè divina tractantibus fidelium convenit corda submitti ; quantò potiùs sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & divinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis pietas jugiter celebravit ?*

Hâc ergo suppositâ Ecclesiasticæ supra sæcularem potestatis prærogativâ & excellentiâ, argumentari sic licet : Ad minus tantum debemus Ecclesiasticæ potestati in sæcularia bona personásque concedere, quantum conceditur temporali potestati in bona & personas Ecclesiasticas : cur enim majori potestati & nobiliori minus concedamus? Videmus verò passim Principes temporales, in Gallia præsertim, indirectam potestatem in personas, & bona Ecclesiastica exercere, quæ tamen omni jure divino humanóque exempta esse omnes fatentur.

Leges & pœnas matrimoniis ponunt, quia contractus sunt, & ideò politicæ gubernationi, ùt dicunt, subjecta : Bonorum immobilium Ecclesiasticos incapaces jubent, quia id ad Reipublicæ bonum, nobilitatis augmentum, & ærarii compendium spectat : Tributis Ecclesiasticos onerant, quia membra Reipublicæ sunt, ejúsque necessitatibus sublevandis obstricti : In Galliis, prout videre est *in libro de ju-*

de juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ tomo 2. nec Concilia universalia, nec aliæ leges Pontificiæ promulgari possunt absque regia permissione, ne Respublica turbetur *fol. 253.* Episcopi Galliæ juramentum fidelitatis Regi præstant, quia pertinent ad status & Ordines Regni *fol. 312.* Eosdem Episcopos aliósque curam animarum exercentes variis edictis, & arrestis pœnalibus Reges coërcent, coguntque residere, & nisi faciant, fructibus privant *fol. 315.* Prohibentur Prælati, Abbates, Priores, Magistri in Theologia, & aliæ Ecclesiasticæ & sæculares personæ absque Regia concessione Regno egredi, ob gravia incommoda propterea Regno impendentia : & si regno excedant, omnia illorum temporalia bona aliis conferuntur *fol. 333. n. 6.* Immo proscribuntur *fol. 334. n. 7.* Aliisque omnibus pœnis, quæ à Rege infligi possunt *fol. 335.* Idque etiamsi Episcopi, & Archiepiscopi, &c. ad Concilium Generale à Pontifice vocentur *fol. 335. n. 8.* Non obtentâ Beneficiorum provisione à Curia Romana aliisque Ordinariis, Rex, & Parlamentũ providet, quæ provisio, & collatio tanti est, quanti esset Romana, Bullæque à Pontifice missæ : id enim Regni, publicæque quetis interest. *fol. 422.*

Bullæ Indulgentiarum sine Regia permissione promulgari in Gallia non possunt *fol. 690.*

Parlamentum, Judicésque & Magistratus Regii punire possunt concionatores, qui ad populum seditiosè declamant, eósque incarcerare *fol. 726.*

Nova Monasteria in Galliis ædificari non possunt sine Regio assensu, ne videlicet populi graventur *fol. 754.*

Potest Parlamentum de electionibus Superiorum, & delictis scandalo conjunctis, quæ in Monasteriis contigunt, cognoscere. *fol. 762.*

En exempla aliquot (nam infinita alia prætermimus, quæ in citato libro videri possunt) à Principibus sæcularibus in Ecclesiasticos indirectæ potestatis! quam tutò salvâque Religione, & conscientiâ exercere se posse credunt, quia Ecclesiasticos considerant non ùt tales, sed ùt membra Reipublicæ civilis, ùt in Regno natos subditósque, útque hujusmodi leges in Ecclesiasticos scriptæ, ad utilitatem, felicitatem, quietémque publicam pertinent. Si ergo, quantumvis Ecclesiasticæ personæ, eorúmque bona omni jure exempta sint, & extra sæcularem

curalem jurisdictionem ; quantumvis SS. Canones hanc immunitatem , & exceptionem sub gravissimis juris pœnis violare directè vel indirectè prohibeant. *c. quanto. de privilegiis. ubi Abbas & Glossa. Bulla Cœnæ, excommunicatione 15.* Quantumvis denique conditio, & status Ecclesiasticus sit longè perfectior, altior digniorque sæculari, & huic nullo modo subordinatus : hæc tamen omnia non obstant, quò minùs Principes sæculares Ecclesiasticum ordinem indirectè judicent, puniant, imperent, bonis privent, incapaces pronuntient, carceribus mandent, &c. Quæ omnia jure à se fieri dicunt, quòd nullam directè in illos exerceant potestatem, sed indirectè tantùm; quantò igitur magis id admittere debent, fieri posse à summo Pontifice omniúmque Ecclesiarum Antistite, quando Religionis, & fidei Catholicæ bonum hoc necessariò postulat, ubi & ipsa dignitatis prærogativa, & natura potestatis sæcularis, quæ Ecclesiasticæ subordinatur, & SS. Canones, & omnium sæculorum Exempla, & tot Concilia universalia, & ipsæ sacræ litteræ juxta interpretationem Canonicam, hoc ipsum fieri & permittunt & jubent ? ergo quòd SS. Canones vetant, hoc licet ? & quod jubent, non licet ? quod minori conceditur, majori non permittitur ? Temporalis & Regia potestas Ecclesiæ servit, tamen imperat, punit, leges dicit ; neque hoc usurpare aliena est, sed potiùs Reipublicæ providere. Ex adverso, Ecclesiastica & Pontificia potestas, quæ superior & Domina est, si ob publicam communémque necessitatem, cùm Religioni, cùm animabus pernicies imminet, temporalia disponat ; hoc est, si mediis & instrumentis utatur fini suo necessariis, id continuò dicitur in alienam messem involare, quietémque publicam offendere.

Dicendum est ergo, potestatem Ecclesiasticam, & ex comparatione ad potestatem sæcularem in temporalia extendi, quando ista necessaria sunt fini spirituali, hoc est, Religioni, concordiæ, cultui divino, & animabus, fideique conservandis proferendísque: & esse contra omnem naturam, rerúmque ordinem hoc sæculari concedere, & negare Ecclesiasticæ potestati, hoc est, Dominæ ancillam præferre.

IX. *Ratio 9.* Sumitur ex continuâ perpetuâque rerum omnium inductione, in quibus palàm est, esse aliquid majus nobiliúsque, quod minoribus & imperfectioribus dominetur. Sic Angelis datum est re-

est regium in omnes sensibilium rerum species dominium. S. Augustinus *lib. 83. quæst. 76.* Damascenus *lib 2. c. 4.* Origenes *Numerorum c. 20.*

Videmus ea, quæ magis lucent, magis etiam movere, perficere & agere in hæc inferiora, ùt inter planetes Solem, inter elementa ignem &c. Idem ergo dicendum erit de potestate Ecclesiastica illis concessa, quos Christus appellat *lucem mundi*: & Zacharias *stellas lucentes in perpetuas æternitates.*

Videmus gratiam non animam tantùm, sed etiam corpus perficere, idque virtutes morales temperantiæ & continentiæ ad virtutem & æternam felicitatem instruere, & si bonum Religionis exigat, morti & tormentis exponere.

Videmus jure & instinctu naturæ omnia sic esse instituta, ut sibi adversantia, & nocentia expellant, exarmentque; & conservando bono meliori & universaliori, imperfecta & particularia bona cum propria licet pernicie ac etiam interitu exponant: Sic manus ad tuendum caput accurrit, naturalique instinctu vulnus & dolorem in se recipit: aqua centrum egreditur, & contra impetum naturæ sursum attollitur, ut vacuum impediat universo inimicum, quia membra vitæ conservandæ deserviunt, si hujus interest, ex medici arbitrio amputantur: sic denique cum media & instrumenta omnia obtinendo fini accommodentur, prout huic conducunt, nocentque, ad nutum artificis aut amoventur, aut operi applicantur. Cùm ergo regna & bona temporalia omnia sint à Deo instituta, ut Religioni, animabus, æternæque felicitati deserviant: tenentur, qui iis præsunt, hoc facere, & ni faciant, sed potius incommodent, pertinebit ad Caput Præsidémque Ecclesiæ illos officii sui admonere, & etiam compellere; nisi velimus dicere, Deum Ecclesiæ suæ, cujus gratiâ creaturas omnes, séque ipsum impendit, minùs quàm rebus aliis, etiam minimis providisse, negatâ illi, quâ se tueretur, necessariâ potestate: aut contra providentiæ suæ ordinem tot sæculis obtentum, per miracula tantùm conservatam voluisse.

§. XVIII.

Solvuntur Objectiones.

Summaria.

1. *Regia potestas si à DEO immediatè sit, non ideò Pontificiæ subjectam non esse.*
2. *Dyscolis Principibus obediendum salvâ Religione.*
3. *Non turbari hâc potestate Rempublicam.*
4. *Quid ad extravag. meruit?*
5. *Potestas Regia Christo asserta.*
6. *Arma Sacerdotum non solas lacrymas esse.*
7. *An hæc potestas Reip. noxia?*
8. *Quæ Patrum Societatis de hac potestate in Galliis sententia?*

Multa sunt, quæ huic nostræ doctrinæ opponi possunt, nec mirum hoc, aut novum videri debet: eadem enim veritatis natura & lucis est, quam sine umbra vix reperies: ac in tanta studiorum & affectuum agitatione, etiam limpidissimum fontem turbati est necesse: singula non tam impugnabimus, quàm producemus, hoc ipso pretium amissura, quòd videantur.

I.

OPponitur 1. Imperatoriam potestatem immmediatè à DEO collatam esse *Nov. 6. init. & Nov. 73. §. 1.* Non ergo à Pontifice, ùt suprà dictum; & si à DEO collata, non ergo à Pontifice aut restringi potest, aut adimi, cùm inferior non possit in lege aut privilegio superioris dispensare.

R. Quidquid sit, Regia, & Imperatoria potestas auctoritate divinâ, an humanâ sint institutæ; illud certum videtur, à DEO non

non immediatè conferri: cùm enim ea sit merè temporalis, nec ad actum dirigatur, cujus Respublica non sit capax: immo hæc potestas penès communitatem aliquando fuerit, ab hac in Principem & potuit transferri, & de facto translata est. (a) Cùm ergo dicunt, Imperatores à DEO imperium accepisse: est hoc intelligendum, quòd ex speciali ejus Providentia & gratia, quæ Regibus maximè invigilat, imperio sint potiti: non verò, quod eorum potestas talis sit, ut ab alio quàm à DEO immediatè conferri non possit; qualem dicimus esse Pontificiam, quæ, sicut penès nullam communitatem esse potest, ita à DEO immediatè confertur, præcedente electione humanâ, non tanquam hujus potestatis causâ, sed tanquam conditione, sine qua DEUS illam non conferret. Sed demus, Regiam potestatem immediatè à DEO conferri, non tamen confertur à DEO sine debita, & innata subordinatione ad spiritualem potestatem, cui necessariò & ex sua natura, ùt medium fini, & instrumentum operi deservit: Cùm enim opera DEI sint ordinata, oportuit temporalia ad spiritualia referri, & istis subjacere, cùm propter se ipsa appeti non debeant: sicut etiam licet DEUS cœlum, æquè ac terram immediatè creaverit; voluit tamen terræ influxum à cœlesti pendere, nec aliter operari, quàm ex cæli præscripto.

II. *Opponitur 2. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt DEI, DEO. Matt. 22. Et, Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta sit, ad Rom. 13.* Et, *Obedite Regibus etiam dyscolis 1. Petri. 2.* Non potest ergo Pontifex Regibus Imperium abrogare, cùm illis subjaceat, ac etiam dyscoli Principes, qui subditos præter culpam vexant, ferendi sint.

℟. Hæc omnia verissima esse ordinariè & pro casu, de quo scripturæ loquuntur, ut nemo videl. privatus obtentu Reipublicæ malè administratæ possit in suos Principes insurgere: absurdissimum enim videtur, & plenum latrocinii, singulis privatorum aut ignorantiâ, aut odio, aut cupiditate correptis, arbitrium & jus in suum Principem committere; hoc enim, ùt diximus, remedium est extremis periculis reservatum, nec aliâ manu, quàm Pontificis Maximi applicandum; & de hoc casu textus citati nihil loquuntur, & ideò nihil probant, cùm non possint magis probare, quàm dicant; nec unquam diximus, aut dicere potuimus, Regem

(a) §. 6. Instit. de I.N.G. & C.M. 1. ff. de Constit. Princip. L. 1. §. 7. C. de V.I.E.

dyscolum ex qualibet, & privata causa, aut injuria delictóve posse imperio spoliari, cùm hoc plerúmque pejus sit, pluribúsque malis obnoxium, quàm illud privatum damnum; sed tantùm ex causa, damnóque publico, & ad totam Ecclesiam ac Religionem spectante: cujus proinde judicium & cognitio ad solum caput Ecclesiæ, & Religionis, hoc est, Vicarium Christi pertinere debet. (a)

III. *Opponitur 3.* Duas esse potestates, quibus mundus gubernatur, Ecclesiasticam & temporalem; utrámque à DEO institutam & concessam; temporalem Regibus, Ecclesiasticam Pontifici: nec istam posse ad temporalia extendi & commisceri: habet enim quælibet potentia suos terminos, extra quos non vagatur: oculus ad lucem & colores, non ad sonos & concentus: auris ad sonos, non ad colorem pertinet: sic nec potestas Ecclesiastica ad temporalia: alioquin una potestas aliam impediret; quantò enim plus curæ temporalibus impenduht Pontifices, tantò magis Ecclesiastica negligunt dicente Apostolo: *Nemo militans DEO, se immiscet negotiis temporalibus, &c.* Et hæc potestatum confusio nequit esse absque discordiis, principumque indignatione, & quod consequitur, sine damno Reipublicæ: nemo enim, Reges præsertim, alienam falcem in sua messe patiuntur, juxta illud Poëtæ:

Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Et Taciti *4. Annal. Arduum semper eodem loco & concordiam & potentiam esse.* Et *1. Annalium: Suspectum semper imperium ob certamina potentium & avaritiam magistratuum.* Et *1. histor Pacis interest omnem potestatem ad unum conferri.* Et propius ad propositum nostrum Nicolaus Papa I. *ad Michaelem Imperatorem in c. quoniã. dist. 10.*

R. Multa esse, quæ instar hellebori tardò usurpata, medicinæ sunt, lethalia futura, si crebrò; talis est potestas quæ SS. Pontificibus in Reges & Principes conceditur; hæc enim si ordinaria sit, noceret potius, quàm Ecclesiæ prodesset: & ideò locum non habet, nisi premente necessitate, cúmque Religionis bono; tunc enim temporalis potestas ex natura sua Ecclesiasticæ subjicitur, cùm temporalia sint propter spiritualia; & hoc ad pacem Reipublicæ, non dissidium pertinet, turbatâ siquidem Religione etiam Regna turban-

(a) Vide S. Thomam lib. 1. toto c. 6. de Regim. Princip.

turbantur, & ideò quidquid tuendæ Religioni, tuendis etiam imperiis servit : expeditque immensæ Regum potentiæ terminum aliquem figi, ut non excurrat, aràsque fidei transcendat; quod fieret, si extra omnem metum & judicem essent, cupiditate regnandi Religionem vincente. At principes offenduntur? Equidem optandum esse illos nunquam offendi, at si oporteat, necessitas absolvit, & causa Religionis: nam & medico secanti æger indignatur, sed sanicas vulnus excusat, & dolor beneficio adscribitur, nec aliud convincunt textus citati.

IV. *Opponitur 4.* Extravagantem *unam sanctam inter communes Bonifacii VIII. de Majoritate & obedientia*, ubi definitur, Pontificem utrumq; gladium tenere, per aliam extravagantem *meruit*; *inter communes de privilegiis* revocatam esse, saltem quoad Reges Galliæ.

Respond. Extravagantem *meruit* Regibus Galliæ nil adimere, nihil concedere; sed eos in eo statu relinquere, in quo erant ante constitutionem Bonifacii: cùm enim ex rationibus suprà adductis constet, potestatem regiam & temporalem Ecclesiasticæ semper subjectam fuisse, neque hoc ex Bonifacii constitutione, sed jure divino & naturali, nec voluit Clemens V. nec potuit illi derogare, qui de Bonifacio tantum VIII, noviisque obligationibus loquitur, & non de naturali & divina.

V. *Opponitur 5.* Papa est Vicarius Christi, non quidem ùt Dei, cùm divina potestas non sit Papæ communicata; sed ùt hominis & Ecclesiæ capitis: non ergo majorem habet potestatem, quàm ipse Christus, cujus Vicarius tantùm & servus est: sed Christus ùt homo nullam habuit in Regna & Principatus ac temporalia jurisdictionem, quod ipse testatus est *Ioannis 18. Regnum meum non est de hoc mundo.* & *Lucæ 12. O homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Quis ergo majorem Papæ, quàm Christo jurisdictionem tribuat? majoremque Vicario quàm Domino potestatem? cùm tamen sufficiat discipulo, si sit sicut Magister.

Resp. Constantem D. Thomæ Principis Theologorum sententiam esse, Christo Domino quà homini utramque dignitatem regiam videl. & sacerdotalem communicatam, quod expresse docet *lib. 1. de Regim. Princ. c. 12. & sequentib & p. 3. q. 59. a. 4.* dicit: *Manifestum esse Christo quà homini potestatem judiciariam ex Regia consequentem*

ad omnes res humanas, additque rationem argumento noſtro optimè accommodatum: *Cuicumque*, inquit, *committitur principale, committitur & acceſſorium, omnes autem res humanæ ordinantur in finem Beatitudinis, quæ eſt ſalus æterna, ad quam omnes homines admittuntur, vel etiam repelluntur judicio Chriſti, ùt patet Matth. 25.*

Et ipſa videtur expreſſa ſacræ ſcripturæ ſententia Matth. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Paulus ad Hebr, *Quem conſtituit hæredem univerſorum.* Apocalypſ. 1. *Princeps Regum terræ.* Apoc 6. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Quod quidem jus Regium fundari credimus in unione hypoſtatica: ſicut enim ferro communicatâ formâ ignis, communicantur etiam proprietates, adeò ut ferrum ignitum colorem, ardorem, lucémque induat ipſius ignis, verumque ſit dicere, non ignem ſolùm, ſ[illegible] etiam ferrum igni unitum ardere, lucere, &c. ita humanitas C[illegible]i unita ſemel formæ Dei, participat omnes divinas proprietates, quarum illa eſt capax, & conſequenter etiam ſupremum rerum temporalium dominium, regiamque auctoritatem, quam non voluit Chriſtus exercere, quia *venerat in forma ſervi*, & pœnitentiæ, humilitatis mundique contemptûs exemplum futurus, nec aliud verba ſacræ ſcripturæ ſanctorumque Patrum convincunt. Sed quidquid ſit de hac D. Thomæ ſententia, quam veriſſimam credimus, & ipſe S. Doctor manifeſtè veram appellat: Illud ſaltem negari non debet, Humanitati Chriſti collatum eſſe dominium rerum temporalium, quouſque illud Eccleſiæ gubernandæ conſummandæque Redemptioni neceſſarium erat, nam, ùt inquit D. Thomas *p.3.q.54.a.4. Cuicumque committitur Principale, committitur etiam acceſſorium.*

Et hoc ipſum dominium aliquoties Chriſtus, cùm expedire videbatur, exercuit, nam mulierem adulterii convictam contra legis præſcriptum abſolvit *Ioann 8.* Ficulneam, quæ in alterius bonis & patrimonio erat, arefecit. *Matthæi 21.* Dæmones in gregem porcorum, qui ad alios pertinebant, immiſit, & præcipites in aquas egit *Matth. 8.* Quâ poteſtate, niſi Regiâ & omnibus dominante? alioquin aliena uſurpâſſet. Sed dicit aliquis, cur ergo Chriſtus non Auguſtum, non Herodem Imperio exuit, alióſque, qui veram Religionem promoverent, throno impoſuit?

℟. Quia voluit Ecclesiam humilitate, patientiâ, fortitudine, rerum humanarum contemptu crescere, & miraculis tantùm divináque virtute, non bello aut viribus, quemadmodum Regna solent, propagari, ut videlicet tantò magis divina potentiâ eluceret, Ecclesiâ iisdem artibus, quibus opprimebatur, florente: útque sidei veritas esset omnibus indubitata, quæ per tot miranda, DEUM haberet testem, & sine armis, divitiis, sapientiâque humanâ omnes convicisset: sed semel Religione constituta, & fide omnibus persuasâ, voluit DEUS naturalibus etiam mediis Ecclesiam conservare, & cum illa desunt, nec priùs, miracula quæri: quemadmodum videmus, naturam quidem humanam immediatè à DEO productam esse, sed semel productam per naturales causas diffundi, quæ si cessent, aut homini producendo pares non sint, miraculis naturam suppleri.

VI. *Opponitur 6.* Arma Sacerdotum lachrymas & orationes, non exercitus & vim esse, út habetur in c. *conveni. 23.q.8. & hist.36. c.ult, c. porrò 16.q.3.*

℟. Ne lachrymis quidem summos Pontifices, Regnantem inprimis, peperciisse, & causam Ecclesiæ, quam olim sanguine, nunc etiam aquis tueri, in hoc quoque Petrum imitatos, cui lacrymas gallus expressit. Ceterùm ubi præter lacrymas precésque alia quoque remedia ad manus sunt, ea tutò adhiberi satis exempla SS. PP. & Apostolorum convincunt; inter quos Beatus Petrus repentinâ morte duos confecit, Paulus orbitate multavit, Elias igne succendit, &c. multáque alia: fac enim armis ab aliquo S. Pontificem invadi, an illi suis tantùm lacrymis, & non etiam alienis armis hostem reprimere licebit? quantò ergo magis si Ecclesiam aggrediantur, in qua non corporis tantùm, vel unius hominis, sed animarum, omniumque, qui in Ecclesia sunt, salus periclitatur? Quidquid ergo vitium & potestatis à DEO Pontifex Romanus accepit, id omne tutandæ Religioni impendere potest, inter hæc autem, ut diximus, est etiam potestas in Reges & Regna. Cur ergo Ambrosius aliique hâc potestate non sunt usi? quia vel non poterat, vel non decebat, vel non oportuit; horum aliquid si obstet, ne summus quidem Pontifex hunc ictum, qui ultimus esse debet, vibrabit, DEOque committet semper in extrema parato.

VII. *Op-*

VII. *Opponitur 7.* Ex hac in Principes, eorumque ditiones exercita à SS. Pontificibus potestate, multa incommoda & mala evenisse. Censuræ & Anathemata in Henricum VII. Angliæ Regem vibrata, quid aliud evicêre, quam ut jugum excuteret, Ecclesiam vastaret, proscriptâ toto Regno Religione ? iisdem Elisabetha Regina Angliæ in furorem acta, sæviùs quàm antè in Catholicos grassata, nec priùs desiit, quàm Regio Stuartæ sanguine secures imbueret, specioso titulo, crudelitate velatâ, quòd diceret, Catholicos seditionem in Reginam & Regnum moliri ? & denique nunquam sæpiùs cædes, intestina bella, Procerum discordiæ, parricidia in Gallis observata, quam Henrico IV. Navarræ Rege à summis Pontificibus diris percusso, Regnoque alienis exposito; non ergo potestas, quam Papæ concedimus, Ecclesiæ bonum, sed perniciem magis & excidium spectat. V. Trithem. *in Chron Hirsaug.*

Resp. Exercitium potestatis, quam Pontifices Romani in Reges & Regna acceperunt, ad remedia extrema pertinere aliis consumptis, ultimisque morbis adhibenda, & instar hellebori esse; de quo *Cass. collat. 17. c. 17. Quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, sit salubre, ceterùm absque summi discriminis necessitate perceptum præsentis exitu est*; sicut ergo justum bellum nemo non admittit, quantumvis innumera sint mala, quæ ex bellis proveniunt; sed majora provenirent sublato bello, datâque injuriis licentiâ; sic in casu, de quo agimus; & ipsa quæ in contrarium afferuntur, satis ostendunt: illæ enim calamitates, quæ Henrico diris percusso Galliam affligebant, Regem tandem ad Catholicam Religionem impulerunt, nunquam aliàs Regno potiturum; sic à discordiis & bellis cessatum. Elisabetha Angliæ Regina quantum abfuit, ut Regno excideret, armatâ in illam potentissimâ classe? Quod verò sapienter agitata potentior fortuna discusserit, non hic error potestatis Pontificiæ, sed eventûs fuit, ex quo nemo prudens sapientiam & consilium metitur.

Henricum VIII. quod attinet, sunt, qui velint, præcipitatum remedium esse plagâ necdum ferrum patiente: sunt, qui excusent. Demus peccatum esse, quid tandem sequitur? si potestatem hanc Pontifici abroges, quia aliqui aut incircumspectè, aut ex impetu potiùs, quàm ratione & consilio sunt usi: oportebit

eodem

eodem modo omnes humanas artes hominúmque conditiones, matrimonia, magistratus, mercaturas, immo Regiam ipsam potestatem è medio tolli, in quibus longè pluries peccatum est, quàm in illa, quam defendimus, auctoritate: stultus sit agricola, qui segetem incendit lolio & zizaniis mixtam. Percurre, quæ suprà ex historiis produximus, videbis summos Pontifices hâc in Reges potestate feliciter usos esse, magnóque Ecclesiæ bono, quòd verò malè cesserit aliquando, hic est communis rerum morbus & conditio, non semper eodem secundóque vento navigantium. Illud verissimum est, hujusmodi pœnas, interdicta, excommunicationes, depositiones, &c. cum summa circumspectione rarissimo casu, nec citra necessitatem, explicandas esse, & chymicæ tincturæ modo, guttatim, aliisque remediis frustra consumptis porrigendas, quod à Patribus Tridentinis prudenter omnino observatum, præmonitúmque est, *Sess. 25. de Reform. c. 3.* ubi: *Quamvis*, inquiunt, *excommunicationis gladius nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen magnâque circumspectione exerendus est, cùm experientia doceat, si temerè, aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem.*

VIII. *Objicitur 8.* Patres Societatis in Gallia contrariam sententiam tenere teste Gramondo *l. 15. ad annum MDCXXVI.* Cùm enim Santarelli è S. J. liber quidam in lucem emersisset sub titulo: *Tractatus de hæresi, Schismate, Apostasia, & de potestate Pontificis in his delictis puniendis, &c.* In quo libro multa in Reges Pontifici tribuebantur, & specialiter, quòd in Reges hæreticos etiam pœnis temporalibus posset animadvertere, cósque, nisi errorem deponerent, regno pellere; P. Coto Provincialis, Rector Collegii Claremontani, præcipuíque è Societate Theologi in jus vocati, palàm coram Senatu professi sunt, Santarelli librum à se improbari, & contrariam illi sententiam omnino teneri.

℟. Santarelli librum multa complexum esse, ob quæ non societati tantùm, sed multis aliis, & meritò displicuit: vult enim, Reges *ob insufficientiam, minorem regendi habilitatem, & ob quodcunq; peccatum, seu iniquitatem, si non corrigãt, regno moveri posse, immo etiam mortis pœnâ multari.* Quæ quàm sint absurda, & populos in Principes suos aut arment, aut obsequio exuant, nemo non videt, & eo præsertim

tempore Gallicos offenderant, cùm recentem adhuc Henrici M. sanguinem præ oculis habebant à sicario impiè confossi. Meritò igitur Santarelli libr um damnârunt: sed cùm in Senatu pressiùs urgerentur, mentem suam de Pontificia in Reges potestate, ut ederent; cautè semper tergiversati sunt, seque in omnem partem versârunt, responsis, aut ambiguè datis, aut aliò flexis, aut in Santarellum detortis, aut petitis denique induciis; ne videlicet, si ad interrogata animis apertè responderent, aut judicem offenderent, aut veritatem. Sed ut rem totam memoratu quippe dignam, ùt fuit, intelligas, en illam tibi ex Gramondi commentariis totidem verbis. *Exin dicta dies Provinciali, Collegii Claromontani Rectori, & præcipuis è Societate Theologis: sistuntur in judicio, interrogantur, respondent.*

Senatus. *Probatúrne vobis Santarelli pernicios us liber editus in hunc titulum, Tractatus de hæresi, schismate, &c.*

P. Coto pro se & sociis præsentibus; *Improbatur, supprimitur, impugnabitur contrariâ mox doctrinâ, quam paramus dare in publicum.*

Senatus. *Quare improbatis doctrinam, quam Societatis vestræ Generalis Romæ approbat?*

P. Coto. *Non negamus Romæ à nostris approbatam; sed quare nobis imputabitur error Transalpinus, cui nemo nostrâm subscribit in Gallia?*

Senatus. *Annon in ditione sua Regi Galliæ jus omne in subditos est?*

P. Coto. *Jus omne est quoad temporalia.*

Senatus. *Creditísne vos summo Pontifici jus esse in Reges, adeò ut per Excommunicationem sacris ipsos interdicere possit, subditos Sacramento fidelitatis absolvere, Regnum in prædam dare?*

P. Coto. *Absit verbo invidia! excommunicari Christianissimum Regem? absit omen! quis credat primogenitum Ecclesiæ futurum aliquando Matris hostem, quam protegit? quis excommunicandum, qui continuò pugnat hæresi in Regno suo extirpandæ?*

Senatus. *Ergo diversa vobis à Præposito Societatis vestræ Generali sententia?*

P. Coto. *Qui Romæ degit Præpositus noster Generalis, vix est, ut improbare possit, quod Roma probat.*

Senatus. *Illi sua opinio esto, vestra quænam est?*

P. Coto. *Planè illi contraria.*

Senatus. *Quid si essetis Romæ?*

P. Co-

P. Coto. *Mutaretur nobis cum cœlo animus, sentiremus ùt Romæ.*

Senatus. *Præcisè (amabo) procúlque ambagibus, & subterfugio: quid censet Societas vestra (ùt universa est) de Romanæ Sedis in Reges potestate?*

Ad hæc P. Cotto *Communicandi cum sociis facultatem petit. Datur facultas, communicant, paullóq; pòst redeunt in hæc verba.* P. Coto. *Nobis cum Sarbona & Gallia Clero erit assensus in idem doctrinæ univocus.*

Senatus. *Explicate apertiùs mentem vestram, quænam est hæc Sorbona, quam probatis.*

P. Coto *Si tempus exiguum conceditis nobis, dabimus ex scripto sententiam, in quam vix est modò, ut conveniamus per angustiã temporis.*

Postquam triduo deliberaverant, præcipui è Societate ad Regem missi, palàm abdicant Santarelli doctrinam publico instrumento in hæc verba concepto.

Nos subsignati declaramus Santarellum perperàm de Regibus & eorum auctoritate scripsisse, quam diffitemur doctrinam; agnoscimus & profitemur Regum immediatam esse à Deo potestatem, independensq; ipsis jus esse in subditos; cui sententiæ, ùt veræ, nostro omnium sanguine subscribitur si opus, non secus ac censuris, si quæ à Clero Gallicano aut Sorbona in ejusmodi libros edentur. Promittimus insuper futuram nobis post hac unam, & eandem super ea quæstione cum Sorbona, Clero, & Regni Gallici Academiis sententiam. Actum Lutetiæ. 16. Martii. Anno MDCXXVI.

Non multò pòst P. Coto in Provincia Parisiensi Provincialis, tœdio interrogatoriæ actionis, quâ præcipui è societate extra ordinem pulsati fuerunt, morbo corripitur, fatíque legem implet. Hactenus loco citato Gramondus.

§. XIX.

Summarium unicum.

Quando, quibúsque ex causis in particulari possit S. Pontifex potestatem in Magistratus & Principes seculares exercere?

ELegantem de hac re textum habemus in Decretali ab Innocentio III. data *c. per venerabilem 13. qui filii sint legitimi.* Ubi summus Pontifex inter alia sic loquitur: *Non solùm in Ecclesiæ Patrimonio, verùm etiam in aliis regionibus certis causis inspectis temporalem jurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, sed quia, &c.*

Si verò quæras, quinam ergo sint casus in particulari, in quibus S. Pontifex *casualiter*, ùt habet textus, hoc est, indirectè, & potestate extraordinariâ tantùm possit jurisdictionem in materia, alioquin sæcularibus Principibus subjecta exercere.

Resp. Varios in jure Canonico describi: 1. Deficiente Magistratu & judice sæculari, qui justitiam administret. *c. licet ex suscepto. 10. de foro comp.* 2. Cùm judex sæcularis officio suo ritè, & secundùm jura non fungitur, tunc enim Pontifici Romano incumbit curare, ne innocentes & justitia succumbant, *citato c. licet ex suscepto.* 3. Si per viam denuntiationis Evangelicæ ad Ecclesiam causa deferatur, tanquam ad commune asylum. *c. novit. de judic.* 4. Si Magistratus sæcularis leges ferat contra jus divinum aut Naturale, aut Ecclesiæ noxias, pertinet ad potestatem Pontificiam eas corrigere, & contrariis legibus abrogare, quâ ratione videmus leges civiles quàm plurimas à SS. Pontificibus mutatas, correctásque, v. g. Jure civili permittitur matrimonium inter fratrum, aut Sororum liberos. *Instit. de Nupt.* Sed prohibetur *in c. non debet. de consang.* Lege civili, quæ secundò nubunt, variis pœnis afficiuntur *L. 1. Cod. de 2. nupt.* Sed jus Canonicum pœnas, quæ in odium repetiti matrimonii sunt latæ, tollit *c. cum secundum. de secundis nuptiis.* Jure civili multas ob causas repudia sustinentur. *L. consensu Cod. de repud.* Sed jure Canonico prohibentur *c. sunt qui 27. q. 2. & c. lege dist. 10.* Jus civile concubinatum admittit *Cod. de concub.* non admittit jus Canonicum *c. nemo blandiatur sibi. c. meretrices. 32. q. 4.* Jure civili natis ex incæstu aliové damnato congressu alimenta non debentur, debentur jure Canonico. *c. cùm haberet. de eo qui duxit in matrim.* De jure civili possessor malæ fidei longo tempore præscribit. *L. cũ notissimi. C. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum.* Non præscribit jure Canonico *c. ultimo de præscriptionibus.* Testamentum de jure civili non valet nisi præsentibus 7. testibus, sed jus Canonicum hanc legem damnat expurgitque

c. cum

c. cùm esses. c. relatum de testamentis. Denique lex civilis maleficos, qui venenis, malisque artibus Reipublicæ nocent, punit quidem, sed qui imbres, ventos, grandines incantationibus abigunt, non tantùm non punit, sed præmio donat. *L. eorum 4. Cod. de malef.* Quæ omnia sacris Canonibus damnata sunt, & videri possunt quàm plurimi textus *causa 26. q. 2.* & S. Thomas *2. 2. q. 96.* & *Novella Leonis 65.* Sunt tamen qui velint *in L. eorum. 4. cit.* non approbari magicas incantationes, sed sacras agrorum lustrationes, quæ per publicas preces & supplicationes ac sanctorum suffragia fieri solebant, juxta Novellam *123. c. 32.* 5. Princeps sæcularis jure naturali, & spectato genere suæ potestatis potest subditis suis impedimenta matrimonii dirimentia statuere, ex qua enim parte matrimonium est contractus, subjacet potestati & legibus civilibus, & quantumvis elevatum fuerit ad numerum Sacramentorum, non ideò tamen amisit naturam contractûs, & subordinationem ad potestatem civilem; sicut enim matrimonium ùt contractus admittit nova impedimenta à Magistratu Ecclesiastico, quale est impedimentum Clandestinitatis, non obstante ratione Sacramenti, quod immutabile est; ita etiam à Magistratu civili, & expressè docet S. Thomas *4. contra Gentes c. 78.* Sanchez. *lib. 7. de matrim. disp. 3. n. 2.* Nihilominus tamen Ecclesia hujus potestatis usum Principibus sæcularibus interdixit, sibíque reservavit, sicut patet *ex c. tuam. de ord. cognat. c. 1. de sponsalib. c. Euphemium. 2. q. 3. c. multorum 35. q. 6.* & novissimè Trid. *sess. 24. de matrim. cap. 3. 4.* & *Can. 12.* Et potuisse quoad hoc Ecclesiam coercere potestatem temporalem, eámque moderari propter bonum spirituale, & gravia incommoda, quæ alioqui sequebantur, expressè agnoscunt duo celeberrimi & sanctissimi in Gallia Doctores videlicet D. Thomas & S. Bonaventura. An verò consuetudine nova possint impedimenta induci, an antiqua abrogari? Vide Sanchet *lib. 7. disp. 4. de matrim.*

§. XX.

Quam censuram mereatur prima Conventus Parisiensis propositio.

Summaria.

1. *Censura S. Gregorii VII.*
2. *Bonifacii VIII.*
3. *S. Thomæ & S. Antonini.*
4. *Nicolai Sanderi.*
5. *S. Bernardi.*
6. *Cæsaris Cardinalis Baronii.*
7. *Cardinalis Peronii, & totius Cleri Gallicani.*
8. *B. Augustini Triumphi.*
9. *Francisci Suarezii & Gregorii de Valentia.*
10. *Ex præmissis conficitur, Parisiensem propositionem ne ut probabilem quidem sustineri posse.*
11. *Respondetur ad objecta.*

Nostrum equidem non est aliorum opiniones in jus & forum vocare, illisque pœnas & exilium dicere, aut censuras notámque dictare: hoc enim ad supremum Ecclesiæ Magistrum pertinere cognoscimus: Nostrarum ergo partium erit, quæ de hac propositione alii censuerint, in medium proferre, & à prima Sede ultimum judicium expectare.

I.

SAnctus Gregorius VII. *lib. 4. Registri epist. 2.* sic loquitur: *Considerent, cur Zacharias Papa Regem Francorum deposuit, & omnes Francigenas à juramenti vinculo absolvit? sed fortè volunt, quod quando Deus Ecclesiam suam beato Petro commisit, Reges excipit: cur non attendunt, vel potiùs erubescendo confitentur, quia Deus, ubi B. Petro potestatem ligandi dedit, nullum*

lum excepit, nihil ab ejus potestate subtraxit, & qui hoc imprudenter negat, se à Christo omnino sequestrat, &c.

II. Bonifacius VIII. *in Extravagante unam sanctam. de Major. & obed.* postquam dixisset *Beato Petro utrumque gladium commissum esse, temporalem videlicet & spiritualem; temporalem auctoritatem spirituali subjectam esse, eámque divino ore à Christo Domino per illa verba Petro ejúsque Successoribus commissam: quodcúnque ligaveris, &c.* Subjungit: *Quicúnq; huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit: porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, & definimus.*

III. S. Thomas *opusc. 20. de Regimine Princ. lib 3 c. 19. dicit* sententiam, quam defendimus esse *Manifestè veram: & cap. 10. ejusdem lib. Si plenitudo potestatis*, inquit, *S. Pontificis dicatur referri ad solam spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale & temporale ex spirituali & perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ est.* S. Antoninus *3. p. Summæ Tit. 22 §. 17. c. 5. Qui dicunt Papam in toto orbe terrarum, Dominium habere super spiritualia tantùm, non autem super temporalia, similes sunt consiliariis Regis Syriæ, & adulatione pestiferâ seducunt Reges, &c. Et Christiani Principes bellantes contra Ecclesiam vel persequentes Papam, exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, &c.*

IV. Nicolaus Sanderus *in lib. de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 2. c. 4.* Cùm ostendisset toto hoc capite, in certis casibus Reges & Imperatores ab Ecclesia coërceri, deponíque posse; *Non video*, inquit, *quin communem sensum in rebus DEI judicandis perdiderit, si quis contendat spiritualem Ecclesiæ potestatem terrenæ Regum potestati non præesse; nam si neutra præsit alteri, quomodo in una Ecclesia manent unitæ? aut quomodo uniuntur, si adhuc ita distinctæ manent, ut neutra possit alteri imperare? aut quis unquam in uno corpore animalis duo prorsus distincta membra, in eodem loco & honore disposita vidit?*

V. S. Bernardus *lib. 1. de considerat. c. 6. Mihi tamen non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat Apostolis, vel Apostolicis viris judicare de talibus, quibus datum est de majoribus, &c.*

Deniq; ubi necessitas postulat, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus: si enim in vobis judicabitur hic mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis?

VI. Cæsar Cardinalis Baronius *tomo 9. Annal.* quem Henrico magno

magno Galliæ & Navarræ Regi dedicavit, vir summâ doctrinâ, pietate, moderatione *ad annum 800. n 14.* loquens de translatione Imperii in Carolum magnum à Leone III. facta. *Quod autem*, inquit, *ex convenientia, utilitate exigente, & necessitate poscente, factum diximus, id ipsum ex insita Romano Pontifici concessa divinitùs auctoritate fuisse impletum pariter affirmamus. Neget si quis ista, planè impius & infidelis, ac rerum Ecclesiasticarum planè rudis esse convincitur.*

VII. Cardinalis Peronius *apud Gramondum lib. 1. anno 1615.* ore totius Cleri Gallicani, ùt idem testatur Gramondus, propositionem, quam impugnamus, dicit esse novam, *Luthero & Calvino fautoribus natam, cui veterum subscripsit nemo, recentiorum pauci, errorem esse, qui Henrico Angliæ Regi via in hæresin fuerit &c.*

VIII. B. Augustinus Triumphus Anconitanus *in proœmio libri de potestate Eccleſiast. Error est*, inquit, *pertinaci mente credere, Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem, supra spiritualia & temporalia universalem non habere primatum.*

IX. Franciscus Suarez *de legibus l. 3. c. 6. n. 3. Nihilominus sententia est, summum Pontificem non habere directam potestatem temporalem in universum Orbem: ut etiam hæc sententia verè & catholicè intelligatur, advertendum est, aliud esse, omnem potestatem, etiam supremam in illo ordine (temporali) esse subjectam potestati S. Pontif. aliud verò, quòd summus Pontif. habeat directam potestatem temporalem distinctam à spirituali, per quam per se directè possit civiliter gubernare totam Ecclesiam: nam illud primum verum & certum est, non tamen propter temporalem potestatem Petri, sed propter spiritualem, & cui temporalis in ordine ad finem illius subjicitur.* Idem Suar. *d. fide d. 20. sect. 3. n. 21. Dico potestatem puniendi hæreticos etiam temporalibus pœnis, jure divino esse in Pastoribus Ecclesiæ, præsertim Romano P. & contraria sententia est erronea, & defensores ejus ad minimum esse suspectos de hæresi.* Et ne fortè aliquis putet, Suarezium loqui de potestate in hæreticos, exceptis tamen Regibus & Principibus, *n. 26.* hos ipsos expressè comprehendit, & subdit: *Est ergo hæc potestas in Ecclesiam omnino universalis quoad omnes personas, & ab ipso Christo immediatè tributa.* Gregorius de Valentia *Tom. 3. d. 1. q. 12. p. 2. concl. 2. De hac nostra sententia dubium est nullum apud verè Orthodoxos.*

X. Nos à Censuris calamum abstinemus, quorum est veritate contentos judicium expectare, non prævenire. Tantùm ergo illud dicimus, propositionem contrariam, Theologicè loquendo, hoc est,

hoc est, veritate, ratione, sacris litteris, SS. Canonibus concilijsq; spectatis, ne quidem ut probabilem sustineri posse. De politica enim probabilitate, quam Clerus Gallicanus apud Gramondum passus est huic sententiæ prætexi, non est, ut curemus; cùm neque nobis Politicos agere, nec Episcopis, qui Parisiensi Conventui præsederunt, animus fuerit: conscientiæ nim. & veritati, non aulæ & favoribus scribimus.

Ergo nullam illi propositioni probabilitatem adesse, ex jam dictis apertè constat: si enim verum est, quod scribit B. Gregorius VII. *à Christo sequestrari, qui Pontifici hanc potestatem negant*; ergo nulla est probabilitas huic sententiæ, alioquin à Christo æquè non sequestraret, ac aliæ opiniones probabiles. Innoc. III. *in c. novit. de Judiciis* dicit hanc nostram sententiam esse *indubitatam & certam*: ergo huic opposita desinit esse probabilis, alioquin hujus probabilitas alteri certitudinem adimeret: quod enim certo opponitur, non est probabile.

S. Thomas *opusc. 20. de Regim. Princip.* dicit: sententiam, quæ hanc summam & indirectam potestatem Pontifici asserit, *esse manifestè veram*: oportet ergo eam quo negat, non esse probabilem: quemadmodùm v. g. *Si* hæc propositio: *Nix est alba*: est manifestè vera, ejus contradictoria: *Nix non est alba*: non est probabilis. Idem S. Doctor *loco cit.* scribit, *fieri non posse*, ut auctoritas, & Potestas Pontificia *ad sola spiritualia referatur, & non ad temporalia*: Si ergo ex mente D. Thomæ hæc propositio: *Potestas Pontificia ad sola spiritualia, non verò ad temporalia refertur*, esse vera non potest; ergo nec est probabilis: quod enim est probabile, id verum esse potest: quemadmodum hæc propositio: *Imperator Romanus Turcas debellavit*; quia est probabilis, ideò vera esse potest: hæc verò: *Titius digito cœlum tanget*: esse vera non potest, & ideò nec est probabilis.

Omittimus alia ex allegatis D D. quia per se clara.

Et omnino si naturam, & effectus probabilitatis examines, apparebit continuò opinionem, quam impugnamus, frustra niti, ut probabilis evadat, & hoc saltem colore oculis eorum placeat, qui probabilium opinionum amicos se profitentur.

Opinio enim probabilis est, quæ in nullam apertam, & manifestam legem impingit; cùm enim omnis lex sit regula & mensura

honestæ actionis, quidquid legi repugnat, est apertè & manifestè malum, ac illicitum, & consequenter nullam habet honesti rationem aut probabilitatem: quemadmodum enim, quia linea aut regula est recti mensura, & ideò quod à linea secedit, rectum non est, sed necessariò curvum; ita quidquid à certa & manifesta lege declinat, necessariò est malum, & nullam probabilitatis speciem obtinet: Propositio autem, quam impugnamus, repugnat sacris litteris juxta legitimam explicationem SS. Patrum, ùt ostendimus; sacrisque Canonibus & Conciliis, & praxi etiam sanctissimorum hominum, quæ omnes sunt regulæ veritatis & honestatis. Et præsertim urgent textus Conciliorum universalium, Lateranensis, Constantiensis, Viennensis, & Lugdunensis, in quibus, & nominatim in Lugdunensi, ùt habetur *c. 2. de sentent. & de re judic. in 6.* re maturè, & conciliariter discussâ, auctoritate Apostolicâ, sententia depositionis in Imperatorem pronunciata est, solutique omni juramento subditi: & quamvis non verbis, & in actu signato hanc sententiam Concilia definiverint, id tamen ipso facto & in actu exercito deciderunt, quando adhibitâ omni consultatione, solemnitate, & auctoritate, quæ definitionibus adhiberi solent, allatisque etiam auctoritatibus sacræ scripturæ sententiam in Reges dixerunt; sunt enim paria, facto, vel verbo aliquid definire. *L. non tantùm 5 ff. rem ratam haberi. L de quibus causis. ff. de legib.* immo plus est facto, quàm verbis consensum exprimere, *per Legem. si tamen 48. ff. de Ædilit. Ed.* §. 3, & argum. *c. 1. de Apellat.*

XI. *Nec obstat* 1. Si quis dicat: & Concilium & Papam in iis, quæ sunt facti errare posse: in textibus verò Canonicis suprà allegatis, quæstionem tantùm facti agitatam esse, an videl. Principes, de quibus illic agebatur, ea fecissent, ob quæ imperio abdicari possent.

R. Sententias in Conciliis contra Imperatores dictas, & jus & factum complexas esse: factum quidem, quia Regibus imperium abrogabant ob delicta ab iis commissa: jus verò, quia sententia in Principes dicta, iisque auctoritate exutis, subditisque juramento liberatis, hoc ipso Concilia, implicitè quidem, sed tamen necessariò supponebant, auctoritatem & potestatem id faciendi penès Ecclesiam esse: sicut, v.g. qui dicit: *Petrus currit*: hoc ipso & neces-

necessariò, sed implicitè dicit: *Petrum currere posse*: definitâ enim unâ propositione, definitæ etiam censentur, quæ cum illa necessariò connexæ sunt: quid enim magis à vera, rectáque ratione alienum dici posset, quàm Ecclesiam, cùm definivit Spiritum S. á Filio procedere, non etiam definivisse Spiritum S. posse à Filio procedere: vel quod idem est: in Filio potentiam spirativam esse, per quam possit Spiritus S. ab eo procedere? Ergo hoc ipso quod Innoc. IV. in Concilio Lugdunensi declaravit, Henricum Imperatorem auctoritate Apostolicâ imperio privatum, ejusque subditos omni juramento solutos esse, declaravit etiam, esse penès Apostolicam sedem auctoritatem, potestatémque eum imperio privandi, ejúsq; subditos juramento absolvendi, quo prius tenebantur; quæ Declaratio ad jus, non ad factum pertinet; Immo in Concilio Lateranensi 4. sub Innoc. III. *c. de hæret.* & Concilio Constant. expressè dicitur: *Principes si hæresis convincantur, regno & sacris interdici posse*, quæ definitio, ùt patet, est meri juris, & abstrahit à facto exercito, in quo tantùm error contingit. Deinde advertunt Theologi, Concilia & Pontifices etiam in facto errare non posse, quando factum est evidens conciliariter, omnique adhibitâ diligentiâ examinatum, testimonio publico nixum, & cujus error Ecclesiam in perniciem adduceret; tunc enim locum habet illa Christi promissio Joann. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: & ita communiter tenent, docentque Theologi, Pontificem & Ecclesiam in Canonizatione Sanctorum, in proponenda hac vel illa scriptura Canonica, & in hac vel illa traditione Apostolica explicanda, errare non posse, quæ omnia, ùt patet, dependent ex facto & testimonio hominum ex se fallibili, nisi Providentia divina Ecclesiæ suæ caveat.

Non obstat 2. Summos Pontifices & Concilia, cùm Principibus Regnum abrogârunt, secutos fuisse sententiam probabilem, quæ habet, eos hoc posse; non ergo sequitur, hanc sententiam esse certam, sed tantùm probabilem, & fuisse à Conciliis ùt talem suppositam.

3. Nihil posse tam Augusto Reipubl. Christianæ Senatu, & cui ipse Spiritus Sanctus præsidet, indigniùs dici, quàm voluisse illum in re tanti momenti, in qua non de Imperiis tantùm &

coronis, sed de tot bellis, schismatibus, animarum Ecclesiæque periculis agebatur, (quæ omnia ex illis in Reges sententiis & abdicationibus, plerumque nascebantur:) ad miserum illum opinandi præsidium confugere, quo in scholis nihil incertius, tantásque in Ecclesiam, mores legesque omnes corruptelas induxit, ut sæpe interdicta, execrationesque Rom. Pontificis provocaverit, nullamque ferè humanam, divinamque legem reliquerit, non aliquo abusu fœdè corruptam; & utinam fallat augurium? huic opinandi licentiæ nisi remedio aliquo Ecclesia occurat, vix credimus alio malo elapsis retrò sæculis graviùs afflictam esse, cujus tam tot indicia & prognostica experimur, omni in commerciis, fœderibus, juramentis, judiciis, præceptisque sublatâ sinceritate, idque opinionum probabilium præsidio, quibus tot æquivocationum, restrictionum, tergiversationum ludibria debemus; in hoc unum laborante ingenio, ut via voluptatibus pateat, & virtutes lgesque honesto exilio proscribantur. Absit ergo, ut dicamus, Ecclesiam totam, & Concilia universalia in re tanta, summique momenti, suæ auctoritatis incertam, Regibus & Imperiis litem movisse: nec enim Regna & coronæ opinionibus dari possunt, adimique, sed certo jure, certâque ratione: quis enim coronæ, sceptrique securus, & sine metu viveret, si opinionum ventis paterent, nunquam Papæ, aliisve Principibus probabili, eorumque judicio magis etiam probabili ratione defuturâ, quâ Regnum alterius invadant? & ideo docet Vasq. *in* 1-2. *tomo* 1. *d.* 64. nullum Principem, etiam supremum, in Controversia tantùm probabili, aut etiam probabiliori posse sententiam ferre, eamque armis, & bello prosequi, nisi jus evidens habeat, & contrarium dicit nihil probabilitatis habere, nec in parvam Reipublicæ Christianæ perniciem & detrimentum cedere: quod maximè verum est, cùm alteri Princeps, cui bellum infertur, & de quo spoliando agitur, in certa securaque possessione Regni sui est: negatque ex eodem capite posse justum bellum utrinque dari, nisi per accidens & causâ ignorantiæ invincibilis; & idem, in casu, quo alter possidet, docet & supponit Laym. *de Conscientia* §. 3. *n.* 25. tamquam certùm, & ratio est, quia legitima possessio operatur præsumptionem juris & de jure pro Possidente. *Instit. de interd.* §. *retinendæ* 4.

contra

contra quam Præsumptionem ex communi omnium Doctorum non admittitur ulla probatio, nisi tantùm ex evidentibus: & cùm jus possessionis pro possidente sit certum, jus verò ex magis probabilibus sit adhuc incertum: (cùm omnis probabilitas sit opinativa & involvens formidinem, & consequenter dubium:) & naturali & humano juri consonum est: jus certum incerto prævalere, maximè in materia Justitiæ *L. Divus ff. in integr. Restit. c. transmissæ 3. qui filii sint legitimi. V. Molin. Tomo 1 tr. 1. d. 163. Vasq. 1. 2. d. 66. c. 7. Sanch. l. 1. moral. c. 10. n. 9. Laym. l. 1. c. 5. n. 42.*

Eodem pacto legibus statutum est, neminem ex solis probabilibus damnari posse, sed plenè & manifestè convictum, idque præsertim in causis gravibus & valdè arduis, in quibus probabilia non sufficiunt, sed requiruntur apertissima, indubitata, & luce meridianâ clariora argumenta, ùt dicitur *L. ult. C. de probat.* Quæ omnia eò tendunt, ut ostendamus, non potuisse Pontifices, & Concilia universalia ad Reges Imperio exturbandos, solvendosque juramento & obedientia subditos procedere, nisi potestatis suæ certos, non tantùm probabili aliqua opinione ductos; ex quocunque enim capite jus deponendi Reges evadat dubium, & incertum, ex eodem sententia in Reges lata injusta fuerit, (quod nefas est de Conciliis illis universalibus vel cogitare:) maximè si defectus ex parte potentiæ & auctoritatis contingat, qui reddit sententiam omnino nullam usurpatámque; quamvis enim probabilis Doctorum opinio tribuat jurisdictionem, teste Less. *l. 2. de J. & J. c. 29. n 68.* id fallit cùm agitur de gravissimo alterius præjudicio, ut idem *l. 2. c. c. 31. n. 10. & c. 41. n. 76. circa f.* Sanchez multique alii apud ipsum *in Decalog. l. 6. c. 3. n. 23 & 24.* docent. Jus imperandi & debitum obsequendi correlativa sunt: si ergo in Ecclesia jus imperandi, & auctoritas exauctorandi probilis tantùm est; æque debitum obsequendi, parendique probabile & incertum erit: ut ergo poterant Pontifices & Concilia probabiliter Regibus imperare, ut Regno excederent; poterant Principes subditique imperata non facere, irrito, vanóque Ecclesiæ impetu, perinde ac si aliquem carceri includas, dato apertoque à tergo ostio, ut evadat: quis credat Deum Ecclesiæ suæ non meliùs providisse? aut illam potuisse excommunicationibus, censurisque, quæ peccatum mortale sup-

le supponunt, & aliis pœnis Reges ac subditos ad id compellere, quod illi probabiliter, hoc est, sine culpa poterant non agere? aut quis, nisi fortè apud barbaras nationes, audivit, puniri aliquem, & tam graviter sine culpa posse; aut culpam esse, si eodem jure, quo alter, utâris, quale est probabiliter imperanti, probabiliter obsistere: incerto jure agentem, incerto jure frustrari? Quod si hæc in Reges potestas toties, & tam sanctè in sacris canonibus repetita, exemplis exercita, SS. PP. & Doctorum testimoniis asserta, adhuc probabilis tantùm nec certa est, quærimus quid ergo in sacris Canonibus, certum sit, & cui tergiversari non liceat? erit ergo probabile tot sanctos Doctores, quibus doctrina vix pares in Ecclesia reperias, aut ignorantiâ falsum, aut adulatione dixisse, hoc est, aut minùs, quæ scriberent, intellexisse, aut minori fide consignâsse, quàm hâc tempestate pauci multùm infra illorum sanctitatem, doctrinamque positi.

Denique si non probabile tantùm, sed certum est, artem medicam, cui sanitas pro fine est, ad omnia sanitati accommoda; artem nauticam, cui navigatio proposita, ad omnia, quæ ad feliciter navigandum sunt necessaria; opificis industriam & artem, ad omnia, quæ operi suo deserviunt, extendi; eodem modo dicendum erit, potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem ad omnia illa proferri, quæ Ecclesiæ æternæque saluti, aut obsunt, aut prosunt, & consequenter ad omnia etiam Imperia, Regna & bona temporalia, quando & quo casu in hunc finem diriguntur. Si verò sententia, quæ hanc S. Pontifici indirectam asserit potestatem, videatur Principibus probabilis tantúm, non certa, adhuc nihilominus tenentur illi subjacere, quia juxta omnium sanctorum Patrum & Theologorum sententiam, in dubio an res præcepta sit licita, & superior limites suæ potestatis excedat, tenemur obedire, quamdiu non apparet evidenter esse præceptum de re mala, & extra limites potestatis: Sanchez *in Decalogum quàm plurimos citans l.6.c.3.n.3. & 4.* Silvester *in summa dicens regulam esse D. Thomæ. Et habentur quàm plurimi Textus SS. Patrum c.in memoriam d.19. c.quid culpatur 23. q.1.c. contra morem d.100.* Cujus ratio est, quia jussus Superioris semper justus præsumitur. *c.24. de Reg.I. in 6. L. Servo 65.§. cùm Prætor 2. ff. ad Sc. Treb. & l.7. sicut ii ff. ne quid in loco publico.* Et eleganter S. Gregorius

gorius M. *homil. 26. in Evangel. Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant, vel ligare. Sed utrum justè, an injustè obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cùm injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.*

Si ergo Pontifex aut Concilium Generale, quorum judicio Principes subsunt, servatis servandis Principes per sententia abdicent, & subditos juramento solvant, declarentque juramentum hîc & nunc cessare: nec ad culpam obstringere, immo culpam fore illud observari: Cùm in his omnibus vertatur causa spiritualis & Ecclesiastica, quoûsque videlicet potestas Pontificia & sacra se extendat? an etiam ad media fini spirituali deservientia, res nimirum, & bona temporalia? agaturque de peccato & obligatione juramenti; tenebuntur utique Principes, quamquam ipsi dubitant de hac potestate, superiori Ecclesiastico, intra suam sphæram agenti obtemperare: nam si egrediatur, certum est, non teneri per elegantem discursum S. Th. *2.2. q.104.a.5.*

Si an jus Regaliæ, custodiæque Ecclesiarum ad Reges pertineat, sæcularis est fori cognoscere, ac sententiam proferre, & regio senatui unicè reservatur, & Episcopi Prælatique, qui hoc negant, veluti perduelles, ac Regni turbatores à Parlamento pœnas luunt, neque hoc fines temporalis potestatis excedere in Galliis creditur; quantò minùs, si potestas Ecclesiastica in plenis liberisque conciliis, de suis terminis statuat, & quod ipsi in Episcopos, illa in Reges, cùm merentur, pronunciet?

Lessius quidem & Sanchez, aliique proximè citati scribunt, non teneri subditum Superiori suo imperanti obedire, cùm id sine magno corporis, honoris aut fortunarum damno haud potest: Verùm hæc doctrina nihil obstat sententiæ nostræ, cùm hæc omnia incommoda & damna à Principibus caveri possint, si videlicet Ecclesiam audiant, ad officium redeant, & causas oblitterent, emendéntque: tunc enim purgatâ contumaciâ, Ecclesia pœnas, quæ medicinales sunt, velut extincto morbo, revocabit, & ipsi Regnis restituentur: nec aliter Pontifices possunt, cessante causâ necessitatis bo-

tis bonique publici; ob quæ solùm in Reges armare licet. *V. c.11. de Constitut.* & habemus in Henrico M. Galliæ Rege præclarum exemplum, qui ob relapsum in hæresin, societate fidelium & Regno prohibitus, ubi de Religione cavit, eámque amplexus est, continuo censuris pœnisque caruit, Regnum sine lite accepit, ingentibùsque bellis turbisque finem imposuit, & Regibus exemplo fuit non esse culpam Ecclesiæ, si hac potestate suâ fungente Respublica turbetur. Ergo ut omnia simul dicamus, aut oportet dicere, non unius tantùm, sed tot Pontificum Conciliorumque sententias in Reges, iniquas injustasque fuisse, quod nemo nisi imprudentissimus dicat, Galli præsertim, qui Concilia tam effusè commendant; aut si justæ fuerunt, oportuit illis obtemperare Reges, cùm jus imperandi & obsequendi, tam sint correlativa, quàm jus exigendi 100: & debitum solvendi: implicetque jus exigendi, absque debito solvendi, & docuit expressissimè D. Th. *2.2. q 69. a.1.* ab omnibus Theologis admissus, tunc saltem, cùm ex una parte plurimum interest judicis imperium & sententiam observari, ex altera nullum observanti damnum, nisi voluntarium impendet; Nec ullius magis, quàm Episcoporum Regúmque interest hanc sententiam teneri; cùm enim Principum Leges, præcepta, impositiones tributorum, &c. rarò evidenter, & luce clariùs sint justa, quis subditorum illis ligabitur, si non tenentur in dubio Superioribus obtemperare? nemini quippe dubitandi, & hoc ipso repugnandi ratio & prætextus deerunt.

Nec obstat 3. Propositionem contrariam saltem ab auctoritate eorum, qui illam tenent, probabilitatem mereri.

R. Mensuram & regulam honesti, & veri esse legem, non nomina Doctorum, quorum opiniones si ab hac regula flectant, tam nequeunt esse veræ, honestæque, quàm paries, aliudve corpus nequit esse rectum, si à linea & amussi excedat. Auctoritas docentium ex eo capite pretium aliquod & pondus habet, quia non præsumuntur aliud, quàm leges dicere: Si ergo hæc præsumptio cessat, & evidenter appareat, Doctores cum legibus pugnare, præsumptio veritati cedit, & auctoritas illa præsumptione nixa penitùs evanescit, habetque locum illud D. Pauli *ad Galat.1. v.8. Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam*

quod

quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Et illud D. Augustini *d. 9. c. 4. Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate damnari.* Similia habentur *c. 5. & c. 8. eâdem d. & L. unicâ C. de interloqui.* Si enim sola auctoritas noménque Doctorum probabilitatem opinionibus donet, quos tu errores, aut futuros aut præteritos invenias, qui non probabiles dici debeant, cùm Magistris & Sectatoribus non caruerint doctrinâ & auctoritate claris? ergo ùt nummis, non numerus aut inscriptio, sed pondus & metallum pretium addunt; ita sententiis non numerus aut nomen Doctorum, sed rationes, & Canones, & cum Patrum doctrinis harmonia, probabilitatem, & auctoritatem afferunt, dicente scripturâ Prov. 22. 28. *Ne trangredias terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Et Ecclesiastis 10. 8. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.*

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER II.

PROPOSITIO II.

Conciliis Oecumenicis magnam inesse auctoritatem, magnamque venerationem deberi, & Ecclesia ipsa agnovit, suóque exemplo professa est, & nemo fidelium, nisi temerarius negavit, sic tamen, ut Pontifici Romano & Vicario Christi sua prærogativa salva sit, & potestas omni Concilio superior; Illi enim, non Concilio dictum est: *Super te ædificabo Ecclesiam meam.* Illi: *Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Illi soli: *Pasce oves meas*: non has aut illas, sed meas, hoc est, omnes. Hanc majorem Conciliis potestatem sacræ paginæ, hanc omnium Conciliorum exempla, & continua Ecclesiæ praxis, hanc SS. Patrum una conspiransque sententia, & ipsa Ecclesia Gallicana aliquoties & palàm testata est, ut adeò negari à nemine possit, nisi qui priùs omnia illa negare, quæ in Ecclesia venerationi sunt, sibique ipsi & sacræ antiquitati vim inferre paratus sit.

§. I.

Quid Concilium Generale seu Oecumenicum, & quæ ad tale Concilium requisita.

Summaria.

1. *Quid Concilium Generale?*
2. *Quæ illius conditiones.*

I.

COncilium Generale nihil aliud est, quàm Conventus Præsulum Ecclesiæque Pastorum, legitimâ auctoritate indictus, factus, confirmatusque, ad majora fidei & religionis finienda negotia: sicut enim ob publicas communesque omnium civium & Reipublicæ necessitates convocantur à Principe comitia generalia, sic cùm fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum & bellum impendet, omnium Ecclesiarum Pastores evocantur, communem causam communi voto acturi. Cùm enim in corpore humano ex conflictu qualitatum, humorúmque corruptione oporteat aliquando, immo sæpe morbos existere, ita, & multò magis, in corpore Ecclesiæ politico, ubi non corpora, sed animæ laborant, & quod pejus est, amantur morbi, ac remedia fastidio & horrori sunt. Cùm ergo oportuerit in Ecclesia hæreses esse, pastoribus & Vicatio Christi præsertim data est cura, ne quid in fide turbaretur, cui enim potiùs quàm medico morbos, gubernatori navem, pastoribus oves committeret Deus? his enim ignorantiâ aut affectu in errorem abductis, quis alius Ecclesiam & fideles duceret? *Quod si sal*, inquit Christus, *evanuerit, in quo salietur?* In quem locum D. Au-

gustinus *l.1. de serm. Dom. in monte. Si vos, per quos condiendi quodammodo sunt populi, metu persecutionum temporalium amittitis regnum cœlorum, qui erunt homines per quos à nobis error aufferatur, cùm vos elegerit Deus per quos errorem auferet cæterorum ?* Sicut ergo tota Ecclesia in iis, quæ ad fidem spectant, errare non potest, ita,& multò minùs,totius Ecclesiæ Doctores, qui Ecclesiam in Concilio universali repræsentant : alioquin oporteret Magistros à discipulis, Pastores ab ovibus, aurigam ab equis regi, corrigi,quo nihil absurdius dici potest, & tamen dicendum esset datâ Ecclesiæ infallibilitate (quam Græci anamartheſian vocant) & negatâ Pastoribus. Hi tamen cùm non omnes in Concilium convenire possint (quis enim fideles interea pasceret Pastoribus procul avocatis ?) hoc ipsum privilegium non errandi præsentibus Concilio à Christo concessum est dicente: *Ubicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Matth. 18.*

II. Conditiones verò ad Concilium universale necessarias communiter DD. has statuunt.

Prima; Ut summi Pontificis mandato vel approbatione fiat, & Patres ad Concilium convocentur. *c.1.2.& seqq. d.17.* quod videmus in primis quatuor Conciliis observatum etiam esse,quæ B.Gregorius eâdem veneratione quâ Evangelia prosequebatur, ùt habetur in *c. sicut d.15.* De Concilio Nicæno primo patet ex præfatione ad Canones Concilii Nicæni, & præfatione ad ipsum Concilium ex S. Isidoro, & epistola synodali ad Sylvestrum Papam *l.4. Concilii Nicæni,* quæ videri possunt *T.1. Concilior. Venetæ editionis.*

Secunda Conditio est, ut Concilio Pontifex per se vel suos Legatos interfit. *c.2. & 6. d.17.* Primo Nicæno nomine Sylvestri Papæ interfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Macarius Episcopus Hierosolymitanus, Victor & Vincentius Presbyteri Romani, ùt habetur in epistola Synodali ipsius Concilii, *Nobis f.569. Tomi 1. Concilior.* Concilio Constantinopolitano primo non interfuit quidem,multòque minùs per se suosque Legatos præsedit Damasus Papa,quòd Patres Romam ad aliud Concilium evocâsset, ùt patet ex epistola ab iisdem ad Damasum scripta, & actis Concilii Constantinopolitani inserta : confirmatum tamen à Damaso fuisse, immo ejus jussu & Theodosii indictum colligitur ex sexta Synodo Constan-

Constantinopolitana. *Act. 18. post subscriptiones PP nobis f. 362 col 2.* Et videri potest Baronius ad annum CCCLXXXI. Concilio Ephesino præsedit per suum Legatum S. Cyrillum, Cælestinus Papa, ùt constat ex hujus ad Cyrillum epistola *Tomo* 1. *Concilii Ephesini cap. 16.* & tres alios Legatos ad Concilium missos, Arcadium videl. Projectum & Philippum, qui tempestatibus jactati sub finem Concilii Ephesum appulerunt, ùt habetur *Tom 2. Concilii Ephes. c. 13.* Concilio Chalcedonensi per Legatos Paschasium, Lucentium, Bonifacium & Basilium præfuit Leo Papa, ut videre est in omnibus Concilii actibus, præsertim *Actione* 3.

Tertia conditio est, ut evocatio Episcoporum sit generalis, nec ullus Episcopus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur, alioqui Concilium non erit generale, sed tantùm provinciale, vel nationale, &c. colligitur etiam ex *c. 9. d. 19.* & ratio est præter allegatam, quia ad Concilium Provinciale ab Archiepiscopo omnes Episcopi totius Provinciæ vocandi sunt. *d. 18. per totum*; ergo ad Concilium universale Episcopi totius orbis, cùm Papa dicatur Archiepiscopus orbis. *d. 25. in fin.* ejusque Provincia sit totus mundus: accedit, quod omnes tangit, ab omnibus approbandum esse. *dereg. 7. in 6.* causa vero fidei & Religionis omnes tangit, ergo omnibus vocatis, sed non comparentibus auctoritas definiendi penès præsentes est, juxta promissum Christi *Matth. 18. Ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum.* Non ergo numerus Episcoporum Concilium generale facit, sed jus omnibus factum, & saltem, ut ex majori parte Christianarum Provinciarum aliqui adveniant, omnes enim convenire res est impossibilis, nec credi debet voluisse Christum auctoritatem Ecclesiæ necessariam ad casum eventúmque impossibilem adstringere; & ideò licèt Concilium Carthaginense nationale tempore D. Augustini Episcopos 217. numeraverit, Concilium verò Constantinopolitanum primum 150. hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia in Oriente habita pauci Occidentalium, sicut ex adverso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium convenêre, nec minùs tamen consensu omnium universalia habita sunt. Vide S. Antonin. 3. p. T. 23. §. 7. & Bellarm. *de Concil. cap. 17.*

§. II.

Origo, Neceſſitas, Commoda & Incommoda Concilii Oecumenici & univerſalis.

Summaria.

1. *Neceſſitas Conciliorum multis modis probata.*
2. *Eorumque Commoda.*
3. *Incommoda.*

I.

DOcuit Albertus Pighius de Hierarchia Eccleſiaſtica *l.6.* Concilia univerſalia juris humani tantùm eſſe, Bellarminus verò juris Divini. Nos Divino & Naturali jure Concilia aliqua inſtituta & præcepta eſſe credimus; ſicut enim oportet eſſe Scandala & hæreſes in Eccleſia Chriſti *Matth. 18. ad Corinth. 1.* Ita oportuit judicium aliquod & cathedram conſtitui, ubi hæreſes finirentur, & ſcandalis remedium eſſet; id vero in Conciliis præſtatur: quamvis enim ſumma decidendi auctoritas ſtet penès Pontificem, hic tamen nec debet, nec poteſt in cauſis fidei ſententiam præcipitare, ſuoque judicio fidere tot morbis obnoxio, ſed maximâ quâ poteſt induſtriâ multorúmque conſilio rem examinare, & tunc expletis omnibus diligentiæ humanæ numeris ſententiam ferre, præſertim ſi Pontificis auctoritas ipſa impugnetur, ùt in ultimis Lutheri & Calvini hæreſibus, nunquam ſolus hæreticis fidem faciet, & ideò omnium ſæculorum praxis habuit, ut in rebus arduis magnique momenti Concilia vocarentur, ſanctique Patres eorum neceſſitatem ſæpe teſtati ſunt. S. Aug. *lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianor. c. 12.* S. Iſidor. *in præfat. Concil.* Idem S. Aug. *l. 1. de Bapt contra Donatiſt. c. 18.* S. Cypr. *l. 2. epiſt. 1. ad Stephanum*, & denique Concilium Tolet. XI. *in ipſa præfatione*, & habetur *Tom. 3. Concilior.* cujus neceſſitatis luculentum exemplum dedit Concilium Conſtantienſe, quo 30. annorum ſchiſma & ſumma rerum confuſio tandem extincta eſt, nunquam extra Concilium extinguenda. Quod ſi Concilia ſunt neceſſaria, hoc ipſo erunt

jure

jure Divino & Naturali instituta, quæ in necessariis non deficiunt. Ipse naturalis instinctus, cùm in dubiis arduisque versamur, ad plurium opem & consilia nos vertit, & imprudentiæ notaretur, qui sui fiduciâ solus nullóque comite viam multis periculis obsessam ingrederetur. Hoc ipsum docuit Innocentius in *c. 3. d. 20. Si omnibus inspectis*, inquit, *hujus quæstionis qualitas nõ lucide investigatur, seniores provincias congrega, & eos interroga; facilius namque invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur; verus enim repromissor Dominus ait: Si duo vel tres ex vobis convenerunt super terram in nomine meo, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Et Cœlestinus III. *c. 21. de Off. & Potest. Jud. del. Illa fuit antiqua Apostolicæ sedis provisio, ut hujusmodi causarum recognitiones duobus quàm uni, tribus quàm duobus libentiùs delegaret, cùm sicut canones attestantur, integrum sit judicium quod plurimorum sententiis confirmatur.* In ipso homine natura senatum aliquem & synodum expressit, in qua sensus referunt, intellectus judicat, voluntas imperat causamque decîdit. Ipse DEUS cœlo terrâque conditis, ubi ad luminis creationem pervenit, rem videl tanti pretii tantique impendii, & DEO aliquando tot curas & negotia facturam, suffragiis velut in Concilio initis, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1.* Vide Ruper. in hunc locum.

In lege Mosaica decidendis gravissimis causis senatus quidam seu Concilium constitutum fuerat, quod Synedrion vel Sanedrim vocabant, constabátque septuaginta viris partim sacerdotibus, partim etiam ex quavis tribu, primariis viris, summo Pontifice omnibus præsidente. De quo vide Sigonium *l. 6. de Rep. Heb. c. 7.* In hoc Concilio jus & sententia illis causis dicebatur, quæ apud inferiores judices finiri non poterant, propositâ capitis pœnâ non parentibus. Dissidentibus judicio & sacerdote, hujus ultimum & præcipuum suffragium, immo judicium erat, à quo appellari non poterat, ùt habetur *Deut. c. 21. v. 5.* ubi: *Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus, ut ministrent ei, & ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum vel immundum est, finietur.* Et *Deut. 17. v. 8. Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæréque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veri-*

veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad sinistram: qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & Decreto judicis, morietur homo ille. Ubi nota Abulensem ad hunc locum scribere, summum Pontificem vocari hîc Judicem, quòd ipse solus in Concilio, audito aliorum judicio proferret sententiam: sic Caiphas in Christum *Joan. 11. v 50.* Ananus Pontifex in Jacobum fratrem Domini sententiam dixit, teste Josepho *lib. 20. c. 8.* fuisse enim sacerdotes non in causis tantùm sacris, sed etiam civilibus judices, testantur Josephus *l. 2. cont. Apionem.* & disertè Ezech. *c. 44. v. 24.* ubi: *Populum meum docebunt, quid sit inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum ostendent eis; & cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt.*

Apud Romanos tanta fuit Augurum dignitas, (nam & ipsi sacra procurabant) ut de illis Cicero *l. 3. de Legib. Quæque Augur injusta, nefasta, vitiosa, dira dixerit, irrita, infestaque sunto, quique non paruerit, capitale esto.* Et idem Cicero *pro domo sua ad Pontifices: Istos & religionibus Deorum & summæ Reipublicæ à Majoribus præfectos esse.*

De Pontifice Maximo Romanorum Zosimus apud Thomam Dempsterum *l. 3. Antiquit. c. 21. Unus Pontificum omnium supremus erat, qui & Maximus dicebatur, quòd maximarum rerum, quæ ad sacra & Religionem pertinent, judex esset & vindex contumaciæ privatorum & Magistratuum. Festus etiam ait, Pontificem maximum judicem, & arbitrum esse rerum divinarum átque humanarum.* Hæc Dempsterus.

De Gallorum Sacerdotibus, quos Druidas vocant, hæc scribit Cæsar *l. 6. belli Gallici, Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica & privata procurant, Religiones interpretantur, de omnibus ferè controversiis publicis privatisque constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia pœnasque constituunt: si quis aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos est gravissima: quibus ita interdictum, ii numero impiorum & sceleratorum habentur; iis omnes decedunt: aditum illorum sermonémque*

némque defugiunt: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur; His autem omnibus Druidibus praest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Is certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato: huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorúmque judiciis decretisque parent; neque tributa unâ cum reliquis pendunt, omniúmque rerum habent immunitatem, &c.

De Sacerdotibus Ægyptiis Strabo *l.17. de Meroitarum moribus: In Meroê olim primum ordinem sacerdotes obtinebant, qui tantam auctoritatem habebant, ut nonnunquam misso nuntio mortem Regis imperarent, & pro eo alium faciebant.*

Eadem ferè de Ægyptiis *l.14. Variar.34.* de Persis Eusebius *in Chronico.* De Athenienſibus & Areopagitis Josephus *l.14. Antiquit. c.19.* narrant.

Omnium ergo Gentium consensus hanc de rebus maximis judicandi auctoritatem praesertim divinis sacerdotibus concessam, naturalis, non humani juris esse convincit; humanum enim jus variat, nec apud omnes est idem.

II. Et verò multa esse & magna, quae à Conciliis proveniunt bona, nemo inficiabitur: à pluribus oculis plura videntur; & quantum multitudo consiliis & opinionibus secum pugnans Reipublicae nocuit, tantùm profuit unita, & in eundem finem conjuncta: hinc ab exordiis Ecclesiae, usq; in hanc diem, Concilia saepe repetita haereses & schismata profligârunt, felici semper eventu, esto enim non semper devictis haereticis, at semper confirmatis Catholicis, munitâ veritate, paratisque contra serpentem luem remediis, nam & medicinae pars & officium est secari, quod sanari non potest. Deinde vocatis ex toto orbe pastoribus, facile & in promptu est, quae singulis Provinciis conducat primùm scire, deinde etiam decernere, ob futuris utique remediis, si eadem singulis applicentur; nec enim quod Italiae, hoc Germaniae, hoc Galliae proderit, cùm non minus varia sit morum quàm corporum complexio. Denique ab omnibus statuta obstinatum etiam animum frangunt, facilius minorique verecundiâ omnibus cedentem quàm | paucis, aut saltem publico risui & indignationi exponunt, cùm stultissimus sit, qui contra tam multos, tam magnos, tam sanctos sapientésque, & explicandae veritati â Deo ele-

cos sapere velit, idque contra expressam Evangelii doctrinam: *In cathedra Mosis sederunt Principes & Pharisæi, quæ ergo dicunt facite, quæ verò faciunt, facere nolite, &c. Matth. 23.* Et: *Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Luc. 10.*

III. Sunt tamen conciliis sua etiam incommoda, præsertim cùm nimis frequentia: nec expediat semel decisa, & tot miraculorum, Martyrum, Confessorúmque testimoniis confirmata in dubium iterum & examen vocare, quo nomine non à SS. Patribus tantùm, sed etiam ethnicis malè audiit Constantius, inter quos Ammianus Marcellinus *lib. 21.* hæc scribit: *Christianam Religionem absolutam & simplicem anilæ superstitione confundens: in quâ scrutandâ perplexus, quamquam componendi gratiâ excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusiùs alunt concertatio verborum, ut catervis Antistitum jumentis publicis ultrò citrò que discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum conatur trahere arbitrium, rei vehicularia succidere nerves.* V. Gregor. Nazianzen. *epist 55. ad Procopium*, ubi scribit: *Nunquam sine periculo & offensione sacerdotum haberi Conventus.* Et in eadem epistola: *Ego*, inquit, *si vera dicere oportet, ita omnia Episcoporum Conciliafugio, quoniam nullum Concilii finem letum, faustumque, nec quod depulsionem malorum potiùs, quàm accessionem & incrementum habuerit, vidi.* Axioma est Astronomicum, sed nec minus politicum: *Aduationem Planetarum nunquam fuisse bonam.*

Rarò est multitudo sine opinionum varietate, & hæc sine discordia, quæ in rebus fidei perniciosissima, cùm fides nec opiniones, nec dubium admittat. Quas turbas Basileense Concilium & Pisanum in Ecclesiam concitârunt? quot à Principibus, ab Episcopis, à bello, à peste difficultates excitatæ? quot cum Regibus & Imperatore susceptæ, de loco, de modo, de translatione concertationes, exitus in offensas animorum, nisi prudentia & Deus præsertim obstitissent? & Concilio tandem absolutis, quot iterum promulgationi objectæ moræ, calumniæ, exceptiones? nec propterea tamen expugnatæ hæreses, sed potiùs materia & occasio mendaciis data, ut non immeritò Clemens VII. Carolo Imperatori Concilium urgenti rescripserit: *Multos Purpuratorum credidisse Concilium haud profuturum.* Profuit enimverò Concilium, sed tot tantæque difficultates sunt illud comitatæ, ut planè apparuerit, hoc remedium in extremis, & cum alia non superant, conferendum esse.

Auro

Auto digna sunt, quæ in hanc rem Martianus Imperator edicto suo inseruit, *ad finem actionis tertiæ Chalcedonensis Concilii: Vere impius atq; sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere; quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit; nam injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè disposita, revolvere, & publicè disputare contendit, &c.* Videatur etiam *Lex 4. C. de summa Trinitate.*

§. III.

Quando hæc quæstio de superioritate Concilii supra Pontificem agitari cœpta, & quas ob causas?

Summaria.

1. *Origo hujus Quæstionis ex schismate nata, & partim à Catholicis in Conciliis Parisiensi, Pisano, Constantinopolitano, Basilcensi producta, partim à Lutheranis.*
2. *Sed varias ob causas, aliis publicum, aliis privatum lucrum spectantibus.*

I.

Libenter in rerum causas inquirimus, ea enim agendi ratio jam passim inolevit, ut aliud homines ostendant, aliud agant, pulcherrimâ rerum facie fœdissimoque recessu, & cortice plerúmque oculos fallente. Qui Concilium Pontifici Max. præferunt, Religionem, correctionem abusuum, fidei causam, & alia multa dictu auditúque pulcherrima prætexunt; sed an ex vero, à principiis ipsis intellige.

Videtur huic quæstioni initium occasionémque inprimis dedisse obstinatum illud schisma, quod post mortem Gregorii XI.

Anno MCCCLXXVIII. tenuit usque in *MCCCCXVII.* tribus subinde Pontificibus Romanam sedem occupantibus; tunc enim sæpe multúmque agitatum de figendis Pontificiæ auctoritati limitibus, cujus ambitione Ecclesia fidelésque discordiis peribant; anno enim *MCCCXCIV.* agente Carolo VI. Francorum Rege, Concilium Parisiis habitum, quo Petrus de Luna, Benedictus XIII appellatus, natione Aragonius, Papatu ejectus, nullo tamen exitu. Spondanus *ad hunc annum.* Non multò pòst, Anno videl. *MCCCCIX.* Benedicto abire Pontificatu recusante, schismati extinguendo Concilium Pisis à Cardinalibus indictum, qui datis ad varias provincias litteris Patres ad Concilium evocarunt: litteris adjunctæ conclusiones quædam, ab universitatibus Parisiensi & Bononiensi conceptæ, quarum hæc summa: *Teneri Gregorium & Benedictum ex debito charitatis pastoralisque officii jure, quod habebant ad Pontificatum, cedere; ne in tanto Ecclesiæ quatore & fidelium clade plus dignitati suæ quàm publico bono studere viderentur: idque multò magis, quòd voto & juramento se obligássent; si recusarent, hoc ipso tanquā schismatis auctores hæresisque suspectos & totius malorum scandalorúmque ac contentionum duces sub Concilii & Ecclesiæ judicium & potestatem cadere, ab eaque destitui posse: teneri verò fideles omnes ab eorum obedientia cultúque cessare, ne si obedire alteruti pergant, in schisma consentire videantur.* Videri possunt hæ conclusiones sigillatim apud Theodoricum de Niem *l. 3. schismatis c. 38.* & habentur apud Severinum Binium *Tomo 3. Concilior p. 2. in notis ad Concilium Pisan.* Patres verò ubi Pisas convenerunt, Gregorio & Benedicto in Concilium citatis, nec comparentibus, sententiam dicunt, adimúntque Pontificatum tanquam hæresi tinctis & notoriè schismaticis: à Cardinalibus deinde electus est Petrus de Candia, & Alexandri VI. nomen impositum. Nec tamen hâc electione direptum certamen, sed potiùs auctum, novo Duce novoque manipulo in aciem eductis. (a) Secutum est Concilium Constantiense *Anno MCCCCXIV.*, quo schismati finis impositus, *& Sess. 4. & 5.* definitum, *Concilium universale in casu schismatis dubio Pontifici imperare & leges ac pœnas statuere posse,* quod *Anno MCCCCXXXI.* in Concilio Basileensi post à repetitum *Sess. 13. Anno MDX.* bello inter Julium II. & Ludovicum XII. accenso Turonis in Gallia conventus Episcoporum habitus, & Pontifex Julius ad Concilium vocatus, quod Pisis primùm, deinde Mediolani coactum

(a) V. S. Antoninum 3. p. summæ historiæ. T. 22. c. 5. §. 2.

coactum, execrationi omnibus fuit, teste Guicciardino *l. 9. in fin.* & posteà dissolutum, oppositoque Concilio Lateranensi à Julio inchoato, finitoque per Leonem X. in quo etiam auctoritas Papæ supra Concilium definita est, *Sess. 11.*

Anno MDXVII. Emersit Lutherus, variisque erroribus Ecclesiam turbavit, dictâque illi die, & causâ Cajetano Cardinali commissâ, primò ab hoc tanquam judice suspecto, tum à Papa malè conscio ad Papam meliùs edoctum, deinde à Papa ad Concilium provocavit; posteà ubi hoc coactum vidit, de Concilio ad scripturam, & ab hac ad criteria spiritumque & iustinctum privatum, hoc est, ad seipsum appellavit, librumque edidit, cujus summa: *Nihil opus esse Conciliis*: quo libro canones Concilii Nicæni fœnum, stramen, lignum, stipulas vocat, ut omnino apparuerit Concilium ab eo moræ, non veritatis causâ fuisse appellatum. *Anno MDLII.* Apparuerunt in Tridentino Concilio Oratores Ducis Saxoniæ, qui inter alia quarto loco postulârunt, ut Tridentini Patres ante omnia ad normam Constantiensis & Basileensis Conciliorum declarent, Pontificem in iis, quæ ad fidem moresque pertinent, Concilio subesse. (a) Ludovicus Imperator à sententia Joannis XXII. ad futurum Concilium provocavit, *Anno MCCCXXIV.* verba provocationis sunt: *Ad productum Generale Concilium appellamus, quod instanter, cum instantia repetita, loco tuto nobis & nostris convocari petimus & congregari, &c.* (b)

II. Ex dictis facilè constabit, pro diversis animorum affectibus diversas quoque fuisse causas Pontificem Concilio submittendi; qui enim bonum publicum & Religionem spectabant, contenti erant intra necessitatem Concilium præferre, hoc est, in causa schismatis dubiique Pontificis; sic in Conciliis Pisano & Constantinopolitano factum. Quibus vero non tam publicum quam proprium privatumque lucrum cordi erat, quique non tam Ecclesiæ periculo quam suo cavebant, simpliciter & extra publicam schismatis causam Concilium præponebant, noto Politicis arcano, quibus in præsentibus extremisque malis dilatio remedium est, periculum aut avertente morâ, aut differente. Ergo quemadmodum

(a) V. Pallavic. in hist. Concilii l. 12. c. 15. n. 12.
(b) V. Azor. ad hunc Annum, & Spondan.

& aram innocens & reus tenent, sed hic prænarum metu, ille Religionis studio; sic etiam non eadem omnibus causa fuit Concilium ante Pontificem habendi, multis videl. futurum potiùs judicem & difficilè prodituru eligentibus, quàm præsentem paratúmque; si enim sibi suæque causæ fiderent, & publicum bonum privato præhaberent, nunquam Concilium cum Papa, hoc est regnum cum Principe, caput cum corpore, ovésque cum pastore colliderent, & schismati causam darent, quod certissimè timendum est, si Concilium Papæ indubitato certóque opponas, eodem posteà artificio cum Concilio pugnaturus, quo cum Papa; quod in Protestantibus manifestum fuit: appellarunt ii, ùt dicebant, ab injustissimo violentissimoque judicio Pontificis ad liberum, Christianum, legitimum, & in Spiritu Sancto congregatum Concilium; sed negarunt Tridentinum Concilium liberum fuisse, legitimum, & in Spiritu Sancto congregatum, negabuntque deinceps omnia, quæ illis non faverint, exemplo videl. illius laqueo damnati, qui gratiam à judice petiit arborem eligendi quæ placeret, sed nulla placuit. Quisquis ergo Concilium optat, ut Pontificis sententiam evadat, eodem pacto Concilio eludet, aut mille modis, ne conveniat impedito, aut mille exceptionibus, ne legitimum videatur, impugnato, aut denique non recepto. Exempla præter Tridentinum sunt in Conciliis Lateranensi ultimo & Florentino. Quis Principum, immo quis Episcoporum patiatur à suis sententiis ad Comitia aut Synodos appellâri? & si appelletur, non continuò dicat, moram & dilationem quæri malæ causæ, turbariquè Rempublicam? Idem, multóque magis de Pontifice Max. dicas, cui Ecclesia commissa est, non ipse commissus Ecclesiæ: neque enim à Christo dictum est Petro; *Ædificabo petram supra Ecclesiam*: sed *Ecclesiam super Petram*.

§ IV.

§. IV.

Summum Pontificem supra Concilium esse ex SS. Litteris probatur.

Summaria.

1. *Expenditur celebris locus Deut. 17.*
2. *Et Matth. 16.*
3. *Lucæ 22.*
4. *Ioann. ult.*
5. *Actor. 15.*
6. *Scripturam semper Pontifici, nunquam Concilio Primatum deferre.*

I. Primus locus est *Deut.* 17. jam à nobis expensus §. 2. ubi licèt expressa mentio magni Concilii Sanedrim fiat, ad quod causæ dubiæ & inextricabiles referri debeant, ut tamen intelligas ultimum judicium, & quo causa finiretur, non Concilii totius, sed summi Sacerdotis fuisse, adjungitur: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Ubi vides non dici: *Qui autem superbierit, nolens obedire Concilii vel sacerdotum imperio*, sed *Sacerdotis imperio*, penes quem summa erat auctoritas decidendi. Ad hunc celebrem locum *Deuteronomii* intelligendum notentur sequentia.

Primo fuisse septuaginta Judices in loco Sanctuarii, qui erant de Consistorio, quod vocabatur Domus Judicii: hi verò assistebant summo Sacerdoti judicanti, non solùm ut Consiliarii, sed etiam ut habentes potestatem judicandi, quemadmodum & Episcopi in Conciliis, qui non tantùm consulunt, sed verè decidunt, ut pa-

ùt patet ex eorum forma subscribendi, & ideò in litte a, ubi noster habet: *Indicabunt tibi judicii veritatem*: Septuaginta vertunt: *Annuntiabunt tibi judicium*. Vide Abul. in hunc locum *q. 4.*

Notandum 2. Summum sacerdotem solùm nomine & consensu omnium tulisse sententiam tanquam Præsidem Concilii: quemadmodum in Conciliis videmus, Legatos summi Pontificis nomine etiam ex suffragiis Patrum decreta statuere & pronuntiare. Abul. cit. q. 4.

Notandum 3. Præcipuas tamen in Concilio judicandi partes ad summum Pontificem pertinuisse, non tantùm quod ipse sententiam proferret, sed etiam quòd scissis in diversas sententias partibus ea prævaleret, cui Pontifex accederet, nec posset Concilium contra illum prævalere, quod ex multis patet, nam, ùt diximus, Pontifex nomine omnium sententiam dicebat: nunquam verò sententiam diceret, quam improbaret: erátque hoc Concilium ultimum tribunal, à quo, ùt ex verbis patet, non dabatur appellatio: lis autem finiri non potuisset, nisi ex Pontificis sententia; quis enim aliàs discordantes, aut pares numero componeret, maximè cùm Pontificis suffragium multis aliis æquivaleret? Et ideò in littera summi Pontificis semper est mentio: *Facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus*, (hi erant summi Sacerdotes) *& docuerint te juxta legem ejus, sequêrisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, morietur homo ille.* Ubi vides, summam judicandi potestatem summis sacerdotibus adscribi, qui in officium Pontificale sibi succedebant. Quod expresè dicitur *Num. 27. v. 21. Pro hoc si quid agendum, Eleazar Sacerdos consulet Dominum: ad verbum ejus ingredietur & egredietur ipse* (Josue) *& omnes filii Israel cum eo, & cetera multitudo.*

Notandum 4. Solius summi Sacerdotis fuisse, siquid in lege expressum non esset, Deum & Oraculum consulere, quod fiebat vel per Prophetam, sine quo Sacerdos Magnus teste Josepho apud Apulensem *hîc q 4.* nunquam pronuntiabat: vel per Oraculum, Deo ex Sanctuario (quò soli Pontifici aditus patebat, *Levit. 16.*) responsum ad quæsita reddente: vel denique per rationale *Urim & Tummim*, quæ vestis erat summi Sacerdotis gemmata, quâ pectus vela-

velabat, habebátque magnis literis hæc duo verba inscripta: *Doctrina & veritas.* Et quia ex hac veste Oracula fundebantur, græcè vocatur *Lógion,* quasi dicas vestem sermocinantem; sciendum enim est, summum Pontificem per hanc vestem pectoralem solitum fuisse Deum in dubiis consulere, ab eoque responsa accipere, ex quorum præscripto populo jus & sententiam dicebat, ùt patet *Exod. 28. n. 30. Et gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper.* Quamvis Interpretes de modo Oraculi dubitent. Alii enim volunt fuisse adamantem limpidissimum, qui populo scelere aliquo impiato, colore fusco tingeretur: si à Deo irato pœna aliqua impenderet, sanguineo ruberet: innocente populo instar nivis candesceret. Alii dicunt, in gemmis, quæ rationale integebant, velut in speculis Deum per imagines & symbola, quæ fieri vellet adumbrâsse. Alii duo parva simulacra Dei vel artificum manu affabrè facta, quæ inter sinus plicásque rationalis Sacerdoti responderent. Alii denique ipsas gemmas rationali intextas, per quas Sacerdotem Deus irradiabat, ut aptè ad quæsita responderet, quæ propterea *Umim* & *Tumim*, hoc est, *doctrina & veritas*, dicebantur, quòd doctrina & sententia sacerdotis verissima esset. Quâ ratione apud Ægyptios summus Sacerdos imaginem veritatis in sapphiro sculptam ad pectus è collo gestabat teste Æliano *l. 14. c. 34.*

Notandum 5. Judicem, cujus in hoc textu *Deut. 17.* aliquoties fit mentio, fuisse aut ipsum summum sacerdotem, aut ejus Vicarium, à quo ad ipsum Pontificem appellatio non dabatur: *Interdum enim*, inquit Abulensis in hunc locum *q. 5. Summo Sacerdote occupato, aut aliàs absente Vicarius suus loco ejus proferebat sententiam ex consensu aliorum Judicum, id est, Seniorum de domo Concilii sive judicii, & tunc si aliquis non obediret Decreto ejus, mori debebat, cùm non esset alius judex superior.*

Notandum 6. Illa verba quæ in nostra vulgata habentur: *Et docuerint te juxta legem ejus*, intelligenda esse assertivè, hoc est, sententiæ & judicio sacerdotis acquiescere debent subditi, & præsupponere, sacerdotum & Pontificum judicium esse juxta legem Dei, ùt habetur *Malachiæ 2. v. 7. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*; nisi videl. manifestissimè constet, sententiam Pontificis cum lege Dei pugnare, alioqui frustraneum & evanidum erit judicium sacerdotis, si, quoties tibi aut

alteri videtur, recusare liceat; cui enim hæc exceptio præstò non erit? eccur ad sacerdotes & Pontificem mittor, si melius mihi quàm sacerdoti de sensu & sententia scripturæ legisque divinæ constat? immo alium judicem constitui oportebit qui de sententia Pontificis ferat decernátque, an ea juxta vel contra legem Dei sit dicta; & de hoc judice non minùs quàm Pontifice dubitari poterit, sicque lites erunt immortales & inextinctæ. Quòdsi velis tunc solùm obediendum esse sacerdoti, cùm ejus sententia manifestissimè in lege Dei est expressa, repugnás planè verbo Dei apertóque textui & rationi; nam quæ sunt evidentia, non egent judicio & sententiâ supremi Magistratûs: & scriptura apertè dicit: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, &c. & judicum intra portas tuas videris variare sententias, &c.* quæ omnia ostendunt, voluntatem Dei esse non tantùm in rebus apertis & clarè à Deo præceptis, sed etiam in dubiis standum esse Pontificis jussu & sententiâ: & ideò in versione Græca septuaginta sic habetur: *Et custodies valde facere juxta omnia quæ fuerint indicata tibi; juxta legem & juxta judicium quod dicent tibi, facies, &c.* Eodem modo habent Hebraica & Chaldaica, in quibus non apponitur illa clausula *juxta legem DEI*, sed supponitur & præsumitur, in dubio nihil contra Dei verbum & legem Pontificis & Concilium judicaturos.

Vides ex hactenus disputatis, quæ fuerit auctoritas, & quàm multæ prærogativæ in lege Mosaica summi Pontificis supra Concilium; solus nimirum Pontifex sanctuarium ingreditur responsum in dubiis à Deo accepturus, solus Oraculum consulit & à Deo edocetur, solus judicium & veritatem ad pectus gestat, solus sententiam in Concilio pronuntiat, soli denique summo sacerdoti, non Concilio dicitur: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morte morietur.* Hæ prærogativæ in lege Mosaica summo Pontifici concessæ, cùm non pertinuerint ad leges ceremoniales, sed potiùs ad morales, videl. ob unitatem Ecclesiæ, pacem fidelium, discordias, & schismata vitanda, litésque finiendas, multò magis concedendæ sunt Pontifici Romano in statu legis Evangelicæ, ne dicamus meliùs Deum antiquæ quàm novæ legi providisse, plùs Synagogam quàm Ecclesiam, hoc est, plùs ancillam quàm sponsam dilexisse.

II. Secun-

II. Secundus locus Scripturæ habetur *Matth. 16.* ubi cùm Christo Apostolos roganti: *Vos autem quem me esse dicitis?* respondisset Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* subjecit Christus: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Circa hæc verba Christi ad Petrum, ut ex illis efficax argumentum ducatur, notanda sunt aliqua.

Notandum igitur primo: Christo interrogante: *Vos autem, quem me esse dicitis?* reliquos Apostolos tacuisse, & velut quid respondere hæsitâsse; quamvis enim ante hanc Petri confessionem Christum Deum esse credidissent *Matth. 14. 33.* tot videl. miraculis & Christi assertione toties edocti, valde tenuem tamen rudémque, & velut confusum de hac re conceptum formabant, nesciebantque quâ ratione Christus Filius DEI esset, an videl. per æternam generationem, consubstantialitatem, aut alio modo; quemadmodum qui Astrologiæ imperitus procul in cœlo stellam aliquam intuetur, scit quidem stellam esse, sed mobilem an fixam, quâ magnitudine, altitudine, situ, motu, influxu, non audet dicere; sic neque Apostoli de Christo. Sed Petrus clarius, distinctius, subtilius à Deo illustratus aliis tacentibus responsum occupat, & animosè constantérque Christum DEI esse Filium unigenitum, Consubstantialem, æternum pronuntiat, & à Christo prolixè laudatur: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Ex quibus Christi verbis volunt aliqui morem profluxisse, summum Pontificem specialiter *Beatissimum Patrem* compellandi.

Hæc verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* omnino ad Petrum spectare, qui propterea à Petra Ecclesiæ nominatur, quia ejus Pastor & Rector universalis est constitutus; hoc enim conceptus ipse literalis evidenter ostendit, Christo semper ad Petrum & de Petro loquente, illique respondente, ut patet litteram examinanti, habéntque omnes versiones; nam Syriaca habet: *Tu es Cepha* (petra) *& super hanc Cepham ædificabo Ecclesiam meam.* Hebraica, quam velut authenticum & autographum Matthæi Evangelium

edidit Munsterus, eodem modo: *Tu es Cepha, & super hanc Cepham &c.* Armenica: *Tu es rupes, & super hanc rupem &c.* Arabica: *Tu es saxum, & super illud saxum &c.* Æthiopica: *Tu es rupes & super hanc rupem fabricabo domum Christianam.* Ægyptiaca: *Tu es hic Petrus, fundabo Ecclesiam meam super hanc Petram.* Persica: *Tu es Sanac* (petra) *& super hanc Sanac ædificabo, &c.* Paraphrasis Persica: *Tu es Sanac*, id est fundamentum & Judex, &c. (a) Cur ergo latina versio non scripsit: *Tu es Petra, & super hanc Peram ædificabo Ecclesiam meam?* Quia secuta est Græcam, in qua πετρος & Petra æquè saxum significant, alluditque ad nomen proprium & appellativum Petri & Petræ. (b) Et ideò omnes SS. PP. Græci Latinique Petrum vocant Petram, crepidinem & fundamentum Ecclesiæ V. Concilium Chalcedon, *Act. 13.* Athanasium *in epist. ad Felicem Papam.* Chrysostomum *homil. 55. in Matth.* Leonem Papam in *Anniversar. sua Assumpt.* Anacletum *epist. 3. c. 3.* Cyprianum *de unit. Ecclesiæ*, & *in epist. ad Quintum* & *lib. 4 epist. 9.* Origen. *homil. 5 in Exod* & *homil. 6. ad Rom.* Hilarium *lib. 6. de Trinit.* Basil. *l. 2. de Spiritu S.* Ambros. *Luc. 5* & *serm. 47.* Hieron. *in hunc locum Matth.* & *l. 1 contra Jovinian.* & *Hierem. 16* & *Ezech. 4.* Gregorium *l. 4. epist. 32* & *33 l. 3. epist. 37.* August. *serm. 11. 24. 20. 29 de Sanct.* & *serm 124. de Temp.* & videatur etiam *c. loquitur Dominus 24. q. 1 c. non turbatur 42. q. 1 c. Fidel. d. 50.*

Nec obstat quòd D. August. *l. 1. Retractat. c. 21.* aliique Patres dicant, Petram de qua loquitur Christus, esse fidem & confessionem Petri ipsumque Christum, cui velut petræ lapidique angulari Ecclesia innititur; id enim verissimum est, nec pugnat cum priori & litterali exceptione; nam & fides & confessio Petri est fundamentum Ecclesiæ in abstracto, & tanquam ratio ob quam Petrus ejusque successores sunt facti Primates & Pastores universales Ecclesiæ, à quibus Ecclesiæ firmitas, & in vera doctrina constantia tanquam ex certa & infallibili regula pendent, quem sensum habet Epiphanius *l. 2. contra hæres. in 59.* Christus verò longè magis longéque principaliùs Petra dicitur *1. ad Corinth. 3. & 10.* quia quidquid soliditatis & firmitudinis habet Petrus ejúsque successores, totum est ex meritis, gratia & providentia Christi, cujus Vicarius tantùm est Petrus; adeóque quicquid potestatis

(a) Vide Cornelium ex Petro victore in Annotat. ad Novum Testamentum.
(b) Vide Dictionarium Scapulæ Græco-latinum.

statis, auctoritatis & soliditatis in vicario est, multò plenius & excellentiùs erit in Principali, & propterea S. Thomæ & Theologorum communis est ententia, potestatem excellentiæ, quæ fuit in Christo, nec Petro, nec Papæ communicatam fuisse. Eodem pacto licèt omnes Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiæ *Apoc. 21. & ad Ephes. 2.* quia toto orbe terrarum Ecclesias fundârunt & instituêrunt, istas isti, alias alii, illísque æquè ac Petro revelata sunt immediatè à Deo fidei & Religionis nostræ mysteria, quæ voce & scriptis ubique terrarum docendo Ecclesiam fundârunt, Petrus tamen specialissimè, magnáque cum prærogativa fundamentum Ecclesiæ à Christo constitutus est, quia & caput erat Apostolici Collegii, & ùt Pastor non tantùm delegatus ad plenitudinem causarum ùt ceteri Apostoli, sed ordinarius, & potestatem suam ad successores transmissurus, sicq; non tantùm semel, aut initio Ecclesiæ nascentis, sed semper, & quamdiu illa duraret, fundamentum in successoribus suis facturus, quod omnes Catholici docent, credúntque. Audi S. Hieronymum *l. 1. contra Jovian. Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesia fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut schismatis tollatur occasio.* Et plane æquum fuit Petro ante alios Apostolos Christi divinitatẽ tam promptè constantérque testanti majorem etiam quàm illis potestatem concedi, ùt ipsa Christi verba ostendunt Petrum tantùm alloquentis, & omnia in illius laudem, fidem & remunerationem flectentis.

Notandum 3. Hanc Petri dignitatem, summiq; Pontificis munus non fuisse cum ipso Petro extinctum, sed ad ejus successores Romanos Pontifices dimanâsse, quod est de fide, & in Concilio Constantiensi *sess. 8. 15. & 27.* definitum, traduntque omnes SS. Patres, ùt videre est apud Bellarm. *l. 2. de S. Pontif.* Suar. *de fide d. 10.* & ex perpetua summorum Pontificum successione constat, de qua S. Leo *ser. 2. de Anivers. Assumpt sua. Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in acceptafortitudine Petræ perseverans, susceptа Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat videl. Petrus & vivit in successoribus suis.* Et ipsa ratio idem evincit; non enim semel tantùm & initio constructionis Ecclesia fundamento capite, Pastore indiguit, sed semper multóque magis Christo & Apostolis abeuntibus, gratiâ miraculorum restrictâ, & tanto agmine hæreticis Ecclesiam, & maximè Romanos Pontifices

tifices incurrentibus, ut videl. quod eleganter dixit B. Cyprianus *l. 1. ep. 3. Gubernatore sublato atrociùs atq; violentiùs circa naufragia Ecclesiæ hostis grassetur.*

Hisce prænotatis, quæ negari salvâ fide non possunt, facilè jam fuerit ex allegato textu *Matth. 16.* superioritatem Pontificis Romani supra Concilium ostendere. Romanus Pontifex successor Petri fundamentum est non unius vel alterius Ecclesiæ, nec omnium Ecclesiarum sigillatim tantùm & sparsim sumptarum, sed absolutè Ecclesiæ Christi, ergo multò magis Concilii universalis, quod non est propriè, sed repræsentativè tantùm Ecclesia Christi; quod verò repræsentat, semper minus est repræsentato quà tali; si ergo est fundamentum Ecclesiæ & Concilii Romanus Pontifex, ab hoc Concilium, non ipse à Concilio pendebit, soliditatem & firmitatem in rebus fidei Concilio dabit, non accipiet: & Concilio nutante, ùt olim Ariminense, & Ephesinum secundum, ipse stabit durabitque, ùt Petram decet, nisi fortè fundamentum aliquod fingas, quod non sustentet, sed sustentetur, quod non portet, sed portetur, hoc est, fundamentum non fundamentum, petram non petram, &c.

Si Petrus ipse Concilio assideret, aut aliàs in Ecclesia versaretur, nemo utique negaret, in rebus fidei decidendis illum omni Concilio potiorem fore, nec ullius auctoritatis aut momenti Conventum futurum, qui Petro contradiceret; idem ergo de summo Pontifice dicendum est, licèt enim non eadem sit persona Inocentii & Petri, eadem tamen est potestas, auctoritas, sacérque principatus, & utérque fundamentum Ecclesiæ.

Quando Christus Petro, ejusque successoribus dixit: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; vel hoc dixit Petro summoque Pontifici ùt ab Ecclesia distincto, ejúsque capiti, vel Petro ùt Ecclesiam repræsentanti, ita ut promissio tota in Ecclesiam dirigeretur? si primum, ergo Petrus ejúsque successores independenter ab Ecclesia & Concilio sunt fundamentum & firmamentum Ecclesiæ, & Concilium à Papa separatum tantum valebit, quantum domus à fundamento divisa. Si secundum dicas, verba scripturæ apertè torquentur, cùm Christi verba & promissio in solum Petrum dirigantur: immo & ridiculus evadit sensus, & perinde est, ac si

ac si dicat Christus: *Fundabo Ecclesiam super Ecclesiam*: quid enim est aliud Petrus repræsentans Ecclesiam, quàm ipsa Ecclesia in Petro repræsentata? & quid possit dici à vera ratione & communi loquendi modo alienius, quàm Legatum, qui repræsentat Regem, esse fundamentum Regis; aut imaginem Palatii esse fundamentum, cui Palatium imponitur? cùm contrarium potiùs dicendum sit. Verum quidem est, eam permissionem fuisse non soli Petro factam, sed toti Ecclesiæ, quia sicut fundamentum non est propter se, sed propter domum; nec Rex propter se, sed propter Regnum; quamvis nec fundamentum à domo pendeat, nec Rex à Regno; ita potestas & sacra Petri Monarchia non est propter Papam, nec in ejus gratiam & utilitatem principaliter instituta, sed Ecclesiæ: sic tamen, ut ab hac non dependeat, & hæc ipsa independentia cedit in Ecclesiæ bonum, sicut independentia Regis à Regno, & Gubernatoris à nautis, & navigantibus istorum salus & emolumentum est: perirent si imperarent: & in hoc sensu verum est, Petrum repræsentâsse Ecclesiam, ùt optimè animadvertit D. Aug. *Tr. ult. in Ioann. & in Psalm 108. & serm. 13 de verb. Domini.* nec aliud voluit ubi scripsit: *Petrum Ecclesiæ figuram gessisse, eámque repræsentâsse. Tr. 50 in Ioan. l. de doctr. Christ. c. 17. & de agone Christi c. 30.* Denique animadvertendum est, non dixisse Christum: *Tu es Petrus, & te super Ecclesiam ædificabo, sed Ecclesiam super te*: jam verò si Concilium prævalet Petro, & istum docet, corrigit, judicat punitq; , Concilium esset Petra, non Petrus; dicendumque esset: Concilium est Petra, & super hanc Petram ædificabo Vicarium meum. Volve revolve sacram Paginam, sanctosque Patres quantum voles, nunquam invenies Petrum ædificari super Ecclesiam: claves Ecclesiæ committi super Petrum: Petrum pascendum aut docendum commendari: sed semper contrarium, ut proinde mirari subeat, ubi hanc dicendi phrasin modúmque didicerint; *Concilium est supra Papam*, hoc est, oves sunt supra Pastorem, discipuli supra Magistrum, & fundamentum gestatur à domo.

Eandem probandi energiam habent alia verba, quæ sequuntur *Matth. 16. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Per claves significatur summa potestas

tum

tum ordinis tum jurisdictionis in totam Ecclesiam, quam notâ & familiari in Evangelio phrasi *Regnum Cœlorum* Christus vocat, teste B. Gregorio *homil. 12. in Evangel.* Clavibus potestatem significari & dari, habemus *Isaiæ c. 22. Apoc. 3. & 1.* & passim in jure notum est ex *l. Clavibus 74. de contrah. empt.* & *§. 45. Instit. de R. D.* habetque communis usus modúsque agendi; cui enim claves horrei vel thesauri trado, liberam utique committo potestatem claudendi, aperiendi, excludendi, admittendi, &c. cur enim aliàs traderem? & hæc clavium promissio (nam actualiter traditæ sunt claves Joannis *ult.* Christo à mortuis regresso) specialiter adeo in Petrum directa est, ut videatur Christus expressis Petri nomine, cognomine, Patre, pronomine demonstrativo, dictione copulativa, aliisq; characteribus, anxiè laborâsse, ne alteri videretur claves supremamque potestatem promisisse: *Beatus es*, inquit, *Simon filius Jona, & ego dico tibi, quia tu es Petrus: & tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c.* Quid plus agere aut scribere posset notarius, ut nomen proprium certæ alicujus personæ in instrumento publico exprimeret? & quamvis *Matth. 18.* & *Joann. 20.* etiam reliquis Apostolis collata fuerit potestas ligandi, solvendi, remittendique peccata, nunquam tamen commissæ claves regni Cœlorum: ut intelligas, potestatem ligandi & solvendi ad Episcopos aliosque Sacerdotes, limitatè tamen, & pro determinatis Ecclesiis pertinere; sed claves totius Regni Cœlorum soli Petro ejusque Successoribus commissas fuisse. Sicut enim aliud est claves ærarii, aliud pecuniam ex ærario habere: illud plenitudinem, hoc portionem tantùm potestatis ostendit: Ita aliud est claves habere Regni Cœlorum, aliud potestatem ligandi, solvendi; hoc partem; illud totum significat. Audi beatum Hilarium & expende *in Matth. 16. O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur: cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in Cœlo.*

Si ergo Pontifici non Concilio traditæ sunt claves regni cœlorum, major utiquè potestas aperiendi claudendique penes Pontificem, quàm Concilium est, nec poterit Concilium aperire quod Pontifex clausit; claudere quod aperuit: quomodo enim aperiat claudátque sine clavibus; aut si claves etiam in Pontificem habet, ostendat, unde acceperit, & ubi Christus dederit Concilio, aut

Eccle-

Ecclesiæ claves & auctoritatem in Papam, dixeritque: *Dabo tibi claves in Petrum*; Sicut Petro dixit: *Dabo tibi claves in Ecclesiam, & Regnum Cælorum*, & consequenter etiam in Concilium; nec enim Concilium majus est Ecclesiâ, quam repræsentat, sicut nec Principis Legatus, aut Procurator, major ipso Principe. Si ergo Papa claves habet Regni Cœlorum & Ecclesiæ, quod nemo Catholicorum negat, sicut de Petro negare non potest, ergo etiam, & multò magis habet claves Concilii, poteritque quod hoc clausit ligavitque, aperire & solvere. Patrum testimonia, quæ huc faciunt, suo & proprio loco dabimus.

III. Tertius locus est Lucæ 22. Ubi sic Petrum Christus alloquitur: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Hïc duæ prærogativæ Petri, ejúsque successorum Pontificum notantur. Prima, quòd pro illo specialiter Christus curat, orat, providétque, ne illius fides deficiat, cùm enim jam destinatus esset fundamentum, Pastor, capútque Ecclesiæ, major illi cura imponditur, quia illius error & casus in doctrina fidei omnium error & casus esset, nec primâ cathedrâ errante, alia major cathedra esset, quæ primam corrigeret: nec ulla in rectum linea tenderet, obliquâ & inclinante regulâ. Cur verò major esset cura & sollicitudo Christi pro Petro, ut reliquis Apostolis à Satana expetitis, pro hoc solo specialiter & enixiùs oretur, nisi ab isto magis, quàm ab aliis Apostolis Ecclesia & Religio penderet? si Petrus ab Apostolis, Pontifex ab Episcopis & Concilio pendet, & istorum judicium ultima veritatis & fidei regula est; cur non pro istis potiùs, ne deficiant oratur, quàm pro Petro? recta enim ratio & prudentia volunt ea plùs curari, quæ majoris pretii sunt & momenti, ac ne perdantur, plùs custodiri.

Secunda prærogativa illis verbis expressa est, ut Petrus suos fratres, hoc est, fideles omnes conservet, confirmetq;, & consequenter etam Concilia, ea suâ auctoritate congregando, & congregata, si non legitimè procedant, corrigendo, & etiam dissolvendo, ùt factum est in Concilio Ephesino 2. Ariminensi, Basileensi &c. Confirmare autem ad eum pertinet, qui majoris auctoritatis,

& potestatis est, ùt patet in confirmationibus omnium electionum, alienationum, testamentorum, &c. Ceterum ne quis putet nostram hanc esse tantùm textûs Evangelici explicationem, audiendus est S. Leo *serm. 3. suæ Assumpt. Quoniam Diabolus*, inquit, *omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura eligitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, &c.* Et B. Theodorus Studites *epist. ad Paschalem PP. Audi Apostolicum caput, pastor omnium Christi à Deo electe, claviger Regni Cœlorum, Petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica. Huc ades ab occidente, tibi namque dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Cùm verò hoc duplex privilegium Petro concessum fuerit ob bonum Ecclesiæ, átque ut fratres suos confirmaret, à Sathana impugnatos, & hæc utilitas, immo necessitas Ecclesiæ, & impugnatio Sathanæ semper duret, oportuit & illud privilegium in successoribus perpetuari, perpetuo Duce contra perpetuum hostem instructo; Concilium enim generale nec semper haberi potest, multisq; modis impeditur, ùt in primitiva Ecclesia, primis trecentis annis: & etiam celebrato quàmplurimæ exceptiones opponi possunt, nec quod legitimum fuerit, aliter quàm ex testimonio S. Pontificis constat: adeò ut in quamcunque partem te vertas, necessitatem summæ potestatis in Romano Pontifice negare haud possis. V. circa hunc textum Lucæ Alfonsum Salmeronem *T. 12. Tr. 19.* Et Agathonis dogmaticam epist in 6. Universali synodo recitatam, & instar Oraculi acceptam. *Act. 4.* ubi hunc textum Lucæ eodem modo, quo nos, Agathò explicavit.

IV. Quartus locus scripturæ Joan. *ult. Cùm prandisset*, inquit Joannes, *dicit Simoni Petro IESUS: Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce Agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? ait illi: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce Agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nôsti, tu scis quia amo te. Dixit ei: pasce Oves meas.*

Circa hunc locum, ut bene intelligatur, *notandum est primò*: Hæc verba Christi: ***Pasce Oves meas***, ad solum Petrum spectare dirigique, quibus quæ Matthæi 18. promiserat, actualiter præstat. Cum solo enim

enim Petro loquitur, solum examinat, responsum à solo accipit, aliósque Apostolos à summa & Monarchicâ potestate excludit, & inter oves Petro commissas ponit, etant enim præsentes Jacobus, Joannes, Thomas, quos cùm Petrus amore vinceret, vicit etiam potestate pascendíque curâ, & ita Catholici omnes & Patres sentiunt.

Notandum est 2. Per illam vocem: *Pasce*: summam potestatem omnémque pascendi curam fuisse commendatam. Actus enim Pastoralis non tantùm est præbere cibum; sed etiam ducere, reducere, compellere, abigere, tueri, mederi, secare, &c. & quidquid denique ad procurandas Oves spectat, &c. Immo usitatissimâ phrasi Scripturæ pascere, & præsertim verbum græcum, quo Joannes utitur, ποιμαίνω, significat jurisdictione uti regendo, præsidendo, gubernando, &c. ùt patet Isaiæ *44. v. 28. Qui dico Cyro, Pastor meus es tu.* Et Ezechielis 34. ubi eleganter functiones mystici Pastoris describuntur. Et *Psalmo 2.* ubi legimus: *Reges eos in virga ferrea*: Græcus & Hebraicus habet: *Pasces eos.* Eodem modo Matthæi 2. ubi noster habet: *Exiet mihi Dux, qui regat Populum meum Israël*: Græcus habet: *qui pascat.*

Notandum 3. cùm Christus dicat: *Pasce oves meas*, nec exprimat quas, commisisse omnes pascendas: cur enim potiùs istas, quàm illas, cùm nullas in specie notet, aut excipiat? quæ ergo sunt oves Christi, sunt etiam oves Petri, nec illum Pastorem habere possunt, qui Petrum non habent. Audi B. Leonem *serm. 3. de assumpt. sua. De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctísque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, & si quid commune cum eo ceteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* S. Bernardus *lib. 3. de considerat. c. 7. Tu*, inquit, *es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli janitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs utrumque præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & in discretè totæ commissæ sunt oves? si me amas Petre,*

Pasce oves meas. Quas? illius vel illius, populos civitatis aut regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit, *Cui non planum, non designâsse aliquas, sed adsignâsse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes ceteri condiscipuli erant, cùm committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege & uno pastore secundum illud: Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate, inde est quòd alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Jacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, unà contentus est Hierosolymâ, Petro universitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille: nam dictum est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo juxta Canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominus prærogativam confirmat tibi. Discipuli navigabant, & Dominus apparebat in littore: quòdque jucundius erat, in corpore redivivo. Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, aliis navigio pervenientibus. Quid istud? Nempe signum singularis Pontificii Petri, per quod non navem unam, ut ceteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum est: naves, Ecclesiæ. Inde est, quòd alterâ vice instar Domini gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis, facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa.*

Et Innocentius III. *in c. sollicitæ de Majorit. & obed. Nobis autem in B. Petro sunt oves Christi commissæ dicente Domino: Pasce oves meas: Non distinguens inter has oves & alias, ut alienum à suo demonstraret ovili, qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret.*

Hoc ipsum videtur Ezechiel prædixisse *c. 34.* Ubi: *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem*, & Joannis 10. *Ego sum Pastor bonus. &*

alias

alias oves habeo, & fiet unum ovile, & unus Pastor. Quæ omnia licèt de Christo primariò dicta sint, pertinent tamen etiam ad Petrum, ejúsque successores, qui sunt Pastores Vicarii, non Principales. Sicut enim ovile est perpetuum, ita & Pastor; nec minùs jam oves Pastore indigent quàm olim, lupis æquè grassantibus. Et quamvis absolutè loquendo potuisset Christus sine visibili Pastore Ecclesiam suam ovésque regere, cùm nullius creaturæ auxiliô ad producendos effectus cùm gratiæ tùm naturæ indigeat; sicut potuit sine Sole mundum illustrare, sine igne calefacere, sine sacramentis sensibilibus gratiam suam & fidem largiri, sine gubernatore navim ad portum ducere, sine militibus victorias dare, hoc tamen Deus nunquam fecit, nec mundum immediatè, sed per alias creaturas rexit, homines præsertim, ùt planè in providentiam divinam alium novúmque ordinem inducat, qui dicit visibilem ejus Ecclesiam à nullo visibili Pastore regi; Et visibili huic corpori, invisibile tantùm caput esse: nec ad Concilium confugias; quia non huic, sed Petro dictum est: *Pasce oves meas.* Nec possunt tot Episcopi unus Pastor appellari: maléque suis ovibus providisset Christus, Pastore dato tam difficilis conventionis, & cui, ne accurat, tot impedimenta moræque opponi possunt, vagis interim ovibus; & lupo, dum Concilium paratur expositis.

Ex hoc Joannis loco facilè multísque modis apparet, quantum Romanus Pontifex Concilio præstet. Aut enim Episcopi in Concilio universali oves Christi, aut ovile, aut Pastores universæ Ecclesiæ sunt: nam particulares esse haud negamus. Si oves aut ovile sunt: ergo unum & visibilem Pastorem habent, cui subsunt, cui obediunt, quem sequuntur: quem alium, præter Petri successorem? nisi dicant, se oves esse sine Pastore, & consequenter nec Christi; hic enim ovibus suis Pastorem dedit: *Petre amas me? Pasce oves meas*: nam quas non pascis, non sunt meæ. Si verò Concilium Pastor est: imprimis quomodo unus Pastor tot Pastores? quomodo omnes Christi oves Petro datæ, si tot exceptæ? nec exceptæ tantùm, sed Petro antepositæ? aut hanc pascendi ipsum Pastorem, hoc est, Petrum, à Christo acceperunt, aut non acceperunt potestatem? si non accepernnt, non ergo habent: si acceperunt, ostendant, quando, & quo loco, & quo in Evangelio dicatur

Concilio: *Pasce Petrum, ejusque Successores*: si enim apud Jurisconsultos pudor est, cùm sine lege loquuntur, multò magis apud Theologos, cùm sine Evangelio. Si dicas, Petro fuisse omnes oves Christi commissas sigillatim sumptas, non vero collectas, & Pontificem esse super omnes Episcopos seperatim, non verò super omnes collectim, & in Concilio congregatos.

Respondemus, hanc distinctionem nullo Evangelii, aut sacræ scripturæ testimonio niti: est verò absurdum in re tanti momenti, perinde ac in controversia aliquâ philosophica, & ingenii exercendi causâ, tam claris scripturæ locis distinctionem opponere plane voluntariam, nec in scripturis, nec in Patribus repertam; quasi verò hâc semel admissâ philosophandi ratione, tàm clarè aliquid à scriptura dicatur, quod non facile in tuam sententiam torqueas. Immo scripturæ hæc explicatio repugnat: Pastoris enim est ovibus non tantùm palantibus vagisque, sed etiam collectis imperare, ipsumque gregem in custodiam accipere; alioquin eodem modo, majorique ratione dicendum erit: Episcopos singulis quidem suæ Diœcesis Sacerdotibus majores esse, sed non omnibus congregatis, & ita Synodo subesse, ab eaque judicari posse, legesque accipere; sicut enim se habet Episcopus ad Sacerdotes, ita Pontifex ad Episcopos.

Deinde cum Christus Petro oves suas committit, id utique præstitit, quod *Matth. 18.* promiserat: ibi verò promiserat supra Petrum ædificare non Ecclesias tantum particulares, sed totam, & universam, hoc enim significant illæ voces: *Ecclesiam meam: Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Rex cum in Provinciam Vicarium mittit, aut proregem, ejúsque fidei Regnum subditosque commendat, & singulos, & omnes conjunctim commendâsse intelligitur, adeò ut nulla statibus & comitiis generalibus in Vicarium sit potestas. Ridiculum planè dixeris Imperatorem, cui singuli tantum milites, non exercitus pareat. Qui contrariam sententiam tuentur, vel hoc ipso imbecillitatem causæ suæ produnt, quòd nec ipsi scripturæ locum aliquem producunt, ex quo appareat, datam Ecclesiæ in Petrum potestatem: & contra se productos non possunt declinare, nisi miserè & in alienos sensus torqueant.

V. Quintus locus scripturæ habetur in actis Apostolorum *c. 15.* ubi

ubi ortâ quæstione, an fideles recens ad Christum conversos oporteret circumcidi? missi sunt Paulus & Barnabas, qui Collegium Apostolicum consulerent: *Statuerunt*, inquit sacer textus, *ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem super hâc quæstione, conveneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret de verbo hoc, surgens Petrus dixit ad eos: Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo.*

Vides in hoc primo & præcipuo Concilio, hoc est Apostolico, Petrum non exspectatis aliorum suffragiis sententiam proferre, & Concilio, quid credere & facere oporteat, præscribere: illa enim verba: *Quid tentatis Deum &c.* non tantùm sunt consulentis, sed omnino præscribentis, & definientis: quam sententiam totum Concilium communi omnium silentio veneratum est, comprobavítq;, quasi lite jam finitâ, nec dubium aliud admittente: est enim dignum animadversione, quod notat scriptura, antequam Petrus decerneret, acriter in Concilio disputatum esse: cùm autem magna conquisitio fieret &c. Sed Petro sententiam elocuto, silentium omnibus oppositum, causamque absolutam: *Tacuit autem omnis multitudo.* Jacobus posteà Petri sententiam laudans adjecit: fidelibus imponendum esse, ut à suffocatis, & sanguine, cibisque Idolo immolatis abstinerent, ut tantò faciliùs cum Judæis convenirent, eosque ad fidem provocarent. Nec te moveat Concilium hoc Apostolicum in hæc verba decretum concepisse: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Ubi nulla mentio Petri: nam hæc est omnium Conciliorum phrasis, modusque decernendi, etiam eorum, in quibus constat summos Pontifices præsediſſe, supremamque potestatem exercuisse, ùt patet omnia Concilia legentibus, & ipsum Tridentinum. Cùm enim Pontifex sit caput Concilii, per se notum est, quidquid à Concilio decernitur, multò magis à capite decerni, nec opus est aliâ expressione. V. D. Hieronymum *in epist ad Augustinum*, quæ inter epistolas Augustini est undecima, ubi dicit: *B. Petrum fuisse Principem Decreti in hoc Concilio Apostolico editi, in ejúsque sententiam Iacobum Apostolum, omnesque Presbyteros transivisse.* Idem habet Tertull. *l. de Pudic.*

Si ergo Petrus in Concilio Apostolico, ubi omnes Spiritu sancto ple-

cto pleni erant, & erroris incapaces, causam solus definit, aliisque silentium imponit, quis negat hanc illi potestatem in Concilio, ubi nec Apostoli sedent, nec ab erroribus liberi?

VI. *Sextum argumentum* sumitur ex variis scripturæ locis, in quibus status Ecclesiæ Monarchicus, unique capiti & sacerdoti subjectus aperte ostenditur: nam Oseæ 2. & in Cant. ac Apocalypsi Ecclesia frequentissimè comparatur sponsæ: Cant. 6. exercitui ordinato. Matth. 3. 4 5. & passim in Evangeliis Regno. Joan. 10. Ovili. 1. ad Corinth *cap.* 12. & ad Roman. 12. Corpori humano &c.

At vero negari non potest, sponsam marito subesse, exercitum duci, regnum regi, Ovile pastori, & corpus capiti. Nec invenies in sacris litteris Ecclesiam aliquando rempublicam vocrai, sed tantùm regnum, familiam, domum, &c. ut intelligas supremam in Ecclesiâ potestatem penes unam non plures esse.

Septimum argumentum ex sacris litteris sumitur à sensu negativo. Est enim in utroq; jure receptissimum axioma: *Regulæ inhærendum esse, donec contrarium vel exceptio probetur: Nec recedimus à regula, donec contrarium probetur l. ab ea parte. ff. de probat. l. apud antiquos C. de furt. c. 2. de conjug. Leprosor. c. ad decimas de restit. spoliat. in 6.* ubi glos. quod maximè verum habet in sacris Scripturis, illisque quæ dependent ex solâ Dei voluntate & institutione, quod eleganter more suo tradit S. Thom. *in 3. p. q. 1. a. 3.* Sed nullibi reperiemus in sacris libris fuisse Ecclesiæ aut Concilio in Petrum datam potestatem: quo ergo fundamento hoc asseritur? nam locus ille Matth. *18. v. 15. Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*: nihil planè probat, cùm ibi nec de Papa, nec de Concilio generali sermo sit, oporteret enim quotidiè cogi Concilia ad fratrum peccata deferenda & corrigenda: Cùm ergo Christus toties Petrum Ecclesiæ præficiat, Ecclesiam verè nunquam; non videmus, quâ tandem ratione fieri possit, ut quod Christus & Scriptura toties & tam clarè dicit, negetur, quod nunquam dicit, affirmetur: sumus Pontifex *Solus permittitur sanctuarium ingredi, & in dubiis Deum consulere: solus Oraculum in pectore gestat, & sententiam dicit: at gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo in conspectu Domini semper.* Exodi 28. *Et qui ejus præcepto non obedierit, mori jubetur*: soli Pontifici dicitur, *fundabo super te Ecclesiam meam*: Soli: *Confirma fratres tuos*: Et *si amas me: Pasce oves meas*, non has vel illas, sed meas, hoc est omnes.

De Con-

De Concilio ne apex quidem: nulla ergo ratio permittit, ut, quod scriptura nunquam dicit, nos dicamus; & quod toties, tantaque cum cura dicit, nos negemus.

§. V.

Conciliorum testimonia, quibus se Pontifici submittunt.

Summaria.

1. *Papam Concilio superiorem esse, an in Conciliis antiquis & Patribus aliquando definitum?*
2. *Synodi Romanæ testimonium.*
3. *Et Nicænæ*
4. *Et Constantinopolitanæ.*
5. *Et Ephesinæ.*
6. *Et Chalcedonensis.*
7. *Et secundæ Constantinopolitanæ.*
8. *Et tertiæ Constantinopolitanæ.*
9. *Et secundæ Nicænæ.*
10. *Et octavæ Oecumenicæ*
11. *Et Concilii Lateranensis sub Alex. III.*
12. *Et Lugdunensis sub Gregorio X.*
13. *Et Constantiensis.*
14. *Et Florentini.*
15. *Et Lateranensis sub Leone X. à Rege Galliarum recepti.*

I.

PRænotandum est, litem hanc ultimis sæculis Pontifici motam esse, ab eo videl. tempore, cùm schismata Ecclesiam infestârunt, natæque hæreses in Pontificem

armatæ. Tunc enimverò signa collata, & Concilium cum Papa commissum: dispari quidem Hæreticorum & Catholicorum intentione, istis schismatis finem, illis principium quærentibus. Nemo proinde mirabitur, si nec in antiquis Conciliis, nec in Patribus hæc propositio in terminis formalibus reperitur: *Papa major est Concilio.* Invenitur tamen in terminis æquivalentibus, cùm videl. dicunt: *Papam esse judicem Concilii: Esse Pastorem Concilii, & universalis Ecclesiæ: præscribere Concilio leges, & posse illius acta rescindere: à Concilio posse ad Papam appellari, non verò à Papa ad Concilium: Papam à nemine, præter Deum judicari posse, &c.* hæc enim omnia superioritatem dicunt, & à nobis sigillatim expendentur.

II. *Anno igitur CCCXXIV.* Constantini M. XIX. in thermis Trajani celebrata est Romæ à Sylvestro Papa Synodus præsente Constantino Imperatore recens baptismi aquis abluto. Helenáq; Matre & Episcopis Græcis Latinisq; 284. aut secundum alios ducentis triginta: quo in Concilio *c. ultimo* definitum est: *Romanum Pontificem omnium mortalium judicem à nemine judicari posse; immo ne quidem ab omni Clero*, hoc est, Concilio: nec enim omnis Clerus alibi quàm in Concilio universali ad judicium colligitur. Quo decreto manifestè Primatus Papæ supra Concilium ostenditur: nam si infra Concilium esset, ab hoc judicari utiq; posset. Et quamvis hoc Concilium universale non fuerit, nobis sufficit ostendere, jam initio Ecclesiæ florentis, ubi sanguis adhuc martyrum calebat, submotâ procul adulatione, vastique dominatûs libidine sanctissimum Pontificem, & florem Græci Latinique Sacerdotii nobiscum sensisse. Verba synodi sunt *cap. ult. Nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari: nèque ab Augusto, nèque ab omni Clero, néque à Regibus, néque à populo judex judicabitur.* Et subscripserunt *ducenti octaginta quatuor Episcopi & 45. Presbyteri, & 5. Diaconi & Augustus Constantinus, & Mater ejus Helena, & fixit Canonem hunc Sylvester Episcopus in urbe Roma & omnibus Episcopis asperfit. Actum 3. Cal. Junii Domino Constantino Augusto tertium, & Prisco Consule.* Habetur *Tom. 1. Concil. in collectione Veneta fol. 600.* Meminit hujus Canonis Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem.

III. *Anno CCCXXV.* juxta calculum Baronianum celebrari est cœpta Nicœna synodus omnium celebrima, durayitque in annum

num tertium. Præsentes Episcopi 318. magnam partem sanctitate & doctrinâ clarissimi. Præsiderunt Romani Pontificis nomine Osius Episcopus Cordubensis, Victor seu Vitus atque Vincentius Romani Presbyteri, adfuitque Constantinus. Causa Concilii vocandi, hæresis præsertim Ariana palàm & cum insignibus prodire ausa: & error Quartadecimanorum, qui Judaico more non Dominico die Pascha, sed Lunâ decimâ quartâ, in quamcunque diem incidissent agitabant. Inter multa miracula, quæ Philosophis expugnandis (nam & hos magno numero Arius conduxerat) patrata sunt, illud celebre, quod Nicephorus recitat *lib. 8. c. 23.* Mortuis ante subscriptionem duobus Episcopis Chrysantho & Musonio, ad illorum tumbam volumen Canonum delatum esse, petitúmque, ut si à Patribus sancita Deo cordi essent, ipsi quoque subscriberent: sigilla, ne fraus aliqua fieret, libro apposita, & nox inter preces traducta. Albente sole, sigillisque intactis, reperta in hæc verba defunctorum subscriptio: *Chrysanthus & Musonius quamvis corpore translati, manu tamen propriâ nos quoque libello subscribimus.* Refert hanc historiam præter Nicephorum Gregorius Presbyter Cæsariensis *in Oratione de magna synodo Nicæna apud Lipomanum tom. 6. Videantur acta Concilii Nic. tom. 1. Concil. lib. 4. fol. 596. & seqq. Venetæ edit.*

Hoc ergo Concilium non contentum ea, quæ Patres decreverant, tot miraculis à Deo fuisse confirmata, datâ synodali epistolâ ad Sylvestrum acta Concilii transmittunt rogantque, ut indicto Romæ Concilio ea confirmet, roborétque, nec enim satis firma esse, nisi ille accedat. Epistola sic habet: *Beatissimo Papæ urbis Romæ Osius Episcopus Cordubensis & Macarius Episcopus, &c. Quoniam omnia corroborata de divinis Mysteriis Ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ Catholicæ explanata, & de Græco redacta scribere confitemur: nunc itaq; censeat vestra Apostolica doctrina, Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis in unum convenire, vestrúmque habere Concilium, ut firmetur nostra sanctimonia, gradúsque fixos vel textus ordinationis tuæ sanctimoniæ nostræ possit habere regula. Quidquid autem constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Sylvester coactâ Synodo Nicænum Concilium confirmat, anathemate in eos, qui aliter crederent pronuntiato, ùt patet ex Concilio Romano, quod habetur post Synodum Nicænam *Tom. 1. Conciliorum & epist. Synodali 4.* Felicis Papæ III. ubi: *Domino ad beatum*

Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: eam vocem sequentes trecenti decem & octo SS. PP. apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sacræ Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Inter Canones Concilii Nicæni 19. & 29 ita sonant: *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad Matrem confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) fulciantur, defendantur, & liberentur, cujus dispositioni omnes Majores Ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum, eorumque successorum, atque Canonum auctoritas reservavit.* Et in Canonibus ex Arabico translatis *Canon. 39. Qui tenet sedem Romæ, caput est & Princeps omnium Patriarcharum; quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est Potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorū, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

Hos Canones legitimos esse, & antiquitati notissimos, patet ex *Epistola 1. & 2.* Julii Primi, (qui electus est anno CCCXXXVI. secundo à Sylvestro, & Nicænæ Synodo proximus,) quas dedit ad Synodum Antiochenam: & epistola Liberii, qui Julio successit, ad Athanasium aliosque Episcopos Alexandriæ congregatos. (a)

Nec obstat, hos Canones non inveniri inter viginti Canones à Rufino recitatos; certum enim est Canones Nicænos fuisse 70. ex epistola S. Athanasii *ad Marcum, Sylvestri in Pontificatu successorem: & responsoria ejusdem Marci ad Athanasium: & ex Julii 1. epistola 2. ad Synodum Antiochenam.* Ex quibus etiam epistolis constat, Arianos acta Nicæni Concilii flammis tradidisse, adeò ut oportuerit S. Athanasium illa ex scriniis Romanis petere. (b)

Si ergo ex sententia, exemploque S. Nicænæ synodi, sine consensu & confirmatione Romani Pontificis Concilia non valent: si majores causæ ad Pontificem deferri debent: si Papa est super universos populos, & universam Ecclesiam Christianam; sequitur, omnino esse supra Concilium universale. Concilium enim, maximè Pontifici oppositum, ejusque auctoritate destitutum, minoris est au-

(a) Vide Franciſc. Turrianum procemio in Canones ſynodi Nicæn. quod habetur Tom. 1. Concil. in actis Concil. Nicæni.

(b) Vide laudatum Turrianum, & acta Concilii Nicæni l. 3. circa initium.

est auctoritatis, quàm omnes populi & tota Ecclesia Christiana : nec enim Concilium est Ecclesia universalis, sed tantum repræsentans, & hoc ipso infra Ecclesiam; sicut legatus Principis infra Principem, omnisque imago hominem repræsentans infra hominem ; si ergo Papa est super Ecclesiam Christianam universalem, multò magis supra Concilium. Si, ùt dicunt adversarii, tota potestas & auctoritas Papalis Concilio universali inest, etiam ùt à Papa distincto ; quid ergo opus confirmatione Papali tam longè, tam anxiè petitâ, tantóque cum apparatu datâ ? minor enim recipit quidem, sed non confirmat voluntatem & præcepta majoris: confirmatio enim arguit superioritatem, ùt patet in omnibus, electionum, alienationum, & testamentorum confirmationibus, quæ à superioribus fiunt. Et verò has summorum Pontificum confirmationes non fuisse tantùm particulares, & ad melius esse, sed plane necessarias, & auctoritativas, patet vel ex ipso historiæ contextu, estque expressum *in c. regula d. 17.* ubi Julius Papa, *in epist pro Athanasio ad Orientales 129 Episcopos : Regula vestra*, inquit, *nullas habet vires, nec habere potest, quoniam nec ab Orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatus interfuit, Canonibus præcipientibus, sine ejus auctoritate Concilia fieri non debere. Nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate.* Similia habentur *in c. bene d 96. c. confidimus causa 25. q. 1. Epist. Leonis II. ad Constantinum quæ habetur ad finem sextæ Generalis Synodi.* Ex quibus omnibus & infrà dicendis patet, fuisse rejecta, nec pro validis habita, quæ Romani Pontifices aut non admisissent, aut non confirmâssent. Ipse Osius Romani Pontificis Legatus, ex Sylvestri Papæ sententia, omnia hæresis Arianæ capita prætruncavit, teste Athanasio *in epistola ad solitariam vitam agentes*, & classicum Patribus cecinit, recitato symbolo, quod posteà Nicænum dictum est ; ad cujus normam canones, & decreta sancita. Vide epistolam S. Athanasii *ad solitariam vitam agentes* : ubi expressè hoc testatur.

Hæc omnia superioritatem notant ; præfinire enim Concilio, & velut præjudicium figere, superioris utique est ; ad quod alludens beatus Hilarius in Matthæum *Canon. 16. O beatus*, inquit, *cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in Cœlo.* Si ex sententia Hilarii judicium

Petri præjudicata auctoritas in cœlis eſt, multò magis præjudicata auctoritas fuerit in Concilio

Anno CCCLXXXI. Agi cœpta ſecunda ſynodus Oecumenica, quæ fuit prima Conſtantinopolitana, Damaſo Papâ & Theodoſio Magno Imperatore. Adfuêre Epiſcopi Orthodoxi 150. Ariani & Macedoniani 36. teſte Nicephoro *in hiſtor. Eccleſiaſt.* Cauſa vocandi Concilii præcipua fuit, ut Synodus Nicæna confirmaretur, & Macedoniani auctoritate Concilii in viam redirent, ſpe aliquâ exitum ſpondente. Conveniſſe Synodum auctoritate Damaſi Pontificis certum eſt ex geſtis ejuſdem Damaſi apud Baronium *ad hunc annum*, ejuſdémque Damaſi epiſtola apud Theodoretum *lib. 2. c. 22. & lib. 5. c. 9.* eâdémque Damaſi auctoritate fuiſſe confirmatum in iis, quæ ad fidem pertinent, tradit Photius *in libello de 7. Synodis.* Quæ in hoc Concilio, quoad fidem moréſque ſtatuta fuerint, videri poteſt in actis Concilii Conſtantinopolitani *tom. 1. Conciliorum.*

In hac Synodo auctoritas Pontificis Romani ſupra Concilium ex multis apparuit. 1. Quòd Canonem V. (quo poſt Romanum Epiſcopum Conſtantinopolitano primæ deferuntur, contra privilegium Epiſcopi Alexandrini) Eccleſia Romana non admiſerit, immo expreſsè rejecit Leo I. Pont. Max. ùt videre eſt *Epiſtolâ 53.* ad Pulcheriam Auguſtam, & ad Martianum Imperatorem, quæ habentur in actis Concilii Chalcedonenſis *tom. 2. Concil.* Videri etam poteſt D. Gregorius M. *lib. 6. Epiſt. 31* aliiſque pluribus. Tandem poſt plura ſæcula Innocentius III. publici boni & pacis cauſâ hoc privilegium Conſtantinopolitano Patriarchæ conceſſit, ùt habetur *c. antiqua de privilegiis.* En apertum Pontificiæ poteſtatis argumentum! ſi Concilium præſtaret Papæ, & hujus minor, quàm illius auctoritas eſſet, cur ergo correxit Papa, quod Concilium conſtituit? oportuit planè & Concilium errâſſe, & minoris fuiſſe auctoritatis, alioquin à ſummis Pontificibus, nec judicatum foret, nec improbatum: maximè cùm ipſi Pontifices fuerint ſanctiſſimi, Leo videlicet & Gregorius M. eorúmque hac in re judicium à nullo, ne quidem Imperatoribus & Epiſcopis Conſtantinopolitanis notatum fuit. Videantur acta *Concilii Chalcedon.* 2. In fine hujus Concilii hæc habentur: *Damaſus ad examinanda Synodi Conſtantinopolitanæ acta pro Eccleſiæ Romanæ more & auctoritate Romæ Concilium indixerat, ad quod & Orientales evocati*

evocati Legatos cum purgatione miserunt. Id sequenti anno frequentissimum celebratum est, Concilium Constantinopolitanum confirmatum, & omnes hæreses condemnatæ. Hæc ibi. Neque hoc novum in Concilio Constantinopolitano, cùm idem observarum fuerit circa Concilium Nicænum 1. út ex Epistola synodali supra ostensum. Si ergo Pontifex axaminat acta Concilii, utique major Concilio est; nec enim subditorum est Superioris legem & præcepta examinare, ut admittat repellatve, sed observare: & hoc ipsum examen supponit Concilium errare & falli posse, nemo enim certa examinat. Quodsi examen Pontificis non sit decretorium, & ultimum, nulliq; obnoxium errori, oportebit hoc ipsum à Concilio examinari, & Concilium iterum à Papa, nullo examinum fine. Præsertim cùm actorum Synodalium examinatio, & approbatio adeó sit necessaria, ut sine illis ipsa Concilii acta pro nullis habeantur teste Damaso & Concilio Romano in libello synodico apud Theodoretum *lib 2. c.22.* ubi: *Siquidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini, præjudicii vim habere non debet, præsertim cum formula illa neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus exspectanda erat, neq; Vincentio, neque aliis eidem consentientibus. Itaque vestra integritas manifestò videt hanc fidem solam, quæ auctoritate Apostolicâ Niceæ stabilita est, perpetuò tenendam esse.* 3. Damasus Papa præveniens judicium Concilii Constantinopolitani hæreses Sabellii, Macedonii, & Eunomii prædamnavit, datoque ad Paulinum Episcopum libello, diras & anathematismos in eorum hæreses dixit, ùt habetur *tom.1. Concil. ante Concil. Constantinopol.* jussitque insuper suas in illos sententiam & censuram per Orientis Ecclesias publicari. Non ergo Papa subest Concilio, nec in rebus fidei tribunal aliud exspectat, alioquin nec Concilii sententiam præveniret, nec ab eo decisa vim dogmatis obtinerent: dogma enim fidei omne dubium excludit; at verò si Papa in judicando falli potest, & judicium altius certiúsque exspectat; ejus sententiæ nec dubium excludunt, nec diris & anathematismis priùs armari debent, quàm Concilio causam finiente.

V. *Anno CCCCXXX.* Agi cœpta est tertia Oecumenica Synodus Ephesina contra hæresin Nestorii Episcopi Constantinopolit. negantis Beatiss. Virginem Mariam Theotocon, hoc est, Deipatam appellandam esse, eo quòd duas in Christo Hypostases & Personas

sonas assereret, negaretque Deum humanitati secundùm substantiam unitum esse, sed tantùm secundùm dignitatem & auctoritatem, sicq; Beatiss. Virginem peperisse filium naturâ purum hominem, sed dignitate & auctoritate divinum. Frequens hæc Synodus fuit Episcopis suprà 200. immo teste Cyrillo *epist. 34.* propè trecentis. Collecta est auctoritate Cœlestini I. summi Pontificis, jussuque Theodosii Junioris Augusti, ut ex actis patet. Adfuerunt Concilio Cæsaris Legati Irenæus & Candidianus Comites, non quidem ut Controversiis fidei Cæsaris nomen, suumque miscerent, sed ut vim fraudesque amolirentur, quod eleganter ipse Theodosius ad Patres scripsit, & habetur in Actis *tom. 1. c. 32.* Præsedit Concilio nomine Pontificis Max. Cyrillus Episcopus Alexandriæ, qui & mitram Pontificiam, & titulum Judicis Universi Orbis à Cœlestino accepit, cujus videlicèt personam sustinebat, testis est Niceph. *l. 14. c. 34.* Adjunxit Pontifex alios Legatos Arcadium videl. & Projectum Episcopos, & Philippum S. R. E. Presbyterum, qui ultimus ante Legatos Episcopos Synodo subscripsit, quòd esset Legatus à latere Pontificis Romani, (a) eumq; repræsentaret, alii verò totum Patriarchatum Romanum, Ecclesiamque occidentalem. Videatur Spondanus ad *annum CCCCXXXI. n. 13.* Damnatæ sunt hoc Concilio hæreses Nestoriana & Pelagiana, Nestoriana præsertim tanto omnium ordinum gaudio plausuque, ut Patres Concilio egressos cum triumpho deducerent. Additæ tunc salutationi Angelicæ illæ voces: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.* & à Pulcheria virgine Augusta excitatum in Blachernis, quâ mare Urbem alluit, aplissimum templum, ac Nestorius in exilium actus.

Multa in hoc Concilio facta, quæ supremam Pontificis auctoritatem, & Concilio majorem ostenderunt. *Primò*: Quòd Cœlestinus, non exspectatâ Concilii sententiâ, Nestorium ejúsque opiniones hæresis prædamnavit, idque ùt credimus ad imitationem B. Petri, qui in confessione Divinitatis Verbi divini, in lectione B. Mathiæ, & abrogatione legis Mosaicæ aliorum Apostolorum sententias suo voto occupavit, prævenitque, *Matth. 16. Actor. 1. Act. 15. V. Epist. Cyrilli ad Nestor. inter acta Concilii Ephesini tom. 1. c. 2. & 15. & ipsius Cœlestini Epist. 5. Secundò*: quod eidem Concilio formam & regulam præscripsit, juxta quam nec aliter judicarent, eamque finirent:

(a) Vide Concilium Sardic. c. 7.

rent: Nestorium enim ejusque doctrinam jam hæresis à se notatam esse, nec posse à Concilio ampliùs absolvi. *V. Acta Concil. Ephes. tom. 2. cap. 15. Tertiò*: In hac eadem Synodo Romanus Pontifex caput Concilii, & Patres in Concilio congregati membra acclamantur: legatus enim Apostolicus Patribus in hæc verba gratias egit: *Quòd sanctis suis vocibus, piisque præconiis sancta Ecclesiæ membra sancto suo capiti se exhibuerint.* Ubi vides, Romanam Pontificem non solùm, quod dicunt adversarii, caput esse omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam Concilii, & Ecclesiæ universalis.

Eodem modo *sess 9.* Damnatur hæresis Pelagiana ex præscripto commentariorum, quæ Romæ à Cælestino Papa fuerant scripta. *Vide tom. 4. Concil. Ephes. c. 13.* & *Epist. Synodalem apud Cyrillum 12.* ipsumque Concilium apud Evag. *l. 1. histor. c. 4.* fatetur se Nestorium ex mandato Cælestini deponere: verba Evagrii sunt: *Tum Ecclesiæ Canonibus, tum epistolâ SS. Patris Nostri & collegæ Cælestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessariò compulsi, idq; non sine crebris lachrymis ad hanc severam sententiam contra eum pronuntiandum venimus, &c.* Et Gennadius *de Script Ecclesiast. c. 54.* testatur, *Cælestinum Papam decreta synodi adversus Nestorium dictâsse, volumenque descriptum ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedisse.*

Quartò. Voluit Cælestinus Cyrillum legatum summum Orbis universi judicem appellari, & consequenter etiam Concilii, teste Niceph. *l. 14. c. 34.* Quanto magis poterat ipse Cælestinus sibi hunc titulum legato suo concessum aptare? si enim Cyrillus propter Papam, quem referebat, judex orbis universi, multò magis ipse Papa.

VI. Anno CCCCLI. quarta Oecumenica Synodus primò Nicæam indicta, posteà Chalcedone habita est auctoritate Leonis Papæ, jussúque Martiani Imperatoris; sic enim habet ejusdem Martiani epistola ad Leonem I. Pontificem, actis Concilii præfixa *tom. 2. Concil. in præambulis.* Interfuerunt Synodo sedis Apostolicæ Legati 5. Paschasinus, Lucentius, Bonifacius, Basilius, & Julianus: Episcopi alii 630. & subinde Martianus & Pulcheria Augusti. Causam tam celebri Concilio hæresis Eutychiana & Dioscorus Alexandriæ Episcopus dederunt. Eutyches, dum in Nestorium non ratione, sed impetu agitur, medium & lineam veritatis egressus, in aliam hæresin impegerat, videl. non fuisse in Christo duas naturas, sed unam, humanitate consumptâ, & Deum ex virgine instar radii ex

pellucida crystallo elapsum potiùs, quàm natum. Dioscorus verò non tantùm Eutychianam hæresin in Synodo Ephesina 2. confirmaverat, (quæ posteà latrocinalis & prædatoria est appellata,) sed etiam ausu novo & insolente Romanum Pontificem excommunicare veritus non erat. Concilium Chalcedonense utrique malo oppositum est, hæresi & Dioscoro proscriptis. Fuisse hoc Concilium à Leone confirmatum patet ex subscriptionibus legatorum, ejusdemque epistolis 57. *58. 59. 60. & 61.* quæ habentur *tom. 2. Conc.* ante Concilium Chalcedon.

Emicuit etiam in hac synodo Majestas & prærogativa Pont. Romani Concilio superioris; nam *Primò* formam Concilio præscripsit, & velut lineam duxit, intra quam Patres consisterent; monuitque Eutychetem & Dioscorum jam Romæ prædamnatos, quámque à fide illorum opiniones abludant, in epistola ad Flavianum Episcopum se jam dudum ostendisse: hanc epistolam sibi Patres proponerent, & ex illa sententiam ferrent. Audi ipsum Leonem ad Concilium Chalcedonense *epist. 45. Fraternitas vestra me synodo existimet præsidere, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum in fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde fratres charissimi, rejectâ penitùs audaciâ disputandi contra fidē divinitùs inspiratam, non liceat defendi, quod non licet credi, cùm secundùm Evangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis D. Nostri pia & sincera confessio.* Et *epistola 33.* ad Pulcheriam Augustam: *Simplex enim est*, inquit, *atque absolutum, quod poscunt, ut remoto longarum disputationum labore, Cyrilli Alexandrini Episcopi epistolæ, quam ad Nestorium miserat, acquiescat, & epistolæ meæ, quæ ad Flavianuum Episcopum est directa, consentiat: quia & mea & SS. Patrum de incarnatione Domini concors per omnia, & una confessio est; quam si quis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ unitatis abscindet, cùm tamen nos ut in integrum omnia revocentur, optemus.* Similia sunt, quæ Leo scribit *Epist. 40. & 41.* ad Martianum Imperatorem *& 49.* ad eandem Augustam: habentur omnes epistolæ in actis Concilii Chalcedonensis *tom. 2. Concil.*

Quàm verò synodus Chalcedonensis epistolam Leonis ad Flavianum sibi præscriptam venerationi habuerit, & velut oraculum

cœlo

cœlo lapsum amplexa sit, ipsa satis ostendit, cùm *actione 2. in fine* in has voces prorupit: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est.* Et *actione primâ* ejusdem Concilii Paschasinus Pontificis legatus ita locutus fertur: *Beatissimi átque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præmanibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc nos observare necesse est.* Et Lucentius Vicarius sedis Apostolicæ dixit: *Non patimur tantam injuriam, nec vobis fieri nec nobis, ut iste sedeat, qui judicandus advenit, quia synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Mandato Pontificis paruit synodus, & Dioscorus in medio consedit causam dicturus: sic enim in illa actione habetur, & expresè Evagr. scribit. *l. 2. c. 4.* cujus hæc verba sunt: *Concilio aderant Paschasinus & Lucentius Episc. Leonis Vicarii, Dioscorus item Alexandriæ Episc. quorum numero adjuncti erant senatores Primarii, quibus dixerunt Vicarii Leonis, Dioscorum non debere cum illis in Concilio considere, istud enim suum Episcopum Leonem mandasse, quòd si minimè observarent, se ab Ecclesia discessuros. Quæ cùm dixissent, & Dioscorus de sententia senatûs in medio confessu staueretur. &c.*

Si ergo Pont. Max. Concilio universali formam, modumque præscribit, jubétque alia fieri, alia omitti; oportet utique majorem & superiorem esse, idque in Concilio agere, quod gubernator in navi, & Imperator in exercitu.

Secundò. Synodus tota Patrésque confessi sunt, se filios esse, Leonem verò Concilii caput, ut habetur *actione 16.* in relatione Concilii ad B. Leonem, ubi: *Rogamus igitur, & tuis decretis nostrorum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Idem Concilium *actione primâ, secundá & tertiâ* passim vocat Leonem, *Ecclesiæ universalis Pontificem, caput universalis Ecclesiæ, universæ Vineæ custodem, &c.* Quæ omnia superioritatem in ipsum Concilium significant, qualem videlicet habet caput in reliqua membra, & custos in vineam.

Tertiò. Hoc ipsum apparet ex sententia in Dioscorum dicta, quæ habetur *actione 3.* Concil. Chalcedon. nam Paschasino Legato Patres interrogante, quâ pœnâ dignum censerent Dioscorum, toties contuma-

macem, reſponderunt: *Petimus veſtram ſanctitatem, qui habetis locum Sanctiſſimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis inſitam contra eum proferre ſententiam, omnis enim & tota univerſalis Synodus concors efficitur veſtræ Sanctitatis ſententiæ.* Quo à Patribus accepto reſponſo Legatus Apoſtolicus ſic pronuntiavit: *Sanctiſſimus & Beatiſsimus Archiepiſcopus magnæ & ſenioris Romæ Leo per nos & per præſentem ſanctam ſynodum, unà cum ter beatiſsimo Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, nudavit Dioſcorum tam Epiſcopatûs dignitate, quam omni Sacerdotali miniſterio.*

Quarto. Actione tertiâ hujus Concilii aliquot recitantur epiſtolæ ex variis locis ad ſynodum datæ, quarum omnium hoc eſt initium: *Sanctiſsimo & Beatiſsimo univerſali Patriarchæ, magnæ Romæ Leoni, & ſancto univerſali Concilio.* Nec ullus Patrum conqueſtus eſt Leonis nomen tanquam majoris Concilio præponi.

Quinto. Seſſ. 6. recitata eſt fidei Catholicæ definitio, quæ, quòd minùs perfecta videretur, nec Eutychetis hæreſi damnandæ ſufficiens, rejecta eſt à ſedis Apoſtolicæ legatis, nec actis permiſſa inſeri: & quamvis tota ſynodus, exceptis Romanis pauciſque ex Oriente Epiſcopis, non tantùm eam fidei formulam probaret, ſed etiam ardenter & vix non importunè inſiſteret, ut ea reciperetur, Legati Pontificis Leonis conteſtati ſunt, niſi alia & plenior forma redderetur, quæque Leonis epiſtolæ ad unguem reſponderet, ſe extemplo diſceſſuros. Patres collatis capitibus novam fidei profeſſionem & omnibus numeris abſolutam ediderunt, quæ habetur *action. 6.* Verba ipſa audiamus ex actis Concilii *action 5. Omnes reverendiſsimi Epiſcopi præter Romanos & aliquos Orientales clamaverunt: Definitio omnibus placet. Hæc fides Patrum, qui aliter ſapit, anathema ſit. Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi Vicarii Sedis Apoſtolicæ dixerunt, ſi non conſentiunt epiſtolæ Apoſtolicæ & Beatiſsimi Papæ Leonis, jubete nobis reſcriptam dari ut revertamur. Epiſcopi clamaverunt, altera definitio non ſit, qui contradicunt Romam ambulent. Magnificentiſsimi & glorioſiſsimi judices dixerunt: Quem ſequimini Leonem, an Epiſcopum? Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt: Ut Leo ſic credimus: Leo rectè expoſuit. Magnificentiſsimi & glorioſiſsimi judices dixerunt: Ergo addite definitioni ſecundùm judicium ſanctiſsimi Patris Noſtri Leonis, duas eſſe naturas unitas in Chriſto inconvertibiliter, inſeparabiliter & inconfuſè, &c.* Hic planè enituit indubitata & invicta Pontificis Romani ſupra Concilium

auctoritas. Si enim Papa non est Concilio major, sed potius illi subjectus, cur Concilium cogit in aliam sententiam flectere, suæq; epistolæ in omnibus subscribere? cur Patrum commune votum solus impugnat, rejicit, & mutare compellit? compellit verò non vi, aut armis, sed doctrinâ & auctoritate judicis; hoc planè non est subjectum agere, sed magistrum & superiorum.

Sextò: In eodem Chalcedonensi Concilio *action. 15.* circa finem *Canon 28.* Archiepiscopo Constantinopolitano decernitur secundus locus post Romanum Pontificem, Alexandrino aliàs debitus, idque, ùt Patres Concilii dicunt, exemplo Oecumenicæ synodi Constantinopolitanæ, ubi idem sancitum fuerat. Extorserat hunc Canonem ambitio Anatolii Archiepiscopi Constantinop. favente præsertim Augusto, omniumque Episcoporum suffragio. Sed legati Apostolici continuò protestati sunt, & Canonem ex mandato Leonis expungi jussérunt, ùt habetur *act. 16. Venet. editionis*, ubi: *Lucentius Vicarius Sedis Apostolicæ, dixit: Sedes Apostolica, quæ nobis præcepit præsentibus, humiliari non debet, ideo quæcumq; in præjudicium Canonũ hesternâ die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatẽ vestrã petimus, ut circumduci jubeatis. Sin aliàs, contradictio nostra his gestis inhæreat, ut noverimus, quid Apostolico viro universalis Ecclesiæ Papæ referre debeamus, ut ipse aut de sua Sedis injuria, aut de Canonum eversione possit ferre sententiam, &c.* Idem apertè constat *ex epistola* B. Leonis *Quinquagesima 9.* ad synodum Chalcedonensem, quæ habetur præfixa actis Concilii, & *epist. ad Anatolium.* Vides hîc iterum Pontificem Romanum non adstringi Concilio universali, sed illi potiùs imperare & jus dicere: quamvis enim privilegium hoc Patriarchæ Constantinopolitano concedi potuerit, ùt postmodum concessum est in Concilio Lateranensi *c. antiqua de privilegiis*; quia tamen necdum apparebat tanta boni publici ratio, ob quam juri Alexandrinæ Ecclesiæ præjudicare oporteret, Leo Papa Concilii sententiam communique voto sancitum Canonem refixit, voluitque antiquos terminos à duobus Conciliis Oecumenicis motos restitui.

Et hæc quidem sufficiant ex quatuor illis Oecumenicis Conciliis decerpta, quæ B. Gregorius M. eodem loco cum 4. Evangeliis habuit *c. 2. d. 15.* Nunc ad reliqua pergamus.

VII. *Anno DLIII.* Secunda Constantinopolitana Vigilii Papæ & Imperatoris Justiniani auctoritate habita. 165. Episcopis frequens;

quens; cujus historiam & ignorantiâ & dolis multorum variè turbatam, nos discussâ nebulâ apertâque veritate, altiùs repetemus. Anno 538. Constantinopoli in Conventu multorum Orientis, Occidentisque Episcoporum, agente præsertim Pelagio Romanæ Ecclesiæ Legato, Origenes, ejusque libri tot erroribus fœdati, omnium voto, etiam Justiniani Cæsaris, damnati fuerant. Eates Theodoro Cæsareæ Episcopo & Origenis intra velum amico, acerbè dolere, multóque magis, quod non tàm in Origenem conclamatum esse, quàm à Pelagio antiquo æmulo insultatum sibi crederet. Ergo cùm in palatio gratiâ floreret, Augusto prædilectus, condito in sinum dolore, quò tutiùs falleret, eidem persuadet, juberet Theodorum Mopsvuestenum, Ibam Edessenum, Cyrumque Episcopos publico edicto damnari, quos Nestorianæ compertos, sed posteà factorum juxtà, scriptorumque pœnitentes Chalcedonense Concilium absolverat; sic enim & ipsum Chalcedonense receptum iri, & Acephalos in gratiam fidemque reversuros. Justinianus non minus à Religione, quàm bello gloriam captans sibi fatalem, & maximè conjugis Theodoræ, quam deperibat, blanditiis victus, edictum contra tria capitula proponit. Hic ingens inter ipsos Catholicos accensum bellum, cùm enim non de fide, sed personis certamen esset, lis inter Catholicos stetit teste B. Gregorio *l 3. ep 37.* Vigilius Pontifex Romanus, multiq; in Occidente Patres continuò se opponere, quòd dicerent, non posse ab Imperat. jam vitâ functos damnari, quos Concilium Chalcedon. absolvisset. Justinianus omnium oculos in Vigilium Papam spectare advertens, ejusque exemplo pendere, non prius destitit, quam Pontificem Constantinopoli haberet, qui sub veris initium eò pervenit Augusto obviàm progresso. Catholici in discordias variè fædèq; scindebantur, quòd alii tria capitula defendenda dicerent, alii damnanda. Pontifex libertatem sentiendi, quod vellent, singulis in proximum Concilium fecit & tandem in Justiniani sententiam, quam primò impugnaverat flexit, editoque libello etiam defendit, alienatis propterea Occidentalium animis, quòd Vigilium inconstantem animi dicerent, & Concilio Chalcedonensi omnium veneratione excepto adversantem. Vigilius silentium partibus imperat, Concilio propediem conventuro. Et interim Theodo-

ram

tam Augustam hæresi tinctam sacris interdicit, purgatâ hoc facinore, si quæ fuerat, priori inconstantiâ.

Justinianus moræ impatiens, & stimulante præsertim Theodoro, edictum, contrà quàm pactus fuerat, proponit, jubetque Episcopos, qui tria capitula non damnarent, aut Ecclesiis pelli, aut in exilium agi. Ipse Vigilius edictum frustra deprecatus, cùm insuper arma & satellites parari cerneret, in Ecclesiam D. Petri, & hinc Thessalonicam fugit, vix arâ, quam complectebatur, adversùs vim tutus, acceptisque in faciem verberibus. Scribit Procopius *l. 3. de bello Gothico*, adeò ipsam naturam tantum facinus esse aversatam, ut tertæ motibus, hiatu, æstu, rabiéque maris in terram excurrentis, quàm plurimæ civitates haustæ oppressæque fuerint: Sardinia, Corsica, Insulæ à Barbaris occupatæ. Augustus, Menas Patriarcha Constantinopolitanus, & ipse Theodorus malis & conscientia victi, à Pontifice veniam commissorum petere, & edicta aufferri jussa. Tandem *Anno DLIII.* Concilium Constantinopoli habitum est, non solum ob tria capitula, sed præsertim contra hæreses Origenis, Nestorii & Eutychetis suos errores variè tegentium. Missa ad Pontificem 20. Episcoporum splendida legatio, qui illum ad Synodum invitarent: sed eo valetudinem causante repetita legatio, missique cum Bellisario 6. alii Exconsules, ac Patricii, quibus inducias se petere Vigilius dixit, ut scripto sententiam exprimeret. Ergo sine Pontifice ejusque legatis Sessiones peractæ, in quibus contra tria capitula, Theodorum videlicèt Ibæ & Theodoreti Epistolas conclamatum est, præsertim contra Nestorianos. Vigilius, qui libro prolixè edito, quem constitutum appellavit, contra edictum Justiniani tria capitula defenderat, cæsus, & fune in collum injecto in carcerem, deinde exilium raptus est, ubi & vitam absolvit miserrimum affectati Papatûs, & à fœmina obtenti exemplum.

Hæc historia est, seu magis tragœdia Synodi Oecumenicæ 5. circa quam aliqua observanda veniunt. *Primò*: Hanc Synodum Pontifice, ejusque legatis destitutam, vel hoc ipso capite pro legitima habitam aliquamdiu non fuisse, donec approbatio Romanorum Pontificum & Ecclesiæ consensus accederet; adeò ut huic Concilio à Venetis continuò Aquilejense fuerit oppositum, omnesque Hiberni

& Occi-

& Occidentales reclamârint, teste B. Gregorio *l.2.epist.36.* quòd videl. Concilio Constantinopolitano constitutum Vigilii præponerent, quale autem hoc fuerit, videri potest Baronius *tom.7. ad annum DLIII.* Quæ causa fuit, ut multi, qui de Synodis scripsêre, hanc quintam præterierint, quales sunt Cassiodorus *primo Instut. 11.& 17.* Patres Concilii Braccar. 2. *in præfatione.* Vide Baron. citat, & ita hæc quinta Synodus non tam ex se ipsa nacta est auctoritatem, quàm ex secuta ipsius Vigilii, aliorumque Summorum Pontif. approbatione: de qua vide B. Gregorium *l.1.epist.24. & 2.epist 36. & 3.epistolâ 4. & 7.epist.54.* Videnda est etiam epistola Leonis II. quæ habetur in actis sextæ Synodi; & specialiter *cap.sicut d.15.* Fuisse enim hoc Concilium etiam à Vigilio tandem approbatum, testantur Evag. *l.4.c.37.* Niceph *l.17 c.27. & 28.* Eustath. *in vita Eutych.* Cedrenus, Zonar. Photius *de 7.Syn.* apud Euthymium in *Panopl. parte 2.tit.24.* *Notandum secundo*, multa in hac Synodo desiderari, quæ non extant, cùm tamen constet decreta fuisse, multa etiam ab hæreticis corrupta. Desunt ergo quæ præcipuè primoque loco contra Origenem sancita sunt, de quibus fit mentio in septima synodo *actione 1.* & videri potest Nicephorus *l.17.c.17.* & quæ notantur initio quintæ synodi. Desideratur etiam Vigilii Papæ libellus synodo oblatus, quem ipse constitutum appellat, in quo errores quidem Theodori, Theodoreti, & Ibæ Episcop. condemnandos dicit; personis tamen, quas Concilium Chalcedonense recepit, omnino parcendum. Corruptæ sunt, & ab hæreticis confictæ epist. Mennæ Archiep. Constantinop. ad Vigilium Papam: & hujus duæ ad Justinianum & Theodoram de una in Christo operatione, quarum impostoræ detectæ damnatæque fuerunt in synodo *6. act 14.* & anathema illis dictum, qui quintam synodum corruperant; unde falsi convincas, quæ in breviario Liberati *c.22.* habentur de Vigilio *tom.2.Concil. circa finem.* *Notandum tertio*, totam illam quæstionem trium capitulorum non de ipsa fide, sed personis fuisse, ùt habet B. Gregorius *l.3. Epist.37.* constabat enim illos hæresin docuisse, quam omnes Catholici; aversabantur, sed facti pœnitentes, hæresique abdicatâ, Concilium Chalcedonense veniâ donaverat, ùt patet *ex sessione 8. act.2.& 3.& sess.9.* & ideo pro temporum & opinionum varietate Vigilius sententiam aliquoties mutaverat: cum enim defendit tria capitula

non

non doctrinam illis contentam, sed auctores defendit, abjectâ hæresi in Concilio Chalcedonensi receptos, laudatósque; maximè cùm viderit non posse eos damnari, nisi Africanis, aliisque in Occidente Episcopis apertè offensis: sed cùm adverteret posteà, nisi tria capitula damnaret, & totum Orientem aperto schismate conflictatum iri, & hæreticos Nestorio & Eutycheti addictos hac ipsa tergiversatione velandis suis erroribus abuti, quod à tam magni nominis Episcopis, & Chalcedone receptis essent traditi; necessarium fuit cùm doctrinam ipsam, tùm auctores hæresis notari damnarique: modò, ùt aliquoties monuimus, memoriâ teneas, multa, quæ in hac synodo reperiuntur supposita & falsa esse, ùt testatur 6. synodus *action. 14.* Quod etiam apertum est ex quadam Epistola Theodoreti in hac synodo recitata *collat. 4.* Quam tamen constat omnino falsam fictámque esse, ùt probat Baronius *ad annum 444. n. 4. & 553. n. 10.* Sunt qui toties à Vigilio mutatam sententiam exemplo B. Pauli excusent, qui *actor. 15.* abolitam suo etiam suffragio Circumcisionem Timotheo adhibuit vitandi scandali gratiâ, *actor. 16.* eandémque iterum damnavit Petro graviter reprehenso *ad Galat. 2.*

Notandum tertiò, multa in hac synodo facta, quæ Romanæ sedis auctoritatem ostendunt: quòd videlicet splendidissimas ad Vigilium Legationes Concilium adornavit, primò 20. Episcoporum, dein 13. cum sex aliis Ex-Consulibus & Patriciis, inter quos Belisarius armorum præfectus: quòd *collat. 7.* & aliàs sæpe conata sit synodus ostendere, se omnia juxta Vigilii sententiam decernere, ùt maximè apparuit in sententia definitiva à Concilio pronuntiata: quòd Concilium Constantinop. *action. 1.* contra Anthimum & Severum, Petrum, & Zoaram (nam ad quintam synodum pertinere docent graves auctores, qui dicunt quintam synodum cœpisse sub Agapeto, & usque ad Vigilium durâsse, supponítque Picchius *lib. 6. Hierach. Ecclesiast.*) ipsis vitio vertat, quòd, ùt Concilium loquitur, *contempserint Ecclesiam Romanam & successorem Apostolorum, qui sententiam contra illos protulit, &c.* Et in sententia contra prædictos Severum, Petrum, &c. hâc formâ subscripserunt Patres: *Ego Sabinus Episcopus, sequens definitionem sanctæ recordationis Papæ Hormisdæ.* Et *action. 4.* Menas Patriarcha Concilii Præses ita loquitur: *Nos*, inquit, *Apostolicam Sedem sequimur, & obediemq, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos*

ab ipsa & nos condemnamus: quòd Vigilius jam tum suæ potestatis conscius, quidquid contra suum constitutum factum, dictúmque fuisset, irritum declaraverit : quòd Menas Constantinop. Archiep. alique nunquam Justiniani edicto contra tria capitula subscribere voluerint, nisi juramento accepto nullum fore subscriptionem, sibique chirographum restitutum iri, si occlamâsset Pontifex Romanus teste Facundo Africæ Episcopo pro defensione *cap. l. 2. & 4.* quòd denique Concilium professum fuit se Romanorum Pontificum de fide epistolas æquè ac quatuor Concilia observare, amplectique, nec ausum fuerit ad examinanda capitula priùs venire, quàm obtento per Eutychium Constantinop. Episcopum Romani Pont. f. consensu.

Audi ipsa acta quintæ Synodi *collectione 1.* post epistolam Justiniani, ubi Patriarcha Vigilio sic scribit : *Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, ideò festinantes unitatem conservare, ad Apostolicam Sedem, Vestræ Beatitudini manifestum facimus, quod servamus fidem à Christo Apostolis traditam, & à sanctis Patribus maximè in Sanctis quatuor synodis explanatam. Suscipimus & epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ. Et ideò petimus præsidente nobis Vestrâ Beatitudine, de tribus capitulis quæri & conferri.* Respondit Vigilius : *Annuimus, ut de tribus capitulis facto regulari conventu, mediis sacrosanctis Evangeliis collatio habeatur, & finis detur placidius Deo.* Cur ergo, dices, Concilium invito Vigilio Pontifice, & contra ejus sententiam scripto testatam definivit, & definitione Ecclesia recepit? *Respondetur,* hoc ipso sententiam Concilii à tot orthodoxis in Africa, Illyrico, Hibernia & reliquo Occidente pro nulla habitam esse, totâ Ecclesiâ discordiis, bellis, exiliis miserè concussâ : dum tandem concordiæ causâ & Pontificum assensu recepta est. Et cùm toties declarâsset Vigilius se tria capitula condemnare, ut videre est in epistola Justiniani ad synodum, & *collatione 7.* meritò potuit synodus primæ sententiæ adhærere, quam deinde Vigilius etiam approbavit, ut supra monuimus, & habet Evagrius, *l. 4. c. 37.*

Et planè cùm quæstio non fidei verteretur, sed personarum, & illa odio instinctúque Theodori Archiep. excitata, ut in Romanos vindicaret Origeni infestos; exitus ostendit malè Justinianum egisse, quòd Palatio & Castris natus, se in Ecclesiastica miscuerit, manu in alienam artem infeliciter missâ : quæ res tandem & ipsum Imperatorem & Imperium perdidit; dum enim teste Procopio *l. 3. de bello Goth.*

Gott. in multam noctem coronâ Episcoporum septus examinandis Christianorum sacris incumbit, omissâ interim armorum curâ, Gotti Italiam vastant, Justinianum imperato tributo vectigalem faciunt: & ipse Religionis & fidei arbiter, hæresin Incorruptibilium amplectitur, edictóque firmat, pœnis, exiliis, & morte in Episcopos decretâ, qui sibi repugnarent; quod dum facit, nec opinatò sub mediam noctem extinguitur. Volunt tantum vitæ illi concessum, ut pœnitentiæ signa ediderit; Princeps bello litterisque immortalis, si modò sacris abstinuisset, memor illius sententiæ: *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria.* Et Regum *2. c. 6. Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, eò quòd extendisset manum ad Arcam Dei, & tenuisset eam.*

VIII. *Anno DCLXXX.* tertia Constantinopolitana, & sexta Oecumenica Synodus celebrari cœpta. Numerus Patrum incertus, aliis ducentos octoginta, aliis centum septuaginta numerantibus. Auctoritate Agathonis summi Pontificis, ad preces Constantini Pogonati coactum, patet ex epistolis ejusdem Papæ ad Concilium datis, quæ *tertio tom. Concilior. in 4. action. 6. Synodi* extant. Legati à summo Pontif. Theodorus, Georgius, Joannes, & Constantinus missi. Ab Ecclesia occidentali quatuor alii. Damnata in hac Synodo hæresis Monothelitarum, qui duas in Christo naturas, sed voluntatem unam, unámque operationem statuebant: nominatim in Sergium, Pyrrhum, Petrum & Paulum Archepiscopos Constantinopolitanos anathema dictum, immo & contra Honorium primum summum Pontificem, ejusdem erroris postulatum, ex epistola ad Sergium, ùt habetur *actione 13.* Sed hunc quod attinet, multa & gravissima sunt, quæ persuadeant, Concilium hoc sextum Græcâ fide corruptum mendacio fuisse, quod apud Græcos jam in morem transieret, ùt patet ex hac ipsa sexta Synodo *action. 12. & 14.* ubi Patres observant quintam Synodum sæpius corruptam esse. Et *sess. 8.* Macarius Archiep. Antiochenus non imprudenter solùm, sed etiam glorianter fatetur, Patrum scripta à se corrupta fuisse, quòd opinioni suæ stabiliendæ inoportunum crederet. Et in Concilio Florentino Julianus Cardinalis conquestus est in epistola dogmatica Agathonis, ubi dicitur: *Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere*, fuisse à Græcis illam vocem, *Filióque*, subductam. Et B. Gregorius *l. 5. epist. 14.* ad Narsem scribit: *Concilia Chalcedonense & Ephesinum corrupta fuisse.*

Idemque ait B. Leo *Epist. 81. ad Palestinos tom. 2. Concil. editionis Venetæ.* Vide etiam Anastasium *præfatione in octavam Synodum:* ut proinde mirum haud sit, toties falsi compertos aliquid simile in Honorium ausos esse, maximè cùm ipsius Honorii epistolæ extent: una *act. 12.* altera *act. 13.* in quibus duas voluntates apertè confitetur; nomina tamen unius aut duarum operationum silentio tegi vult; ne, quod evenit, novo incendio esca daretur. Ipse Agatho in Epistola Synodali, quam Concilium *Act. 12. & 14.* tantopere celebravit, intrepidus dicit: *Nullum Antecessorum suorum hæresi junctum fuisse.* Et planè vix credi potest Synodum Oecumenicam, quæ ne ultimum quidem Episcopum nisi accusatum, auditum, convictum, omnique solemnitatum apparatu, & ne tunc quidem sine gemitu damnaverat, ùt in Nestorio patuit aliisque, voluisse in Pontificem Max. sine accusatione sine testibus & examine, & jam prædefunctum, sententiam præcipitare, ex duabus epistolis, in quibus tamen non tantùm hæresin, cujus accusabatur, non docebat, sed expresè contrarium, adhibitis novo schismati declinando prudentissimè cautelis. Sed quidquid de hoc sit, quæ apud Bellarminum *l. 4. de Summ. Pontif. c. 11.* & Baronium ad *Annum DCLXXXI.* videri possunt: etiamsi demus Honorium in privata illa ad Sergium Epistola hæresin docuisse, nihil contra nos sequitur, qui infallibilitatem summo Pontifici asserimus, non ùt privato Doctori, sed ùt publicè, & ex cathedra docenti, de quo inferiùs.

Multa in hoc Concilio relicta summæ in Romanis Pontif. potestatis argumenta: nam *primò* Constantinus epistolis ad Donatum Pontificem Maximum titulum præfigit: *Sanctissimo & Beatissimo Archiepiscopo antiquæ nostræ Romæ & universali Papæ, &c.* Et in Epistola synodali ad Agathonem, quæ habetur ad finem *actionis 18.* vocant illum: *Universalem Principem Pastorum:* & in epistola synodali à Concilio ad eundem Agathonem scripta, quæ habetur inter epistolas Leonis II. post sextam synodum vocant: *Primæ sedis Antistitem universalis Ecclesiæ stantem supra firmam fidei petram. Secundè*, tantùm abest, ut summus Pontifex Concilii sententiam velut superioris exspectaverit, séque illi submiserit, quin potiùs exemplo Leonis in Ephesino & Chalcedonensi Conciliis, regulam illis præscribit, secundùm quam credere & definire debeant, vetátque à sententia Romani Pontificis, vel latum ungem deflectere; cujus man-

dato

dato & Concilium paruit, tantúmque abfuit, ut reclamaret, dicetéque: *Concilium dare leges, & credendi normam, non accipere debere*; ut potiùs summis laudibus efferret, sic enim in epist. ad Augustos loquitur: *Apud homines in medio gentium positos quomodo ad plenum poterit inveniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter à Sanctis, atq; Apostolicis prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis & sine ambiguitate conservamus &c.* Et paullo pòst: *Testimonia aliquorum SS. Patrum, quos hæc Apostolica Christi Ecclesia suscipit, cum eorum libris tradidimus, ut ex his duntaxat satisfacere studeant, quid hæc spiritalis Mater eorum, ac à Deo propagati Imperii Apostolica Christi Ecclesia credat & prædicet. Licentiam proinde eis dedimus, ut apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est, ut nihil profectò præsumant augere, minuere, vel mutare; sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ùt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta, fideliter enarrare. &c.* Et infrà: *Ut autem Vestræ divinitùs instructæ pietati, quid Apostolica nostra fides contineat breviter intimemus, quam percepimus per Apostolicam, Apostolicorúmq; Pontificum traditionem & sanctarum quinq; generalium synodorum, per quas fundamenta Catholicæ Ecclesiæ firmata sunt, &c.* Et infrà: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem utpote Apostolorum omnium Principis semper omnis Catholica Christi Ecclesia (NB.) & universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt: omnésque venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & Sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti.* Et infra: *Hæc est enim veræ fidei regula, quam defendit hæc spiritualis Mater Vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica CHRISTI Ecclesia tenuit, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ùt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi factus est: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & aliquando conversus confirma fratres tuos. Considerat itaque Vestra tranquilla Clementia, quod Apostolici Pontifices meæ exiguitatis prædecessores*

decessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Et infrà post expositam Romanæ Ecclesiæ de fide sententiam ad finem epistolæ: *Propterea*, inquit, *piissimi, & à Deo instructi Domini filii, si hanc sanctarum scripturarum, venerabilium synodorum dogmatis regulam Constantinop. Præsul Ecclesiæ tenere nobiscum ac prædicare delegerit, pax multa erit diligentibus nomen Dei, sin autem novitatem amplecti maluerit, & alienis sese irretire doctrinis, ipse noverit, quòd de tali contemptu in divino Christi examine satisfaciet apud judicem omnium, qui in cœlis est.* Et in Epistola ad Synodum, *Credimus*, inquit, *quia, quod paucis ratóque concessum est à Deo, vestro imperio concedetur, & per ipsum Catholica nostræ fidei splendidissimum in omnium mentibus emicet lumen, quod ex veri luminis fonte per ministros B. Petrum & Paulum, eorúmque discipulos & Apostolicos successores gradatim usque ad nostram parvitatem Dei opitulatione servatum est, &c.* Et infrà: *Personas autem de nostra humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestræ fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrûm suggestionem, in qua, & Apostolicæ nostræ fidei Confessionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen* (NB.) *tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre simpliciter obsecrantes, ut hæc eadem omnibus prædicari, átque apud omnes obtinere jubeatis, &c.* Huic epistolæ sic à Patribus acclamatum est *actione 18.*: *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps; illius enim imitatorem & Sedis successorem habuimus fautorem: charta & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.* Et Constantinus *in Epist. ad Synodum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ: Idcircò & omnes consonantes mente & linguâ, concredimus & similiter confessi sumus, & tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus.*

Tertiò. Act. 18. in epistola Constantini ad synodum Romanam de Macario Antiocheno aliisque hæreticis, qui videntur Sedem Apostolicam appellâsse, hæc habentur: *Universalis Conventionis communi sententiâ de sacerdotali dignitate repulsi sunt, & probationi sanctissimi Papæ traditi sunt.* Et in epistola Constantini ad Leonem: *Ipsi autem scriptis precibus Serenitatem nostram communiter omnes deprecati sunt, ut se ad Vestram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eósque advocavimus vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes.*

Quartò. Leo II. Pontifex Concilium sextum confirmat auctoritate Apostolicâ (quod utique superioritatem significat, nemo enim

enim inferior auctoritatem in Superiorem exercet) jubétque paris auctoritatis esse cum aliis quinque Oecumenicis, & qui in eo convenerunt Episcopi aliis SS. Patribus annumerati. Verba Leonis sunt in Epistola, ad Constantinum, quæ habetur post acta Concilii: *Idcirco & nos, & per nostrum officium hæc veneranda fides Apostolica concorditer ac unanimiter, his quæ definita sunt ab ea, consentit, & beati Patri auctoritate confirmat, sicut supra solidatam Petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptus firmitatem, propterea sicut suscepimus atque firmiter prædicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolit. Ephesinum 1. Chalcedon. & Constantinop. quæ & omnis Christi Ecclesia approbat & sequitur: ita & quod nuper in regia Urbe pro vestræ serenitatis adnisu celebratum est sanctum sextum Concilium, ut eorum pedissequi interpretes, pari veneratione atq; censura suscipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tanquam unâ & æquali Dei gratiâ congregatum, decernimus: & qui in eo fideliter convenerunt Christi Ecclesiæ Sacerdotes, inter sanctos Ecclesiæ Patres atq; Doctores adscribendos, æquè censemus. Nam & istis, sicut & illis, idem Dei spiritus salutem animarum operatus est.*

IX. *Anno Christi DCCLXXXVI.* Septima Oecumenica Synodus Constantinopoli aperta: sed Prætorianis militibus omnia turbantibus, & Patres & Concilium Nicæam translatum; unde & Nicæni secundi nomen adeptum. Convenit auctoritate Hadriani I. Pontif. Max. ad preces Constantini, & Irenes Imperatorum, ùt patet ex litteris Impp. ad Hadrianum datis apud Anastasium *in præambulis ad hoc Concilium.* Numerus Episcoporum 350. Legati ad Hadriano missi quatuor. Causa vocandi Concilii hæresis Iconoclastarum, qui jam dudum bellum SS. imaginibus intulerant. Ejus origo hæc fuit. Duo Hebræi Impostores futurorum præscientiam mentiti, eámque aliquoties aut casu, aut malis artibus adepti, Izeto Arabum Regi promiserant, diu & feliciter regnaturum, si edicto pœnisque propositis imaginum cultu Christianos arceret. Rex vitæ regnique avidus edictum proponit, & pœnis armat. Vix edictum pependerat, & Regem vanè delusum mors abstulit. Impostores ad necem quæsiti in Isauriam abeunt. Illic dum ardente Sole ad fontem procumbunt, æstum levaturi, non procul se juvenis ostentat, qui jumento, quod agebat, onere levato, Hebræis se adjungit, auram & prandium unà capturus. Illi adolescentem, diu & stupentibus

tibus similes intuiti, observatóque, præter florem juventæ formámque, radio quodam majestatis ex vultu micantis, & tenui fortuna majoris, imperium illi prædicunt : ea tamen conditione, ut juramento promitteret, se voti aliquando potitum, quæ peterent, facturum esse : fides à juvene tanti vaticinii pleno, & gaudio vix pari abunde obstricta & in proxima B. Theodori æde juramento aucta: Paullo pòst militiæ adscribitur, & per omnes gradus virtute & fortunâ provectus, imperium assequitur electione Theodosii Augusti, qui mundi & regni pertæsus in Monasterium se abdiderat. Canonis nomen in Leonis mutavit, & à Patria Isauriaus est appellatus. Adsunt Hebræi Augures, & præmium vaticinii poscunt, nec aliud, quàm ut imagines aboleret : illis enim cultum à populis adhiberi Deo debitum : hoc si faceret, perpetuas illi victorias fore, vitámque diuturnam, & supra votum felicem : Leo ex priori vaticinio posterius æstimans, & fide insuper juramento adstrictâ, rem diu meditatus & metu turbarum, tegens, tandem in apertum educit, & bellum imaginibus toto imperio denuntiat, pœnísque & tormentis urget, gravissimâ in Catholicos concitatâ persecutione. Tenuit tempestas, sæviítque multos annos sub Leonis & Copronymi dominatu, donec Constantino & Irene rerum potitis, pax reddita & Concilium septimum Niceæ indictum. Advertendum est inter alios Iconoclastarum errores etiam illum fuisse, quòd dicerent, sacram Eucharistiam non esse verum Corpus & sanguinem Christi, sed ejus tantùm imaginem. De quo V. *Act. 5.* & P. Maymb. *Historia Iconocl. l. 3.* circa finem. Hæc origo Iconoclastarum fuit, qui hoc Concilio damnati.

Multa in hoc Concilio pro S. Pontif. *Quòd* neget post definitiones Summorum Pontificum ullum amplius de SS. imaginibus dubitandi locum esse: *quòd* Concilio modum legésque agendi Pontifex præscribat; *quòd* vetet limites à Summis Pontificibus fixos moveri: *quòd* primarii Concili Patres velut de re necessaria interrogentur, an epistolam dogmaticam Hadriani recipiant? & alia multa, quæ ex ipsis actis audire præstat. Sic ergo in Ep. Hadriani ad Augustos habetur: *Vos autem maximè in traditione orthodoxæ fidei Ecclesiæ B. Petri & Pauli principum Apostolorum acquiescetis, eámq; amplectemini, quemadmodùm à superioribus Imperatoribus factũ est, qui vicariũ ejus ex toto corde dilexerunt. Quapropter vestra quoq; à Deo data majestas, Sanctissimam Roma-*

nam

nam Ecclesiam principum Apostolorum, quibus à Deo ipso data est potestas solvendi & ligandi peccata, cum in cœlo, tum in terra, honorabit. Ipsi scilicet Regni vestri propugnatores erunt, cunctásque barbaras nationes pedibus vestris subjicient, ut quocúnque ire perrexeritis, victores vos declarent. Hi siquidem Principes Apostolorum sunt, qui Catholicam Orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem veluti legibus latis fidem suam servandam præceperunt: omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum usque ad consummationem sæculi permansuri, atq; ita nostra servat Ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur, unde in hunc usque diem venerandis horum imaginibus Ecclesiæ nostræ ornatæ, ac conspicuæ sunt. Et infrà: *Si verò impossibile est hæreticorum vesaniæ, pro incredulitate ipsorum, ipsas sacras ac venerandas imagines sine Synodi actione in pristino erigere ac confirmare statu, & nostros sacerdotes pro ejuscemodi pia operatione vestra cupit serenissima Imperialis potentia accersire, sicut in vestris fertur imperialibus jussionibus, imprimis pseudosyllogus ille, qui sine Apostolica sede enormiter, nequiter, irrationabiliter contra Sanctorum Patrum traditionem de sacris imaginibus actus est, anathematizetur, præsentibus missis nostris: & tunc sicut antiquitùs mos extitit, jurejurando vestra piissima ac tranquillissima potestas unà cum Domina Augusta Imperii vestri genitrice, seu ejusdem Regiæ urbis Patriarcha, nec non & cuncto senatu corporale tribuentes sacramentum, verbum commonitorium sicut antiquitùs, pia sacra nobis dirigere vestra dignetur imperialis potestas, quòd non est apud vos partis cujuslibet favor aut defensio, sed æqualitatem utrisq; partibus conservabitis, nullatenus necessitatem facientes, in quocúnq; capitulo eis, qui à nobis diriguntur, quoquo modo, sed omni honore, cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebitis. Et si quidem utriq; convenerint, ecce bene: si autem minimè convenerint, iterum cum omni humanitate ad nos dirigere satagetis.* Et epistola Hadriani ad Tharasium Patriarcham: *Cujus etiam sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniúmque Ecclesiarum Dei caput existit. Unde & ipse B. Petrus Apostolus, Dei jussu Ecclesiam pascens, nihil omnino prætermisit, sed ubique principatum obtinuit, & obtinet: cui etiam & nostræ Beatæ, & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarum Dei caput, velim Beata vestra Sanctitas ex syncera mente & toto corde agglutinetur, utpote quæ reverà sit rectè sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primum Omnipotenti Deo exhibeatur. Vestráque Beatitudo magnos & piissimos nostros Imperatores*

supplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes coram Deo, & horribili ejus judicio, venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubeantq; : nimirum servantes traditionem hujus Sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ. Et *Act. 2.* Legati Apostolici post lectam dogmaticam summ. Pontif. sic Patriarcham alloquuntur: *Petrus & Petrus piissimi presbyteri, & locum tenentes sanctissimi Papæ Veteris Romæ Hadriani dixerunt : Dicat nobis Beatissimus Patriarcha regiæ urbis Tharasius, consentitne literis sanctissimi Papæ Veteris Romæ, an minùs ?*

Tharasius sanctissimus Patriarcha respondit : **C**ui *Christi lumen circumfulsit, quiq; nos per Evangelium generavit Paulus, verè divinus Apostolus Romanis scribens, & studium sinceræ fidei eorum erga Deum verum nostrum exosculatus, sic inquit: Fides vestra prædicatur in universo orbe hoc. Hoc testimonium & nos insequi par est, temerariúmque repugnare arbitramur. Quam ob rem Hadrianus Veteris Romæ primas, & testatorum Principum successor, clarè, & verè, cùm ad Imperatores nostros, tùm ad nostram mediocritatem, mihi scripsisse videtur, constabilvitq;, & rectam esse declaravit Catholicæ Ecclesiæ antiquam traditionem.*

Ob id nos per scripturam inquirendo, argumentando & demonstrando exquirentes, & Patrum quoq; præceptis imbuti, sic confessi sumus, confitemur & confitebimur, concordamus, & vim litterarum lectarum confirmamus, & imaginum picturas secundùm priscam Patrum nostrorum traditionem recipimus, & has desiderio nostro adoramus, ut nomine Christi Dei nostri, & intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ Virginis, sanctorúmque Angelorum & omnium Sanctorum factas. Sed apertis verbis testamur, nos duntaxat in unum Deum verum, latriam (hoc est, cultum) & fidem nostram referre & reponere.

Sancta Synodus dixit: *Universa sancta Synodus sic credit, & sic docet.* Et paullo pòst: *Iidem Legati sacram synodum eodem modo interrogant: Petrus & Petrus Deum amantissimi Presbyteri, Legati Apostolicæ Cathedræ, dixerunt: Dicat nobis sacra Synodus, num recipiat sanctissimi Papæ veteris Romæ litteras, an minùs?*

Sancta Synodus respondit: *Sequimur, recipimus, & probamus.* Et in epistolis à monachis Palestinæ ad Tharasium datis, quas ex Anastasio Baronius recitat *ad annum DCCLXXXV. n. 47.* circa finem. *Hoc autem subtiliùs est considerandum, etiam ab ipsa sacra ac venerabili sexta synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus, in his partibus Epi-*

scopi

piscopi erant, convenisse repertus propter nefariorum hominum dominatum: sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit Synodo præjudicium, neque secuta est prohibitio alia statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipuè cum sanctissimus Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos.

Hæc, nisi fallimur, satis ostendunt, quanta sit Romanorum Pontificum supra Concilium auctoritas, quantúmque septima hæc Oecumenica synodus illis detulerit.

X. *Anno DCCCLXIX.* Initium factum octavæ Oecumenicæ Synodo auctoritate Hadriani II. Papæ, imperante Constantinopoli Basilio Maced. ubi & Synodus habita. Legati à Pontifice tres, Donatus Ostiens. Stephanus Nepesinus Episcopi, & Marinus Diaconus. Episcopi, qui Concilio assederunt 102. Causa convocati Concilii schisma cruentum & pertinax Photii contra S. Ignatium Patriarcham Constantinopol. cui extinguendo Patres convenerunt. Origo & progressus hic fuit. Michaël tertius Imperator cùm ephebis excessisset, in omnem licentiam & voluptatem mergi cœpit, tutoribus aut amotis, aut sublatis, contemptâque Theodorâ Matre Regni Curatrice. Successit ingratiam Imperatoris Bardas avunculus, qui, ut artificio jam aulicis noto, habenas Imperii solus occuparet, juvenis aliàs præcipitis animum in omne flagitium, genúsque voluptatum impulit, ipse interim Imperii potens, effeminato jam Augusto, & in otium ac delicias effuso. Et ut solus regnaret, amoti procul extinctique, qui crescentem auctoritatem inumbrare possent. Inter illos etiam Augusta truncatâ comâ in monasterium acta, quòd filium Bardámque flagitiis infames patienter haud ferret. Supererat Ignatius Patriarcha, sanctitate & doctrinâ illustris, & ideò Bardæ & Michaëli gravis, quòd illius virtute ex opposito micante perstringi se crederent, nec patienter ægris oculis Solem admitterent. Hunc perdendi hæc occasio se obtulit. Rogaverat aliquoties & suo & Augusti nomine Bardas Ignatium, velaret Imperatricem, jam Aulâ exclusam, & monasterio addictam: negavit Ignatius, nec enim invitam aliquam velari posse, multóque minùs Imperatricem, Orbis aliquando, nunc sui arbitram. Hinc primi ignes, mox incendium secutum. Deamabat Bardas nurum, defuncto marito viduam, eóque consuetudo processerat, ut maritum potiùs, quàm amantem referret, nam & Conjugem ejecerat, Amicam in thalamum recepturus, nisi obsta-

ret Ignatius; hic ubi monendo precandóq; nihil profeciſſet, videréq; inſuper Conſtantinopolim ſcandalo plenam ex inceſtis nuptiis, ad ferrum confugit, quo ſi ægro non poſſet, ſaltem publico mederetur, ne lues & exemplum vagari permiſſum etiam alios tangeret. Die tribus Regibus ſacra, quæ apud Græcos celeberrima eſt, proceſſerat in templum Imperator, & Bardas in comitatu primus. Patriarcha, jam ingredi parantem Bardam indignantis geſtu, vultúque ad ſeveritatem compoſito, ingreſſu arcet, ſacríſque interdicit, nec enim ſe permiſſurum, die tam ſacrâ, hominis tam impii profaníque ſacrilegio, Eccleſiam fædari. Perculit hominem ſacerdotis Imperium, multóque magis palàm, apertóque ſole, & in Græciæ totius conſpectu illata contumelia. Hinc totus in vindictam accingi. Perſuadet Imperatori Ignatium nova moliri, & præſentis Imperii pertæſum aliud meditari: illum regii ſanguinis ſupereſſe, fortunæ, quâ exciderat, necdum oblitum: ideò Theodoram Imperii Curatricem, velum reſpuiſſe, ut Ignatio præludente, in Thronum rediret: hoc incolumi & vicino, ſemper Michaëlem in lubrico fore. Facilè hæc credita, Patriarchâ jam exoſo, cui exilium dicitur in Terebinthum Inſulam. Et ſedes Conſtantinopolitana Photio delata, homini, nobilitate, officiis, & favore Principis facilè primo, & in quo dubites, plùs vitia an virtutes valuerint: Affinitate Imperatorem attingebat, hujus ſorore Irenâ in illius fratrem, matrimonio collocatâ: ſtudiis militaribus, bellóque inſignis: ſed imprimis regendi imperandique artes ſtudio, naturâ, primíſque Regni officiis in miraculum uſque edoctus: omni etiam litterarum genere excultus Poëſin, Rhetoricam, Philoſophiam, Medicinam, Aſtrologiam, & quidquid humano ingenio pervium eſt, callere, iísque totas noctes inſomnes dare, Oraculo quàm homini ſimilior; hinc omnium veneratione cultus amatúsque: ſed tot animi & naturæ dotes ambitio corruperat, cui uſque adeò indulſit, ut tandem humanâ induſtriâ, quâ tantùm valebat, conſumptâ, etiam magos adhiberet. Hoc Auctore conflatum illud Orientis ſchiſma, quo tandem Græcorum & Eccleſia & Imperium concidit. Photius ergo, ùt dicebamus, Monachus, Anagnoſtes, Subdiaconus, Sacerdos, & Patriarcha factus, ex milite & aulico, intra ſex dies, in Patriarcham evaſit.

Gregorius Syracuſis Epiſcopus, ſed ſacris jam dudum interdictus, novum Patriarcham inauguravit, Ignatii amicis partim pulſis, partim, ùt ſolet, in emergentem Solem intentis.

Nico-

Nicolaus I. re intellectâ Legatos Constantinopolim mittit, qui aut pœnis, & 100. dierum carcere, aut ingentibus promissis capti, corruptíque in Synodo 318. Patrum Photio dignitatem confirmant, abrogántque Ignatio Sedem Apostolicam appellanti, ùt habetur in libello Ignatii.

Hæc ubi Nicolaus I. explorata habuit, Photium damnat, privátque dignitate, & Ignatium restituit: hinc omnes à Photio discedere: quod ille impatientissimè ferens, Michaëlis & Bardæ Cæsaris potentiâ ferox, omnia pœnis, exiliisque miscet, coactâque Synodo mentitisque suffragiis mille, cùm ferè omnes repugnarent, in Pontificem anathema dicit: omnésque qui ad se aut litteratum, quibus unicè florebat, aut negotiorum causâ fluebant, juramento in partes suas trahit, & causam, quam ratione non poterat, numero firmat. Paullo pòst Bardas, in castris jussu Imperatoris obtruncatur: causa mortis partim æmulorum invidia, Basilii præsertim posteà Imperatoris: partim ambitio, quâ creditus est Imperium meditari, adeò contempto Imperatore, ut hujus castra in planum collocaret, hostibus exposita: sua in collem situ, & naturâ præmunitum, quæ illi causa cædem maturavit, quamvis ad genua Imperatoris provoluto. Ferunt Bardam insidias præsensisse, illiúque expeditionem recusanti, fidem juramento factam, calamis Christi sanguine intinctis: Paullo pòst secuta Imperatoris Michaëlis mors, à Basilio, cùm vino epulisque indormîsset, oppressi: Photius in Monasterium trusus, Ignatius post novem exilii & certaminis annos, Patriæ & Sedi redditus, & secundo posthæc anno, octava Synodus, & quarta Constantinopolitana agi cœpta, in qua damnatus Photius ejusque scripta flammis tradita: nec ideò tamen finitum schisma: nam Photius cum Basilio, quem suppositio vaticinio mirè deceperat in gratiam rediit, extinctóque Ignatio in Patriarchatum successit, impetratâ à Joanne VIII. Pontifice Max. prætextu componendi schismatis, confirmatione: & tandem à Leone Imperatore, quòd crederetur cum Santabareno Episcopo, magicis artibus infami, nova moliri, in monasterium truditur. Hic est ergo ille Photius, cujus à Romano Pontifice defectioni Græcia amissum Imperium & fidem debet, nec enim cum suo auctore sepultæ sunt discordiæ, sed sæpius compressæ gliscentésque, tandem Imperio exitium attulêre.

In hac octava Synodo multoties, multisque modis Romani Pontificis in Concilium auctoritas micuit. Negant enim Legati sedis Apostolicæ, se unquam universalis Concilii judicio subjectos fuisse; quantò minùs illorum Principalis Romanus Pontifex? Deinde Hadrianus more & exemplo aliorum Pontificum, ùt vidimus, Concilio modum legésque imponit, imperatque conditiones, cum quibus Photius judicare debeat, ejúsque fautores admitti rejicive: præscribitur regula fidei, in quam jurare debeant: jubentur Statuta & Decreta summorum Pontificum, tanquam regulas fidei certissimas admittere: Idque universali Concilio non tantùm audiente & consentiente, sed etiam positivè probante. Pontifex iterum Concilio non exspectato, ejúsque sententiâ, Photium prædamnat, idémque à Concilio fieri mandat. Qui libello à summo Pontifice misso non subscribunt, à Synodo non admittuntur. Solus Pontificis Legatus Photio scipionem, quo Episcopi more nitebatur, adimi jubet: & denique expresè & conceptis terminis *Act. 10.* definitur, summum Pontif. ne quidem à Concilio universali judicari posse, & habetur *c. definimus d. 22.* Ubi adverte, hoc primò fuisse in octava Synodo expresè definitum, quia tunc maximè auctoritas Romani Pontificis fuerat à Photio impugnata; Hæc omnia nostro quidem judicio tam apertè ostendunt Papam Concilio superiorem esse, ut si quis neget, ab eo quærendum sit, quid ergo sit esse Superiorem, & qui sint actus, & characteres Superioris, quos Romani Pontifices in Conciliis non exhibuerint? Et ne aliquid eorum, quæ diximus, in dubium vocetur, audiamus ipsa Concilii acta.

Cùm rogarentur Legati Sedis Apostolicæ mandatum Pontif. Hadriani Synodo exhibere, responderunt: *Hoc nos non invenimus in universali Synodo factum, ut Vicarii Senioris Romæ à quolibet perpendantur, utrùm talem existimationem habeant.* Et Hadrianus in Epist. ad Basilium Augustum, quæ habetur *Act. 1.* & in Synodo recitata est, sic loquitur: *Volumus per nostræ pietatis industriam, Constantinopoli numerosum celebrare Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum personarúmque differentias liquidò cognoscentes, (juxta quod in mandatis acceperunt,) singulorum liberè discretionis exerceant, in quo sacrato cœtu execrandi vanitatis Concilii, quod adversùs hanc sedem actum est, cuncta decernimus exemplaria, à pos-*

sessoribus

sessioribus suis ablata, contemplantibus cunctis igne cremari, ne superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem unum jota, vel unum apicem, nisi quis totius Clericatûs, immo totius nominis Christiani, anathemate perculsus, carere voluerit. Et paullo pòst recitatus libellus Româ missus à Pontifice, cui omnes subscribere tenerentur, qui sic habet:

Anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui contra sacras regulas, & sanctorum Pontificum veneranda decreta repentè de curiali administratione, sæculariq́ue militia sublatus, superstite Ignatio Patriarcha, in Constantinopolitana est pervasoriè, immo tyrannicè à quibusdam schismaticis, vel anathematizatis, atque depositis institutus Ecclesia, donec Sedis Apostolicæ sanctionibus inobediens perseverans, ejus sententiam tam de se, quàm de Patriarcha nostro Ignatio spreverit, & conciliabuli acta, quod sẽ auctore contra Sedis Apostolicæ voluntatem congregatum est, anathematizare distulerit. Sequimur autem sanctam Synodum, & amplectimur, quam beatæ recordationis Papa Nicolaus, cui & ipse Domine coangelice summe Pontifex Hadriane subscripsisti, ante sacratissimum Petri, Apostolorum eximii corpus celebravit: simul & quam tu ipse nuper ibi egisti, & omnia, quæ in eis statuta sunt, secundùm decreti vestri moderationẽ venerabiliter conservabimus, recipientes, quos recipiunt, & damnantes omnes, qui in illis damnati sunt, & præcipuè jam dictum Photium, & Gregorium Syracusanum, parricidas videlicet, qui contra spiritalem Patrem suum linguas eximere minimè formidârunt, atq́; perseverantes in schismate sequaces eorum, nec non & qui in illorũ communionis societate permanserint.

Sancta Synodus dixit: *Omnibus placet libellus, à Sancta Romanorum Ecclesia expositus.*

Et *actione 7.* Ingressus est Photius ad Synodum baculo innixus, quem ab eo Marinus Vicarius Romanus jussit aufferri, dicens: *Baculus signum est dignitatis Pastoralis, quod hic habere nullatenus potest, quia lupus est, non pastor.*

Et paullo pòst: *Mox recitata sunt gesta Synodi, quæ facta est ab Hadriano Romanorum Papa super promotione Photii.* In tertia autem epistola Hadriani ad Synodum hæc habentur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse legimus, de eo verò quemquam judicâsse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalib9 post mortem anathema sit dictũ, sciendum tamen, quia fuerat super hæresi accusat9, propter quam solùm licitũ ex minoribus majorum suorũ motibus resistere, vel pravos suos sensus liberè respuere: quamvis & ibi neo Patriarcharum,*

neo

nec ceterorum Antistitum cuipiam de eo, quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset.

Et Nicolaus in Epistola ad Michaëlem Imperatorem, quæ habetur *tom. 3. Conciliorum* circa finem: *Non ergo dicatis non egisse vos in causa pietatis, Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta Concilia suâ auctoritate firmat, suâ moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valitudinem perdiderunt. Quomodo non egeat quælibet Synodus Romanæ sedis, quando in Ephesino latrocinio cunctis Præsulibus & ipsis quoq; Patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est: Vicit Leo de tribu Juda, divinitùs excitatus, os aperiens, totam orbem, & ipsos quoq; Augustos concuteret, & ad pietatem commoneret, Religio Catholica penitùs corruisset? nam in causa sacrarum imaginum, ante sanctissimum Methodium, quin immo, & ante Synodum in Nicæa sub Irene congregatam, cùm adhuc hoc schisma noviter esset exortum, & Constantinopolitanos penè cunctos more pestilentiæ invasisset, Romani Præsules, Gregorius inter cetetos & Stephanus, convocatis Episcopis Occidentalium regionum, inveniuntur fortiter dimicâsse, & hoc funditùs condemnâsse.*

Et in *eadem Epist. §. Sed his tandem: Quoniam cùm secundùm Canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profectò, Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neq; cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt. Ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod & Bonifacius atq; Gelasius sanctissimi Præsules, non suis adinventionibus, sed Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes, dicunt: Bonifacius quidem Rufo, & ceteris Episcop. per Thessaliam & alias provincias constitutis, scribens: Nemo, ait, unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. Gelasius autem in commonitorio, Fausto Magistro fungenti legatione Constantinopolim dato: Nobis inquit, opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ Sedi sana rectaq; suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluêre deferri. Ab ipso verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiamq; illius constituerunt, non oportere dissolvi, cujus potiùs sequenda decreta mandarunt.*

Ubi

Ubi adverte, fuisse has Nicolai epistolas in Synodo lectas. *Act. 4. & Act. 10. & ultimâ. canone 21. Definimus neminem prorsus mundi potentium quenquam eorum, qui Patriarchalibus sedibus præsunt, inhonorare, aut movere à proprio throno tentare, sed omni reverentiâ & honore dignos judicare, præcipuè quidem sanctissimum Papam Senioris Romæ: deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexandriæ, ac Antiochiæ, atq; Hierosolymorum. Sed nec alium quemquam conscriptiones contra sanctissimum Papam Senioris Romæ, ac verba complicare, vel componere liceat, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum: quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioscorus. Quisquis autem tale facinus contra Sedem Petri Principis Apostolorum ausus fuerit intentare, æqualem & eandem, quam illi condemnationem recipiat. Porrò si synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, & profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos Senioris Romæ Pontifices.* Denique quemadmodum nemo magis, ùt Photius cum Romana Sede bellum gessit, ita nullibi magis ejusdem auctoritas eminuit, quam in hac Octava Synodo, ùt legenti patebit.

Ceterùm fuisse hanc Synodum Oecumenicam & universalem dubitari non potest, cùm Anastasius expressè id asserat *in præfat. histor.* ad hanc synodum, & ipsi Patres Concilii id passim testentur, ùt videre est in ipsis actis, habétque forma juramenti, quo SS. Pontifices Papatum adituri se obstringunt, recitátque Baronius *ad Annum DCCCLXIX. n. 59.*

De hac synodo Aimoinus *de Gest. Francor. l. 5. c. 28.* scribit multa aliter in ea fuisse definita, quàm orthodoxi Doctores antè statuerint, videlicet de adorandis imaginibus, & privilegiis SS. Pontificum. Quæ ubi in Aimoino legit Raderus *præfat. in 8. Synodum*, continuò bile accensâ dicit: *Aimoinum S. Ademari Benedictinum fuisse Iconomachum, impudentissimum, mendacem, sacrilegum*: hæc pro suâ modestia in Aimoinum Raderus, Scriptorem antiquissimum, & à veritate laudatum, infirmo nimis argumento, hoc est, convitio impugnans, quod plebeii solent, suæque causæ diffisi, rerúmque ignari, latratu magis quàm viribus fortes. Veritas sic habet. Ab Anno DCCCXLV. Bulgari operâ cujusdam captivi fidem Catholicam receperant, pe-

titis, acceptisque à Summo Pontifice sacris ministris. De iis paullo pòst absolutam 8. Synodum quæstio mota, utri Ecclesiæ subjici deberent, Romanæ, an Græcæ & Constantinopolit. pro se Græci pronuntiaverant, legatis Apostolicæ sedis reclamantibus. Hinc offensi Græcorum animi, Basilii præsertim Imperatoris, qui conatus acta Concilii jam signata & legatis tradita surripere, detectâ fraude, irritâque, Legatos minori, quàm acceperat, veneratione dimittit. Illi mare ingressi Piratas incidunt, amittûntque inter alia omnia etiam acta Concilii, Basilio ùt creditum est, fabulam ducente. Sed Legati Ludovici II. Imperatoris, & Anastasius Bibliothecarius aliâ Romam incolumes pervenerant, Pontifici Hadriano Acta Concilii integerrimè & fideliter conscripta tradiderant. Hâc occasione fuisse Concilium Græcâ fraude & Photii præsertim corruptum, non conjectura tantùm est, sed res certissima: nec apud Græcos hoc novum insolensque, qui, ùt suprà vidimus, omnia æquè Concilia Oecumenica mendaciis sparserant.

Vide ipsum Anastasium *in præfat. Ad Octavam Synodum*, qui inter alia post descriptas varias Græcorum fraudes, hæc scribit.

Sic igitur, sic Græci acceptâ occasione celebratorum universalium Conciliorum, frequenter egisse clarescunt, & nunc minuendo, nunc addendo, vel mutando, nunc in absentia sociorum, nunc in abscondito angulorum, nunc extra synodum, nunc post synodum, astutiâ suâ, immo fraude communibus sanctionibus abutuntur, & ad suos libitus cuncta, quasibi visa fuerant, etiam violenter inflectunt.

Itaque quidquid in Latino Actionum Octavæ Synodi Codice reperitur, ab omni est fuco falsitatis extraneum. Quidquid verò amplius, sive de Diœcesi Bulgarica, sive aliunde in Græco ejusdem synodi Codice forsitan invenietur: totum est mendacii venenis infectum. Denique disceptatio, quam coram Imperatore, vicariis & Bulgaris tantùm super Bulgarum terra suprà fuisse significavimus actam: post synodum consummatam, Canonesque 20. prolatos, atque 7. tantùm Capitulis terminum fidei depromptum, & omnia hæc in quinque Codicibus scripta, sive compacta, & omnium subscriptionibus roborata, sed & ipsos Codices plumbeâ bullâ munitos, atque sigillatim Loci servatoribus traditos Patriarchalibus sedibus deferendos, effecta est. Ne ergo Græcorum sueta astutia, quin potiùs dolositas etiam circa præsentem synodum agat, hæc me admonendi causâ dixisse sufficiat. Ceterùm bene novi, quod juxta Proverbiatorem: Frustra

stra jactetur rete ante oculos pennatorum. Unde quisque sapientiæ ac prudentiæ pennis ad alta sustollitur, omnes insidiarum muscipulas, quæ à Græcis in infimis tendi poterint, alto contemplationis saltu transcendet.

Hæc causa errandi Aimoino fuit, nec illi solùm, sed multis aliis Catholicorum, immo ipsi Juliano Cardinali in Concilio Florentino *Actor. 6. His omnibus*, inquit Raderus, *Præfat. in Concilium, meritò est ignoscendum, cùm hactenus exemplaribus & Codicibus Octavæ Synodi caruerint, cùm tot præsertim Concilia, quæ Octavum sibi locum usurpabant, in una causa fuissent habita.*

Hæc Raderus in omnes humanus, soli monacho implacabilis; quasi verò non eadem ratio aut omnes, aut nullum absolvat, Eadem de Aimoino, quæ Raderus, scribit Baronius, sed quod purpuratum decuit, majori multò, quàm ille, verborum temperantiâ, minoríque tumultu. Legat qui volet Aimoini historias, videbítque non illum sacrilegum, impudentissimum, mendacem esse: sed eum, cujus candorem, modestiámque Raderus meritò imitetur. Nec enim omnis, qui errat, talis continuò est, quem ille depingit. Vide de corrupta à Græcis octava synodo etiam P. Maymburgum *lib. 2.* de schismate Græcorum.

XI. Anno MCLXXIX. Concilium Lateranense convenit auctoritate Alexandri Tertii summi Pontificis, cui 300. Episcopi interfuerunt. Causæ convocati Concilii variæ, extirpatio schismatum, Ordinatio Electionis summorum Pontificum, & præsertim proscriptio Catharorum, Publicanorum, aliorúmque, qui partim hæresi, partim grassationibus Ecclesiam vastabant.

In hoc Concilio pro summi Pontificis auctoritate facit *c. 1 de modo eligendi summi Pontif.* quod habetur *tom. 4. Concil.* & *in c. licèt extra de El.* ubi: *Ex hoc tamen nullum Canonicis Constitutionibus præjudicium generatur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia prævalere; quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio definiri. In Romana verò Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.* Non ergo Concilium est supra Papam, cùm hic ex sententia Patrum superiorem non habeat.

XII. Anno MCCLXXIV. Sub Gregorio X. & Rudolpho Imperatore celebratum est Concilium Lugdunense secundum contra Græcorum errores, & pro recuperatione Terræ Sanctæ.

Episcopis supra 700. frequens, in quo inter alia capita fidei, quæ Legati Michaëlis Palæologi publicè professi sunt, hoc etiam fuit: *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum & plenum Primatum & Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quam se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Roman. Pont. est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarúmque prælati obedientiam & reverentiam sibi dant.*

Apud hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quòd Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchalia præcipuè, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit: suâ tamen observatâ prærogativâ, & tum in Generalibus Conciliis, tum in aliquibus alus semper salvâ.

Suprascriptâ fidei veritate (prout plenè lecta est, & fideliter exposita) veram, sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem cognoscimus, & acceptamus, & ore ac corde confitemur, quod verè tenet & fideliter docet, & prædicat sancta Romana Ecclesia.

Si ergo Pontifex Romanus summum & plenum Primatum obtinet in tota Ecclesia Catholica, idque cum plenitudine potestatis, multò magis in Concilio universali, quod infra Ecclesiam Catholicam est, eámque repræsentat. *Ex Concilio Constant. Sess. ult. post articulos Joannis Huss*; semper enim repræsentans est imperfectius repræsentato. Rursus si ad Pontificem Romanum pertinet de fidei quæstionibus definire, non potest aliud tribunal esse, altius certiúsque: nec definitum est, quod adhuc judicari ab alio potest, & consequenter in litem & dubium vocari; aut enim in rebus præsertim fidei, Pontificis judicium est certum, aut incertum? si incertum, non ergo quæstiones fidei per illud definiri possunt, definita enim in materia fidei sunt certa, & extra dubium. Si verò judicium Papæ est certum, ergo nec in litem, nec in judicium vocari potest; quò ergo Concilium, nisi ut actum agat, & nodum in scirpo quærat, aut umbram in Sole? & finem fini addat: quæ enim sunt fidei, semel definita sunt semper definita, nec possunt appellatione mutari.

Rursus

Rursus si omnes, & in omnibus causis Ecclesiasticis ad eum appellare possunt, ergo etiam à Concilio ad eum, non econtra provocatio admittitur.

Ubi nota, hæc à Græcis Legatis non in angulo, sed pleno Concilio dicta, & à nullo improbata, sed omnium plausu, & aggratulatione accepta.

XIII. Anno MCDXIV. Concilio Constantiensi principium datum sub Sigismundo Imperatore; convenerant Episcopi 214. ejus celebrandi causa, schisma pertinacissimum & inveteratum fuit, hæresesque Joannis Huss, & Wicleffi, de quo jam suprà aliquid diximus. Huic Concilio evenit, quod jam dudum multis Sanctorum Patrum, qui dum in unum errorem toti incumbunt, visi sunt extra medium veritatis in extrema rapi: sic B. Augustinus, dum totus est in commendanda gratia, ejusque necessitate & energia, visus est non paucis, etiam doctrinâ & pietate conspicuis, in libertatem offendere, ejusque jura minuere. Ex adverso S. Joannes Chrysostomus dum contra ignavos desidesque, liberum arbitrium humanamque industriam excitat, visus est gratiæ oblivisci, & Semipelagianis accedere. Idem in Constantiensi hoc Concilio evenit, ut videlicet, dum profligendo schismati, quod Summi Pontificatús ambitio excitaverat, totum studet, submittendique Concilii judicio tres Papas eósque incertos; visum aliquibus sit fimbrias extendere, & tantum Pontificum auctoritati demere, quantum sibi & Conciliis tribuerat. Nos contrarium, & nihil contra Pontificis jura factum, decisumque, multa verò pro illis ostendemus.

Primò Concilium Constantiense, quoties de potestate Concilii supra Papam loquitur, semper restringit ad præsens Concilium, & ad schismatis tunc grassantis extirpationem, ùt videre est *sess. 4.*

Hæc sancta synodus Constantiensis, & generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda.

Et paullo pòst. *Et primò, quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata, legitimè generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.*

Et *sess. 5. Et primò declarat, quòd ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque statûs vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris.*

Item declarat, quod quicunq; cujuscunq; conditionis, statûs, dignitatis, etiam Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, cujuscunq; alterius Concilii generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, &c.

Vult ergo Concilium apertè innuere, se in casu tantùm Schismatis & Papæ incerti potestatem habere: cur enim aliàs toties & tam constanter adjecit illam restrictionem: *In his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis.* Si extra casum schismatis, dubiique Pontificis, eam potestatem sibi vindicabat? nec enim ignorabant Patres, inclusionem unius esse exclusionem alterius ex vulgatissima juris regula. Videtur planè laborâsse Concilium, ut sæpius repetitâ eâdem restrictione, intelligeretur de superioritate in Papam non absoluta, sed tantùm in casu excepto.

Secundò. Postquam Martinus V. Pontifex renunciatus est, cessavit omnino tota Concilii Constantiensis Jurisdictio, nec ullum ampliùs morum aut fidei decretum Concilii nomine factum est, cùm tamen ante electionem omnia statueret, decerneret, definiret, juberet, vetarétque; quæ hujus causa; si tota, ùt adversarii dicunt, & Papalis potestas in Concilio est, & penès hoc magis, quàm ipsum Pontificem? Videatur *sess. 42.* (quæ post electionem Martini est prima) *& sequentes.*

Tertiò. In Bulla Martini V. sacro approbante Concilio facta, quæ habetur *sess. ult.* inter alias propositiones, quæ suspectum aliquem hæresis Hussiticæ faciunt, etiam hæc ponitur: *Papa Canonicè electus non est successor Petri, nec habet in Ecclesia Dei supremam auctoritatem.* Agnoscit ergo Concilium supremam in Pontifice auctoritatem, non autem suprema esset, si aliam haberet, cui subesset: tunc enim suprema Potestas, non Papæ, sed Concilii foret: sicut enim cœlum Empyreum supremum dicitur, & Ignis supremum elementum, & tectum suprema pars domûs; quia supra se aliud in suo genere superius non habent: ideò & suprema potestas in

Papa,

Papa, quia nulli subest: sicut etiam in Republica, qualis erat olim Romana, & statu Democratico, nemo dixerit, supremam potestatem esse penès Consules, aut Senatum, sed penès Populum: In Aristocratia verò penès Senatum & Magnates. Sed infrà, ubi solvemus objectiones, plura de Concilio Constantiensi dicentur.

XIV. *Anno MCCCCXXIX.* Concilium Ferrariense inchoatum: sed grassante lue Florentiam translatum est, duravitque menses 15 Præfuit Eugenius IV. Pontifex. Max. Adfuerunt Joannes VIII. Palæologus Græcorum Imperator cum Demetrio fratre, Principe Peloponensi, Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Bessarion Episcopus Nicænus, Isidorus Thessalonicensis Archiepiscopus, Ruthenus, aliique ex Oriente & Occidente celeberrimi. Disputatum inter Latinos Græcósque acriter, & tandem pax & unio secuta, receptis etiam in fidem Indis, Armenisque. Processio Spiritûs Sancti, & Primatus Pontificis admissus. Sed paullo pòst reversi in Patriam Græci, Marco Ephesino omnia turbante ad vomitum redeunt, & Constantinopolis non multos post annos capta est, Imperio orientis ad Turcas translato.

In hac ergo Florentina Oecumenica Synodo *Act. ult.* Josephus Patriarcha Constantinopolit. morti proximus hoc ultimum post se chirographum reliquit. *Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis, benignitate Dei meam sententiam his litteris palàm facio. Nam quæ Domini nostri Jesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ Veteris credit, omnia me quóque sentire, credéreque profiteor, ac ipsis plurimùm acquiesco.*

Et in litteris unionis circa finem: *Definimus Sanctam, Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Magistrum existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse.*

Vides ex allegatis Concilii verbis: Doctrinam & sententiam ac definitionem Pontificis è cathedra docentis esse fidei regulam, cui meritò acquiescì in rebus fidei possit, & pro tali fuisse à Josepho Patriarcha habitam commendatámque suis Græcis, ídque eo tempo-

temporis momento, cùm morientem & æternitati vicinum, omnis adulatio deserit. Quòd si Papæ definitio est fidei regula, & certa applicatio rerum credendarum, oportet eam esse infallibilem, necà Concilio emendabilem, nam ùt dicebamus, in rebus fidei semel decisa, semper decisa.

Deinde in eodem Concilio summo Pontifici plena potestas regendi universalem Ecclesiam attribuitur: ubi adverte, non dici, omnes Ecclesias particulares; sed *Ecclesiam Universalem:* hoc est, etiam in unum collectam, hæc enim propriè vocatur Ecclesia universalis. Nec in Florentino, nec in alia Synodo Oecumenica dictum est aliquando: Concilium succedit Petro, Concilium habet potestatem Vicariam pascendi universam Ecclesiam: penès Concilium est Primatus Ecclesiæ Christi: unde mirum est, velle nos Conciliis dare, quæ nullum Concilium ausum est sibi sumere.

XV. Anno MDXI. Ludovicus Galliæ Rex & Maximilianus Imperator Julio II. Pontif. Maximo varias ob causas infensi, Concilium in Galliis primò, deinde Pisis in Italia & Mediolani cogendum curaverant, ex hac velut arce Pontificis auctoritatem pulsaturi: sed Julius Pisano Concilio Lateranense oppositi, in quo *sess. 2. & 3.* Pisanum improbavit: Julio è vivis sublato Leo X. successit, & Lateranense Concilium prosecutus est, eique præsedit, quod anno 1517. finem accepit. Dum sessio 8. celebraretur, adfuerunt à Ludovico Rege Legati, ejúsque nomine Pisanum Concilium detestati Lateranensi tanquam vero, unico, legitimo & sacrosancto adhæserunt.

Verba mandati Regii habentur initio *sess. 8.* in hæc verba: *Intellexit præfatus Rex Sanctitatem suam insequendo in hac parte gesta præfati Julii, dictum prætensum Concilium Pisanum, tanquam minùs legitimum, & à non habentibus potestatem indictum, nec non omnia in eo gesta damnâsse & improbâsse, & dictum Consilium Lateranense tanquam ritè & legitimè indictum, ejúsque omnia gesta & decreta approbâsse, fuerítq; postmodùm per suam Sanctitatem, tam per litteras in forma brevi, quàm aliàs diversimodè paternè admonitus, ut à dicto prætenso Concilio tanquam minùs ritè, & à non habentibus potestatem indicto, recederet, & dicto Lateranensi tanquam verò, indubitato, unico, & Oecumenico Concilio adhæreret, ipséque Rex solo religionis zelo átque instinctu adductus, sperans desideratam universalem Christi fidelium pacem auspiciis præfati Sanctiss-*

Sanctissimi D.N. Leonis Papæ X. præstò affuturam, ac propediem, (favente Domino) unanimi Christianorum Principum & populorum consensu, arma in Orthodoxæ fidei, communésq; hostes convertenda esse: considerans insuper, quanti sit in his & ceteris rebus omnibus summi Pontificis auctoritas, quā præsertim vitæ munditia, atq; innocentia comitatur, quæ sunt in præfato Sanctissimo D.N. perspicua, paternis suæ Sanctitatis monitis & suasionibus abundè permotus, quippe qui illius auctoritati & sententiæ potiùs, quàm alterius cujusq; mortalium, sanctiùs & severiùs semper stare judicavit, præsertim ubi scandalum Ecclesiæ imminet & scissura, pro singulari, quam erga præfatum Sanctissimum D.N. & sanctam Sedem Apostolicam gerit, devotione, vestigia Christianorum Franciæ Regum prædecessorum suorum non solùm imitari, verùm etiam (si fieri potest) anteire cupiens, animadvertens præsertim, quia per mortem præfati Julii, omnis odii & suspicionis materia est extincta, & quòd nonnulli ex prænominatis Cardinalibus, nec non Imperator electus, qui dictum prætensum Concilium Pisanum indixerant, jam illi renuntiârunt, & dicto Lateranensi adhæserunt: Hinc est, quòd in præsentia præfati Sanctissimi D.N. Leonis Papæ X. coram nobis Notariis & testibus infra scriptis, personaliter constituti Reverendissimus in Christo D. Fridericus S. Theodori Diaconus Cardinalis de sancto Severino vulgariter nuncupatus, nec non Reverend. in Christo Pater D. Claudius de Seyssello electus Massilienſ. ac magnificus & generosus Ludovicus Forbini Dominus de Soleriis, præfati Christianissimi Ludovici Francorum Regis procuratores, ad omnia & singula infrà scripta peragenda specialiter deputati, constantibus litteris patentibus dicti Christianissimi Regis sua manu subscriptis, & sigillo suo sigillatis ejusdem Regis nomine & mandato, cum ea, quâ decuit Reverentia atq; humilitate à dicto prætenso Pisano Concilio penitùs discesserunt, illíque plenariè renuntiaverunt, ac purè, liberè & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concili prædicto, tanquam vero, unico, & legitimo, adhæserunt. Et insuper procuratorio nomine, quo suprà, promiserunt, quòd præfatus Rex Christianissimus, nullum deinceps favorem, nullámque assistentiam dicto prætenso Concilio Pisano quoquo pacto præstabit, quinimmo quoscumq; in Civitate Lugduni, aut alibi in regno, terris & Dominiis suis, sub nomine dicti prætensi Concilii Pisani persistentes, infra unum mensem proximè futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes, cujuscúmque statûs, gradûs, dignitatis aut conditionis fuerint, Ecclesiastici vel Sæcularis, de facto ejiciet & expellet, ac pro

schismaticus habebit, & contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati sanctissimi D. N. etiam manu armatâ (si opus fuerit) procedet. Et ulteriùs promiserunt præfati procuratores nomine quo suprà, prænominatum Christianissimum Regem facturum & curaturum cum effectu, quòd sex Prælati & quatuor Doctores seu graduati ex honoratioribus, ex numero eorũ, qui prædicto prætenso Concilio Pisano intervenerũt, destinabuntur ad eundem Sanctissimum D. N. Papam, nomine dicti prætensi Concilii Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore repræsentantes, tam eorum, quàm aliorũ omnium, qui dicto Concilio adhæserunt, nomine facto. Qui Prælati & Doctores, seu graduati infra Kalend. Januarii proximè futuri coram suâ Sanctitate personaliter comparebunt, dictóque Concilio Pisano, purè & simpliciter renuntiabunt, illúdq; adjurabunt, & veniam atque absolutionem à suâ Sanctitate humiliter in forma convenienti, & suæ Sanctitati accepta, postulabunt: & ulteriùs dicto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, indubitatóq; tam suo quàm aliorum adhærentium prædictorum nomine, adhærebunt, & se incorporabunt. Quódque si præmissa facta non fuerint, præfatus Rex nulli eorum, qui dicto prætenso Concilio Pisano interfuerunt, aut faverunt, opem, auxilium, aut favorem dabit adversùs sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem, quinimmo præfati Sanctissimi D. N. sententias, decreta & censuras contra eos exequi faciet suo posse, etiam manu forti & armatâ (si opus sit) absq; ulla simulatione vel fraude. Et ulteriùs promiserunt præfati procuratores, quo suprà nomine, quòd quamprimùm commodè fieri poterit, venient aliqui Prælati & insignes viri nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhærebunt & assistent, quemadmodum cetera nationes.

In hoc ergo Concilio, confessione ipsius Regis Christianissimi, sacrosancto, legitimo, unico, & cui inhæsurum se promisit, *Sess. 10.* hæc habentur: *Nec illud nos movere debet, quòd sanctio ipsa & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt; cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileens. Concilii, per Eugenium Papam quartum, etiam prædecessorem nostrum factam, à Basileens. Conciliabulo, seu potius conventiculo, præsertim post hujusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum, plenum jus & potestatem ha-*

tem habere, necdum ex sacra scriptura testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorúmq; Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, utpote notoria, silentio prætorire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Rom. Pont. ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse, non debere absq; Rom. Pontific. auctoritate Concilia celebrari. Néque nos latet, etiam eundem Leonem Pontif. Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonem transtulisse. Martinum enim Papam quintum præsidentibus suis in Concilio Senens. potestatem transferendi Concilium, nullâ consensus ipsius Concilii mentione habitâ, dedisse.

Ephesinam quoq; primam Synodum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constantinopolitanam Synodum Hadriano Romano Pont. prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorundémque Pontificum institutionibus, & mandatis in sacris Codicillis per eos editis & factis, reverenter & humiliter obtemperâsse. Unde Damasus Papa & ceteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: quandoquidem constet, Romanum Pont. cujus ante omnia decebat spectari Decretum, talibus non præbuisse consensum: eundémque Leonem Pontificem, universis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse apparet. Consueverunt q; antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, à Romano Pont. subscriptionem, approbationémq; humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonensi hujusmodi & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna, & Rom. sub Symmacho habitis Synodis, earúmque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quod etiam novissimè Constantienses Patres fecisse constat: quam laudabilem consuetudinem, si Bituricenses & Basileenses secuti fecissent, hujusmodi molestiâ procul dubio careremus.

Ubi observandum est, Concilium Lateranense fuisse utique Oecumenicum, uti habetur *sess. 8.* & in mandato Regis Christianissimi; quamvis enim vix centum adfuerint Episcopi; omnibus tamen patuit, omnibúsque indictum fuit: & in quintum annum duravit, omnibus,

bus, qui accedere vellet, apertum. Quamvis verò superioritas Papæ non fuerit per modum dogmatis definita, negari tamen haud potest, maximæ auctoritatis eam doctrinam esse, utpote in Concilio universali assertam, probatam, & quam nullus Episcoporum negare est ausus.

Et hactenus quidem quid ipsa Concilia universalia, primæque notæ, omniúmque Catholicorum assensu & veneratione recepta, de auctoritate summi Pontificis, exemplo & scriptis testata sint, abundè ostendimus: quæ si aliquis adhuc satis clara esse neget, quid enim hac nostra tempestate tam clarum est, quod dicendo non obscuretur? hæc ab illo petimus:

Primò, ut ostendat Concilium, quod sibi aliquando tantum tribuerit, quantum summo Pontif. quòd si ostendere non potest, cur velit Concilium præferre, quod non tantùm majora, sed ne paria quidem Pontifici usurpavit; *Secundò*, quid ergo sit aliquem esse majorem? Papa Concilium vocat, Papa confirmat, Papa improbat, & corrigit: Papa præscribit, imperatque Concilio: quærimus ergo, quid sit esse Superiorem, si hoc non est, & cur nunquam hanc potestatem in Pontifices Concilium exercuerit, quam toties immo semper in Concilium Pontifices? *Ultimò*, ut ingenuè fateatur, quicunque hanc veritatem impugnat: si ipse in Concilio tale aliquid in Sacris paginis, sanctisque Patribus legeret, qui videlicet dicerent, pertinere ad Concilium Decreta Pontificis confirmare: Papæ leges & regulam credendi præscribere: Concilium esse caput Ecclesiæ, Pastorum universalem, Vicarium Christi, &c. an non crederet Concilii superioritatem satis probatam esse? & tamen hæc omnia de Pontifice Romano & dicuntur & scribuntur, & omnium sæculorum exemplis praxîque ostendi possunt; cur ergo Pontifici neget, quæ Concilio negari haud possint, si de isto, quæ de Pontifice legerentur?

§. VI.

Summum Pontificem, à nemine, præter solum Deum judicari posse: non ergo Concilio subjici.

Summaria.

1. *Quid sit Papam Concilio superiorem esse.*
2. *Pontificem Romanum judicari à nullo mortalium posse, testimonio Synodi Sinuessanæ ostenditur in causa Marcellini Papæ.*
3. *Et Synodi Romanæ sub Sylvestro PP.*
4. *Et alterius Synodi Rom. in causa Sixti tertii PP.*
5. *Et Synodi Palmariæ in causa Symmachi Pontificis.*
6. *Et secundæ Ephesinæ Synodi in causa Dioscori Patriarchæ Alex.*
7. *Et Synodi Romanæ in causa Leonis III. Pontif. Max.*
8. *Iterum Synodi Rom. in causa Photii.*
9. *Solvuntur objectiones.*

I.

RErum formæ & essentiæ cognosci à nobis, nisi per operationes non possunt: totæ enim in sensum cadunt, & ab ipso in intellectum, qui ab operationibus & effectibus, velut totidem characteribus & indiciis, naturas ex vultu agnoscit, occultas alioquin abditásque. Sic Aristoteles Animam per Corpus, motúmque definit, sine quibus Anima, & sensui & intellectui impervia lateret. Nec Deum melius, quàm per effectus cognosci posse testis est B. Apostolus *ad Roman. 1.* & Sapiens *c. 13.* Eodem pacto, qui dicunt Concilium esse

supra Pontificem, hanc ipsam superioritatem velut formam, ideámque abstractam per effectus ostentant ; addúntque, posse Papam à Concilio judicari, damnari, corrigi, puniri, & alia quæ Superioris sunt ; & ideò Papam esse tantùm Ecclesiæ ministrum, & primarium agendi instrumentum, in ipso verò Concilio primariò & principaliter virtutem & potestatem capitalem & Vicariam, supremamque influendi, regendi, docendi, legésque statuendi, quæ etiam Papam obstringant, reperiri. Quæ si vera sunt, verum omnino est, Concilium esse supra Papam. Sed nos contrarium, nec has notas Superioritatis in Concilio, sed Pontifice reperiri ostendemus.

Age jam ergo, & hoc paragrapho expendamus, cujus sit Pontificem judicare. Ubi tamen observandum est, nobis sermonem non esse de casibus exceptis & irregularibus, v. g. hæresis, schismatis &c. in quibus quid Concilio liceat, posteà dicetur ; sicut enim in naturalibus potentia absoluta & obedientialis non determinat causam potentem ; ita in moralibus nemo superior, aut major dicitur à casibus exceptis & exorbitantibus. Sed ad rem ipsam veniamus.

II. Anno CCCIII. Cùm Romæ Vulcanalia agerentur, Marcellinus Pontifex ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, minis primùm, deinde blanditiis evictus est, ut thus Vestæ adoleret ; cujus delicti à viris Christianis 72. in Synodo 300. Patrum, quæ propterea convenerat Sinuessæ in crypta Cleopatrensi, convictus est : & cùm nemo auderet in Pontificem sententiam proferre, sed clamarent ; ipse in terram fusus, velatoque capite & cinere conspersо, primus sententiam in se ipsum dixit: *Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro.* In hac synodo nihil frequentiùs dictum, quàm Pontificem judicari à Concilio non posse. Audi acta.

Synodus autem universa hoc dixit: Cunctorum judicio tu eris judex: ex te damnaberis & justificaberis: tu enim judex, tu reus!

Et infrà: *Presbyteros & diaconos damnabant, ipsos etiam judicabant, non tamen judicabant Pontificem, quia sic ex uno ore erant concordati, ut ipse judex, ipse reus: ipse semetipsum in præsentia eorum se innocentem servaret, aut infidelem se damnaret.*

Et in-

Et infrà: *Petrus Episcopus dixit: loquere Pontifex, & judica causam tuam.* Et paullo pòst: *Collige in sinum tuum causam tuam: te enim non condemnamus Præsul, quoniam ex ore tuo justificaberis, & ore tuo condemnaberis.*

Et post pauca: *Melchiades Episcopus subscripsit primus in ejus damnationem, quoniam & ipse clarâ voce dicebat: Justè ore suo condemnatus est: & ore suo suscepit anathema, quoniam ore suo condemnatus est: nemo enim unquam judicavit Pontificem: quoniam prima sedes non judicabitur à quoquam.*

Habentur acta hujus Synodi *Tom. 1. Conciliorum*: & ea citat, utiturque Marcellini à nemine judicati exemplo Nicolaus I. in celebri illa ad Michaëlem Imperatorem epistola, quæ lecta est in Synodo Oecumenica 8. *Act. 6.*

III. *Anno CCCXXIV.* Post baptizatum Constantinum Romæ in Thermis Trajani à B. Sylvestro Synodus 284. Episoporum collecta est, præsente Constantino, Helenâque matre, in qua Valentiniana & Sabelliana hæresis damnata. Habetur hæc Synodus *tom. 1. Conciliorum, cujus 20. cap.* sic habet: *Nemo enim dijudicet primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque (NB.) ab omni Clero, neq; à Regibus, neq; à Populo judex judicabitur.*

IV. Anno CCCCXXXIII. Celebratum est Romæ in Basilica Heleniana, in Atrio Sessoriano Concilium in causa Sixti III. Pont. qui conflatâ illi ab Anicio Basso Exconsule calumniâ, & Mariano Patricio, stupri cum sacra virgine accusabatur: aderat Valentinianus Augustus, cui cùm dictum à Patribus esset: *Non licere adversùs Pontificem dare sententiam: surrexit idem protinus Imperator, & in arbitrio præfati Pontificis tribuit judicare judicium suum.* Verba sunt Nicolai Papæ in epist. ad Michaëlem Imperat. quæ habetur *Tom. 3. Concil.*

V. *Anno DII.* Romæ sub Symmacho Papa celebrata Synodus fuit in Porticu Basilicæ S. Petri, quæ palmaria dicebatur. Ejus vocandæ causa hæc fuit. Provecto ad Pontificatum Symmacho, Senatorum studiis & pecuniâ oppositus fuerat Laurentius Antipapa: à quo cùm calumniis Symmachus infamaretur, destinatus à Theodorico Italiæ Rege Visitator, qui in vitam morésque Symmachi inquireret. Hic tempori cedens, quid enim aliud cum Tyranno ageret? passus est in Synodo palmaria 115. Episcoporum, dilutis, quæ opponebantur, criminibus.

minibus innocentiam suam probari: idq; e sequenti anno in alia Synodo Romana repetitum : in qua Ennodio mandatum est, ut scriptâ apologiâ Schismaticorum criminationibus refelleret, quod tantâ abillo eloquentiâ, nervoque factum, ut communi omnium plausu & encomiis à Patribus exciperetur: hic ergo inter alia, quæ videri possunt *Tom 2. Concil.* ubi Ennodii libellus extat, hæc scribit:

Visitatores, inquiunt, *& aliis Episcopis dedit ipse, & justum est, ut facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso, diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen latorem juris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi: & nisi Princeps fastigii summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis & mentis est, quæ hominem viventem sine lege castigat: propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare: sed sedis istius Præsulis, suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præcæteris suo reservavit examini. Non habet apud illum Reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur eo teste, quo judice. Dicas forsitan omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & quæcunq; solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et rursus Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis ejus, factam toto orbe venerabilem, dum illi quidquid fidelium est, ubiq; submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram? Quid si immunda mihi labia habenti, & nullis succensa carbonibus, ut Esaiæ concessum est, ut his ablutis, ipsum ad passionis suæ tuenda privilegia Petrum Apostolum liceret evocare, & quod ait, precibus humana voce loqueretur? Quem si audieritis, hæc diceret: Filii hominum, usque quò graves corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid auribus imperitis illuditis, & graviorem vindictæ speciem facitis esse, quàm culpæ? si odium debetis excessibus, vos mundate.*

Cur liberiùs condemnatis scelera quàm videtis? sui impugnator est, qui

qui fornicationis officiis urget adulteria & animarum stupra, carnis accusat. Scriptum nempe retinetis: Maledicti omnes qui fornicantur abste. Fœda ergo à nitore Domini sui obligatione dissolvitur, qui statutis cœlestibus minùs mera fidei dependit officia. Possessionis nostræ vobis (ùt video) claritas movit invidiam, quam simulatâ ut mali possessoris indignatione transfertis, dum desudatis impendiis. Arcem, quâ fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis subruere: & cœlo stabilitam machinam, quanta sit, ostendere per ruinam.

VI. Anno CCCCXLIX. Secunda Ephesina Synodus sub Theodosio II. Imperatore & Leone Pontifice Maximo habita est. Adfuerunt Episcopi 128. præseditque Dioscorus Patriarcha Alexandrinus. A Leone missi Legati quatuor Renatus & Hilarius Cardinales: Julianus Episcopus Puteolanus, & Dulcitius. In hoc Concilio molitionibus Chrysaphii Evnuchi in aula præpotentis, & præsertim Dioscoro, minis armisque omnia miscente, Eutyches absolutus, Flavianus Patriarcha Constantinopolis damnatus, & paullo pòst in exilio consumptus. Legati Pontificis injuriis affecti, fugatique, de quibus videri possunt acta Concilii Chalc. *Act 1. & 2.* Sed omnem audaciam superavit, cùm Alexandriæ in paucorum conventu Episcoporum, & quos metu fregerat, ausus est in Leonem Pontificem sententiam dicere, eúmque sacris excludere.

Et hoc est illud infame, ùt Patres vocant, Latrocinium Ephesinum, sive Concilium prædatorium in Concilio Chalcedon. tanta execratione acceptum, *Act. 1.*

De hoc Dioscori facinore sic loquitur Nicolaus primus in celebri epist. ad Michaëlem Imperatorem: *In tantum hanc præsumptionem SS. Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum Antistitem, inter cetera idcirco potissimùm sine ulla restitutione damnaverint, quia in contumacia permanens erga primæ Sedis Romanæ privilegium, resipiscere à suis superstitionibus, ut servaretur à prima Sede Apostolica, noluit: & ponens in cœlum os suum, & linguâ ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictavit, ità ut in sententia contra ipsum prolata, hoc videantur memorare præcipuè, dicentes: Quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcēdit. Præsumsit enim & excommunicationē dictare adversùs sanctissimum & beatissimum Archiepiscopū magnæ Romæ Leonem. Numquid ibi legitur, inquisitionē fuisse factā, utrū justè an injustè ipsum jam factū Dioscorum excommunicationem dictâsse? Non planè, sed absq; omni controversia*

hoc in eo ulti sunt: quia cùm esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumeliis, teste Anatolio Constantinopolitano Præsule, qui dicit: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni.

Totam verò Synodum Ephesinam 2. omniáque illius acta damnavit, improbavitque Leo, ùt patet ex illius *Epistolis 22. 23. 24. & 25.* quæ habentur *Tom. 2. Conciliorum.*

Dices hoc 2. Ephesinum Concilium fuisse illegitimè celebratum, Patribus ad subscribendum, pœnis & metu compulsis : & ideò nihil probare ; cùm nemo dicat Concilium , in quo legitimus procedendi modus non observatur, esse supra Papam.

Respondemus, quòd huic Concilio nec auctoritas , nec legati Pontificis defuerint, ac ut tam fœdè in Latrocinium evaserit, non aliam causam fuisse, quàm quòd imperio & voluntati Leonis ejúsque Legatorum non paruit, ad hanc enim regulam, si Dioscorus & Patres spectâssent, numquam à recto flexissent : idémque fuit posteà Basileensis Concilii infortunium. Ergo vel hoc ipso, aliisque exemplis multis palàm est, Concilium Papæ, ejúsque voluntati & sententiæ oppositum, non tantùm majoris auctoritatis non esse, sed planè nullius, extinctóque velut vitali colore , corruptioni obnoxium.

Audi Leonem ipsum *epist. 23. ad Theodos. Augusti. Litteris Clementiæ Vestræ, quas dudum ad B. Petri Apostoli Sedem, pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in cusa tam simplici, támque munitâ nihil putaremus posse existere, quod noceret, præsertim cùm ad Episcopale Concilium , quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset Antistes, ita manifestatione purissimæ fidei , quàm divinitùs inspiratam & accepimus & tenemus , omnium concertationum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultrà deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret.*

VII. Anno DCCC. Sub Leone III. & Carolo Magno Romæ omnium Italiæ & Franciæ Episcoporum Synodus fuit, ingenti utriúsque nationis Optimatum frequentiâ , ùt testatur Anastasius in vita Leonis. Causa hujus Synodi hæc fuit. Hadriano Pontifici omnium voto Leo successerat , cujus electionis invidiâ Paschalis & Campulus Hadriani nepotes tacti (nam ipsi ad tiaram aspirabant) aulâ

ausi sunt Leonem solemni ritu supplicantem, cum armatorum globo invadere, cædere, & indignissimè habitum in carceres agere: ut verò tam impio facinori velum prætexerent, sanctum Pontificem variè criminati sunt. Cùm ergo jussu Caroli, qui decreverat in sacræ Majestatis reos vindicare, Episcopi in Leonem eique objecta inquirerent, omnium Antistitum oborta est exclamatio: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: Nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitùs mos fuit: sed sicut ipse Summus Pontifex consuevit, jubeat, canonicè obediemus. At venerabilis Leo Præsul*, inquit, *Prædecessorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus, quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.* Sic habet Anastasius *in vita Leonis*, & Æmilius *de gestis Francorum in Carolo M.*

Forma purgationis à Leone facta recitatur à Baronio *ad Annum DCCC.* ex ritibus Romanæ Ecclesiæ in hæc verba.

Notares est, fratres Charissimi, malos adversùm me homines insurrexisse, néque ad vitam meam gravissimis criminibus infamâsse. Cujus rei cognoscendæ gratiâ clementissimus hic ac serenissimus Rex Carolus unà cum sacerdotibus ac Principibus suis in hanc urbem se contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. à nemine judicatus, néque coactus, sed meâ voluntate impulsus purgo me, præsentibus vobis coram Deo & Angelis ejus, qui conscientiam novit, & Beato Petro Principe Apostolorum, in cujus conspectu consistimus, néque sceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetrâsse, néque perpetrare jussisse, Deum testans, in cujus judicium venturi sumus, & in cujus conspectu consistimus. Et hoc facio, non legibus ullis obstrictus, neq; hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis & fratribus Co-episcopis imponere cupiens, sed ut certiùs iniquis vos suspicionibus liberem.

VIII. Anno DCCCLXVIII. In Synodo Romana sub Hadriano II. in causa Photii sic Pontifex prælocutus est: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicâsse legimus, de eo verò quemquam judicâsse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus liberè respuere: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antistitum cupiam de eo, quamli-*

bet fas fuerit, proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset.

Quæ verba lecta & approbata sunt in 8. Synodo Oecumenic. *Act. 7.*

Ubi nota, quamvis hæc Concilia generalia non fuerint, summum tamen probandi auctoritatem habere, plenámque' fidem facere: quis enim credat tot, tantósque Episcopos, támque ab omni adulatione alienos, doctrinâ & pietate insignes, quíque toties Pontificem Maximum & sine ulla omnino exceptione à nullo judicari posse dixerunt, ignorantiâ deceptos esse, & quid Concilii in Papam liceceret, ignorâsse? Maximè cùm sacrorum Canonum hac in re tam clara sit sententia, ut clarior desiderari haud possit.

Videantur S. Bonifacius Mart. *in c. si Papa d. 40.* S. Anaclet. *d. 79. c. electionem.* S. Innocentius Pontifex Max. *in c. nemo 9. q. 3.* S. Anterus Martyr. *in c. facta 9. q. 3.* S. Gelasius Papa omnibus Episcopis per Dardaniam constitutis scribens *in c. cuncta 9. q. 3.* S. Nicolaus I. Papa in epist. ad Michaëlem Imperat. *c. patet 9. q. 3.* Paschalis Papa *in c. significâsti. de elect.* Innocentius III. *in c. innotuit. de elect.*

IX. *Non obstat I.* allegatis auctoritatibus Pontifices in propria causa testari. *Respondimus* jam suprà, Pontifices non pro sua, sed Dei & Ecclesiæ Christi causa locutos esse: nec aliud quàm ipsa Concilia scripsisse. Si Papæ in propria causa loquenti, ùt dicunt, credi non debet, cui ergo credemus? & quis huic controversiæ finem imponet? nam & Concilia eadem exceptio premet, judicâsse videlicét Patres in propria causa: quamquam & Concilia pro nobis stare, jam plùs satis monstratum sit, ut quod Christus olim Judæis *Joann. 5.* hoc Vicarii Christi suam auctoritatem impugnantibus dicere possint: *Scrutamini Concilia, in quibus putatis vos veritatem habere, & illa sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Non obstat II. Beatum Petrum fuisse graviter à B. Paulo objurgatum, idque patienti animo tulisse; cur ergo non possit Papa à Concilio? *Respondemus*, aliud esse objurgare aliquem, aliud judicare: hoc jurisdictionis est; non illud: quicunque enim malè agit, redargui potest, ùt olim Nathan Davidem, & Regem, & Prophetam adulterii redarguit; & hodie concionatores: quicunque ergo vas electionis es, & raptus usque in tertium cœlum audisti arcana verba, peccantem Pontificem, ùt voles, objurga, quod etiam B. Bernardus, aliique

aliique eodem spiritu acti fecerunt: sed memento in Exodo *c. 25.* scriptum esse: *Facies quoq; candelabrum de auro mundissimo: emunctoria quoq; fiant de auro purissimo.* Ergo non emungat, qui aurum non est. (a)

Non obstat III. Honorium Papam à sexta Synodo damnatum esse.

Respondemus, Jam suprà de Honorio dictum esse. Sed quidquid de illius damnatione sit: aut Honorius hæreticus fuit, aut non fuit: si non fuit, ergo nec damnatus est, cùm ejus damnandi non alia, quàm hæresis causa in Concilio notetur. Si hæreticus fuit, hic est casus exceptus, de quo infrà dicetur: hæreticus enim Papa cùm ampliùs Ecclesiæ membrum non sit, nec caput esse potest. Et diligenter advertendum est, Agathonem Papam in Epist. ad Synodum 6. nunquam dixisse Pontifices, ùt personas privatas in fide nunquam ertâsse; sed *Sedem Apostolicam:* aliud est enim error Sedis, aliud error Personæ; nec enim quidquid agit, aut dicit Papa, agit, dicitque ùt Pontifex & Persona publica. (b)

Non obstat IV. Sexta Synodus Oecumenica, quæ *can. 13. & 55.* Pontifici Romano præcipit, permittat matrimonii usum Sacerdotibus, abrogétque Sabbathi jejunium.

Respondemus. Duodecim à sexta Synodo annis, sedente Sergio Pontifice Anno Christi 692. fuisse eam Synodum celebratam Constantinopoli ab Episcopis Orientalibus, eámque penthectin vocatam, hoc est, quini-sextam, quòd videlicet eo prætextu convenisset, ut quæ Quintæ & Sextæ Synodo deessent, suppleret. Vocata est etiam Trullana, à loco videlicet in modum trullæ camerato. Adfuerunt Patres 227. sed à sede Apostolica nullus, qui ejus nomine præsideret. Tantumque abfuit Oecumenicam esse, ut etiam à Sergio damnata fuerit teste Beda *de sexta ætate in Justiniano minor.* & Anastasio *in Sergio.*

Ceterùm, quàm illi canones egregiè & ex præscripto Apostolicæ doctrinæ constituti sint vide S. Gregorium M. *l. 7. ep. 39.* Carthaginense Concilium *2. can. 13.* Ephiphanium *hæresi 19.* & Cabassutium *ad Concilii Nicæni Can. 3. & Ancyrani c. 10. & ad Concilium Laodicenum cap. 50.* enimverò cum Catholicis agimus, quibus operæ pretium

(a) V. S. Augustin. epist. 19. ad Hieronym. & Gregor. homil. 18. in Ezech.
(b) Videatur de Honorio Cabassutius in sua historica notitia ubi agit de sexta Synodo.

non fuerit jam probata probare, claroque Sole facem præferre. Qui volet historiam improbatæ hujus Synodi non tantùm à Sergio, Joanne VII. & Constantino summis Pontificibus, sed etiam tribus Patriarchis Alexandrino, Hierosolymitano, & Antiocheno, videre potest Bedam *de sex Ætatibus, in Justiniano minore*; Anastasium Bibliothecarium *in Sergio*, & Baronium *ad annum 692.* ubi etiam inveniet subinde hujusmodi Canones Trullanos à summis Pontificibus contra ipsos Græcos citatos esse, partim etiam vitandi schismatis causâ toleratos, qualis est Canon de matrimoniis Clericorum.

Non obstat Quintò c. siquis 42. c. 2. q. 7. ubi: *Si quis super his nos arguere voluerit, veniat ad sedem Apostolicam, ut ibi ante Confessionem beati Petri mecum juste decertet, quatenus inibi unus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Hisce verbis Gregorius Judicem aliquem agnovit, & se judicio submittit. Neque hoc novum & rarum, cum Constantius Liberium, Justinianus Sylverium & Vigilium in exilium egerint. Otto I. Joannem XII. deposuit, Leone VIII. substituto. Henricus III. Gregorium VI. in ordinem redegit, jussitque Clementem II. Pontificem renuntiari. Quòd si Principes sæculares potuerunt Jus Pontificibus dicere, in eósque sententias ferre, quanto magis id potuerunt Concilia ex Sacerdotibus conflata? quod ipsi summi Pontifices apertè confitentur *in c. Petrus. & c. nos si incompetenter 2. q. 7.*

Respondemus. Exempla, quæ producuntur, nihil probare contra expressos Canones à nobis citatos; nota enim est regula Jutis: *Non exemplis, sed legibus judicandum esse.* (a) Cùm enim exempla & facta hominum alia sint bona, alia mala, & à legibus prohibita; prius oportet ostendi bona & juxta leges fuisse, quàm pro argumentis ad aliquid probandum sumantur. Quid enim tam malum est, absurdumque quod exemplo careat? Constantium & Justinianum Augustos nullo jure, sed summâ injuriâ usos esse, palàm ex historiis est. Otto I. Joannem XII. hominem perditissimum, & flagitiis magis, quàm dignitate maximum, throno movit, majori zelo, quàm æquitate; belli nimirum, quàm juris legumque peritior. (b) Quid verò Imperatoribus Ecclesiæ Advocatis jure defensionis liceat Pontifice Ecclesiam vastante, infrà dicetur.

Ad

(a) Per textus in L. sed licet ff. de off. Præs. L. nemo C. de sentent. & interloeut. & c. sana d. 9.

(b) De quo V. Ottonem Frising. l. 6. c. 23. & Baron. ad annum CMLXIII.

Ad citatos Canones dicimus, posse Summos Pontifices innocentiæ suæ certos, non Concilii tantùm, sed aliorum etiam Principum examen & judicium admittere, non qudem ut illis se, suámque dignitatem, sed factum ipsum submittant, idque exemplo Christi Domini, qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Audi Gratian. post *c. testes, 2. q. 7.* *Aliud est, quod de rigore cogimur servare disciplinæ, aliud quod admittitur ex perfectionis consideratione. Christus ad se arguendum Judæos admisit perfectione humilitatis, non severitate juris. Si enim legis rigore essent admissi, hac auctoritate criminosi, & infames in accusatione religiosorum essent recipiendi, cùm essent sceleratissimi, qui de Christi nece tractantes, innocentem condemnare volebant. Hoc ergo exemplo Prælati non coguntur recipere subditos in accusatione sui, sed permittuntur. Item Paulus Petrum reprehendit, qui Princeps Apostolorum erat. Unde datur intelligi, quòd subditi possunt reprehendere Prælatos suos, si reprehensibiles fuerint. Sed hoc facilè refellitur, si unde sit reprehensus, advertitur. Petrus cogebat gentes judaizare, & à veritate Evangelii recedere, cùm Judæis gregem faciens, & à cibis gentilium latenter se subtrahens. Par autem in se est, à fide exorbitare, & alios exemplo, vel verbo à fide dejicere. Ergo hoc exemplo non probantur Prælati accusandi a subditis, nisi forte à fide exorbitaverint, vel alios exorbitare coegerint.*

Et B. Gregorium *c. Petrus eodem: Petrus potestatem regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus querimonia contra eum à fidelibus facta, cur ad gentes intrâsset, non ex potestate officii, quâ posset dicere, oves pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex ratione divinæ virtutis, quâ gentiles acceperant Spiritum S.*

respondit.

§. VII.

§. VII.

Non dari Appellationem à Summo Pontifice ad Concilium, non ergo huic Pontificem subesse.

Summaria.

1. *A Pontificis Rom. sententia appellari non posse, auctoritate SS. Canonum probatur.*
2. *Aliorumque Doctorum doctrinâ & sanctitate insignium.*
3. *Constitutio Pii II.*
4. *Rationes.*

I.

A Minore Judice ad majorem provocari certi juris est; si ergo ostenderimus judicium Papæ ultimum esse, nec ab alio rescindi, eo ipso sequeretur, supremam, nullíque alteri subjectam potestatem Pontificis Romani esse.

Canones primo loco audiamus. S. Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos *in c. cuncta 9. q. 3. Cuncta per mundum novit Ecclesia, quòd sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat judicandi: neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Sed nec illa præterimus, quod Apostolica sedes sine Synodo præcedente, & solvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nullà existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem: & hoc vimirum pro suo Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini & voce tenuit semper, & tenebit.* Idem *in c. ipsi 9. q. 3.*

Ipsi sunt Canones, qui Appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluêre deferri. Ab ipsa verò nusquā prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium: nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiámq; illius

illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequenda mandârunt.

S. Bonifacius Martyr *in c. si Papa d. 40. Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens, deinceps deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus, nihilominùs innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius: pro cujus perpetuo statu universitas fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animadvertit, propensiùs pendere.*

Patres Concilii Sinuessani ad Marcellinum Pontificem: *Absit, ut à nobis summus Pontifex judicetur. Negâstitu? negavit & Petrus Magister tuus: & quis Apostolus ausus fuit inde eum judicare? sed egressus foras flevit amarè. Tu ergo in sinum tuum causam collige, tuo ore te judica, non nostro judicio.*

S. Thomas *de Pont. q. 10. a. 4. ad 13. Ex gestis Chalcedonensis Concilii habetur primò, quòd sententia Synodi à Papa confirmatur: Secundò, quòd à Synodo appellatur ad Papam: Tertiò, quòd à Papa ad Synodum non appellatur, ùt habetur ex gestis Concilii Ephesini.*

B. Augustinus Triumphus *lib. de Potestate Ecclesiast. q. 6. a. 1. Solus Papa dicitur esse vicarius Dei, quia solum, quod ligatur vel solvitur per eum, habetur solutum & ligatum per ipsum Deum; sententia igitur Papæ, & sententia Dei una sententia est, sicut una sententia est Papæ, & auditoris ejus. Cùm igitur appellatio semper fiat à minore judice ad superiorem, sicut nullus est major seipso, ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum, &c. Nullus potest appellare à Papa ad Deum: sicut nullus potest intrare ad consistorium Dei, nisi mediante Papâ, qui est æternæ vitæ consistorii claviger, & ostiarius. Et sicut nullus potest appellare ad seipsum: ita nullus potest appellare à Papa ad Deum: quia una sententia est, & una curia Dei & Papæ.*

B. Antoninus *in summa T. 23. c. 3. §. 3. Quicumq; sentit, quòd à Romano Pontifice ad quemcúnq; alium liceat appellare, conatur quantum in se est, aufferre privilegia Romanæ Ecclesiæ: quod probatur ex omnibus præmissis. Primò sic: Quicúmq; sentit Romanum Pontificem non esse summum, supremũ & unicum caput totius Ecclesiæ, aufferre conatur privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo concessum: sed quicunq; à Papa appellan-*

dum esse sentit, sentit Papam non esse summum & unicum caput Ecclesiæ: ergo, &c. Major patet ex primo præambulo. Minor ex tertio patet: ex quo sequitur, quòd quicúmq; hoc sentit, sentit contra articulum Nicenæ Synodi: Ubi dicitur, unam sanctam Ecclesiam: quæ Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde & Ioann. 10. dicit Christus: Fiet unum ovile & unus Pastor: sed si licitum esset appellare à Papa: & ille, ad quem appellaretur, esset caput: sic Papa non esset caput: vel essent duo capita, quod esset monstruosum & dirumpens Ecclesiæ unitatem. Et hinc est, quòd felicis recordationis Bonifacius Octavus in extravagante, quæ incipit: Unam sanctam: probat, per unitatem Ecclesiæ esse de necessitate salutis omnem humanam creaturam Romano Pontifici esse subjectam. Secundò arguitur idem ex secundo Privilegio sic: Quicumq; asserit quòd Romanus Pontifex non habeat plenitudinem Potestatis super omnes: aufferre conatur Privilegium Ecclesiæ Romanæ à Christo traditum: quod patet per secundum privilegium suprà positum: sed sentiens appellandum esse à Papa, sentit ipsum non habere potestatis plenitudinem super omnes: ergo &c. Minor patet; quia ille ad quem appellatur habet potestatem super illum, à quo appellatur, qui potest ejus judicium mutare & sententiam retractare: sed si quis haberet potestatem super Papam, Papa careret illâ potestate: eò quòd in hoc ei esset subjectus: & per consequens non haberet plenitudinem potestatis. Ex tertio privilegio arguitur idem sic: Quicumq; sentit Romanam Ecclesiam non habere firmitatem immobilem & perpetuam, aufferre conatur Privilegia Romanæ Ecclesiæ ei à Christo tradita: sed sentiens quòd à Romano Pontifice possit appellari, sentit Romanam Ecclesiam non habere perpetuam & immobilem firmitatem: ergo prædictum privilegium ei aufferre conatur. Major patet: quòd Ecclesia sicut est una, sic est firma: ideò dicitur in utróq; symbolo: unam sanctam Ecclesiam. Sanctam autem idem est quod firmum: unde & immutabilia statuta vocantur sanctiones. Minor patet: quòd judex, ad quem appellatur, potest judicia & sententias ejus, à quo appellatur, mutare & renuntiare & retractare: ergo si à Papa licitum sit appellari, judicia & sententiæ Papæ immutabiles & firmæ non erunt. Et ideò quicúmq; statuta Papæ crediderit violanda, prævaricator fidei reputatur. Ita Hadrianus c. generali. 25. q. 1. Ex quarto privilegio probatur idem sic: Quòd si appellari posset ad alium: aut appellatur ad alium Papam, aut ad Concilium generale; Non ad Papam successorem: tum quia non habet par in parem jurisdictionem, extra de elect. cap. innotuit. §. quamvis. Tum quia Roma-

nus

nus Pontifex parem potestatem habet cum præcedente. Is autem ad quem appellatur, debet esse superior: tum etiam quia absens: sicut ille, qui mortuus est, ex hoc mundo migravit: tum etiam, quia potestas Papæ se extendit ad illos, qui sunt super terram: ut patet ex forma collatæ potestatis: Quodcúmque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Super terram autem non est Papa defunctus. Sed ne ad Concilium generale à Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet, quidquid agitur: nisi auctoritate Romani Pontificis & roboretur & confirmetur: sentire ergo, quòd ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum sanctum: Ecclesiam Catholicam. Ex quinto privilegio patet idem sic: Quicúmque sentit, quòd à Papa possit ad alium appellari, sentit quòd Romanus Pontifex possit ab alio judicari: sed hoc est contra privilegium Romanæ Ecclesiæ: ergo talis sic sentiens privilegium Romanæ Ecclesiæ aufferre conatur. Item hoc sentire, est sentire, quòd Papa habeat superiorem: & quòd sit aliquis eo major: quod est dicere Romanum Pontificem non esse unum caput, & universale: & per consequens sentit contra Ecclesiæ unitatem.

Duvalius Doctor & Theologus Sorbonicus *lib. 4. q. post.* In causa appellationis appellans à potestate & jurisdictione ejus, à quo appellat, eximitur. At in nullo casu potest quis à jurisdictione & potestate Rom. Pontif. eximi: alioquin non esset amplius illius ovis, ac per consequens nec Christianus; cùm Christus in quoscúnque Christianos Petro dederit potestatem his verbis: Pasce oves meas, non has aut illas, non hujus aut illius regiones, sed in universim, oves meas, id est, omnes, qui Christianæ Religioni nomen dederunt, ùt eleganter 3. de consideratione ad Eugenium docet Bernardus. Secundò. Per appellationem recedit appellans ab obedientia & communione ejus, à quo appellat. Atqui nulli Christiano, in quacúnque dignitate sit constitutus, ab obedientia summi Pontif. & communione cum ejus sede licet recedere. Quisquis enim extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio, uti Hieron. Damasum Sedis Apostolica Rectorem alloquitur. Tertiò. A Monarcha Monarchico, id est, extremo judicio judicante, nefas est appellare. At Pontifex Rom. est supremus Ecclesiæ Monarcha: extremo igitur judicio quaslibet causas ita terminabit, ut fas amplius non sit, ad ullum aliud tribunal provocare. Quartò. Judex à cujus judicio provocatur, judicem ad quem fit provocatio parti condemnatæ dare, aut designare non debet: Sic enim ageret in seipsum, abiretq; in rem judicatam,

contra communem juris Regulam: atqui solius Pontificis Romani est Concilia Oecumenica indicere, congregare, & confirmare, atq; eorum decretis robur tribuere; itaque si ab ejus judicio ad Concilii tribunal sit provocatio, debebit Pontifex ipse contra seipsum, in rem à se absq; fraude sibi facta, judicatam abire: arma, quibus emendetur & corrigatur suppeditare: & quod amplius est, ista omnia contra se suumq; judicium definita novo suo calculo confirmare, qui certè universum justitiæ ordinem, præclarissimamq; hierarchiam omnino pervertit, & destruit.

S. Bernardus *epist. 213. Quis mihi faciet justitiam de vobis? si haberem judicem, ad quem vos trahere possem, jam nunc ostenderem vobis (ut parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad illud appellem vos, qui illic, si vobis necessarium & mihi possibile esset, vellem magis totis viribus stare, & respondere pro vobis. Itaq; recurro ad eum, cui in præsenti datum est judicare de universis, hoc est, ad vos: vos judicare inter me & vos.*

III. Pius II. Pontifex Max. *Execrabilis & pristinis temporibus inauditus, tempestate nostrâ invalevit abusus, ut à Romano Pontifice, Jesu Christi Vicario, cui dictum est in persona B. Petri: Pasce oves meas, &c. Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate judicii, sed commissi evasione peccati, ad futurum Concilium provocare præsumunt. Quod quantùm sacris Canonibus adversetur, quantumcumq; Reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non ignarus jurium, intelligere potest. Namque ut alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifestissimè refragantur, quis non illud ridiculum, quòd ad id appellatur, quod nusquam est, neq; scitur, quando futurum sit? Pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nutritur adversùs primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo confunditur.*

Volentes igitur hoc pestiferum virus à Christi Ecclesia procul pellere, & ovium nobis commissarum saluti consulere, omnemq; materiam scandali ab ovili nostri Salvatoris arcere, de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, cunctorumque Prælatorum, ac divini & humani juris interpretum curiam sequentium, concilio & assensu, ac certa nostrâ scientiâ, hujusmodi provocationes damnamus, & tanquam erroneas, ac detestabiles reprobamus. Cassantes & penitùs annullantes, siqua hactenus totaliter interposita inveniantur, eáque tanquam inanes, ac pestiferi

stiferas, nullius momenti esse decernimus, ac declaramus. Præcipientes deinceps, ut nemo audeat quovis quæsito colore, ad ordinationibus, sententiis, sive mandatis quibuscunq; nostris, ac successorum nostrorum, talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere, seu eis quomodolibet uti.

Si quis autem contrà fecerit, à die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica, post duos menses, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, vel conditionis fuerit, etiamsi, Imperiali, Regali, vel Pontificiali refulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat, à qua nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo, absolvi non possit. Universitas verò sive collegium, Ecclesiastico subjaceat interdicto, & nihilominus jam Collegia & universitates, quam prædictæ, & aliæ quæcunque personæ, eas pœnas ac censuras incurrant, quas rei Majestatis & hæreticæ pravitatis fautores incurrere dignoscuntur.

IV. Rationes verò ob quas negamus à Papa ad Concilium appellari posse, sunt præter toties dictas : quòd à Vicario appellari non possit, cùm habeat idem tribunal cum suo Episcopo & Principali, *c. 2. de consuetudine in 6.* sed Papa est Vicarius Christi, ergo sicut à Christo appellari ad alium non potest, ita nec ab ejus Vicario : quodsi Concilium hanc ipsam vicariam potestatem sibi vindicat, quærimus à quo, & quando datam ? eruntque duo in Ecclesia Christi Vicarii, duo capita, hoc est, monstrum non corpus, nullibi in Scripturis, aut Conciliis lectum auditumque. Deinde cùm nullum valeat Concilium, à Papa non vocatum, confirmatumque per expressos textus *in d. 17.* appellatio aut erit inutilis, aut impossibilis : erit enim appellatio à Papa ad Papam, & labyrintho similis in seipsum redeunti. Et tandem cùm à Concilio ad Papam provocatio detur; erit circulus appellandi perpetuus, & nunquam finiendus: A Papa provocabis ad Concilium, à Concilio ad Papam, & ab hoc ad Concilium redibis, lusum potiùs, quàm litem & causam acturus.

Non obstat *epistola 162.* Augustini, ubi scribit: *Causam Cæciliani primò judicatam à Pontifice, & deinde ab Episcopis.*

Respondemus. Illud non necessitatis fuisse, sed conniventiæ, ut hæreticis omnis tolleretur tergiversandi causa, de quo vide Gratianum eleganter *ad can. testes 2. q. 7.* & B. Gregorium *in can. Petrus. eâdem.*

§. VIII.

A Concilio universali ad Papam appellari, hunc ergo illo majorem esse.

Summaria.

1. *A Concilio ad Papam appellari SS. Canonibus probatur.*
2. *Modum tamen in admittendis appellationibus servandum esse ex S. Bernardi sententia.*
3. *Querelæ Concilii Carthaginensis & B. Cypriani de Appellat.*
4. *Respondetur ad objecta & præsertim ad appellationes ad futurum Concilium factas.*

I.

EXplorati Juris est, majorem esse illum *ad quem* appellatur, eo, *à quo* appellatur. Judex enim *ad quem* sententiam corrigit, rescindit, jurisdictionem suspendit, impetrat executionem sententiæ, quæ omnia fieri nisi à majore & superiore non possunt.

Jam verò à Concilio Universali ad Papam appellari, patet ex Canonibus superiore §. recitatis, videlicèt *c. ipsi sunt 9. q. 3. c. patet eâdem.*

Gelasius I. *Epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ: Sedes B. Petri Apostoli jus habet resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, si quid ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint; ab illa autem nemo sit appellare permissus.*

Synodus Sardicensis & Oecumenica sub Julio Pontifice & Imperatoribus Constante & Constantio Anno CCCXLVII. in causa Athanasii celebrata *Can. 3. & 4. alias. 7.* hæc habet: *Quòd si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut*

re, ut iterum judicium renovetur; si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Julio Romano Episcopo. Et si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt; quæ decrevit Romanus Pontifex, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: placet.

Synodus Nicæna *can. 18. Placuit, ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, liberè Apostolicam sedem appellent, atq; ad eam, quasi ad matrem confugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur ac liberentur. Cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorúmque Successorum, atque Canonum auctoritas reservavit.*

Hunc verò appellandi morem antiquissimum esse testatur B. Leo *epist. 78.* ad Episcopos Galliæ, quæ habetur *T. 2. Concilior.* ante Concilium Chalced. ubi inter alia: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem, pro sui reverentia, à vestræ etiam provinciæ sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodùm vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia, adeò ut servatâ unitate spiritûs in vinculo pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod sanctè agebatur, perpetuæ proficeret charitati. Quam sollicitudo nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitùs datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum sacerdotibus abrogat. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros & bene tentum, & salubriter constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus, excessit.* Videatur Bellarminus *de Rom. Pont. l. 2. c. 21.*

B. Leo Papa *epist. 32.* ad Theodosium Augustum Flavianum Patriarcham Constantinopolitanum à Concilio Ephesino 2. quod generale fuit, ad sedem Apostolicam appellantem recipit, rogatque Imperatorem, ut appellationi deferat. Ubi nota, Leonem duas Imperatori causas exponere, ob quas acta Concilii Ephesini 2. rescindenda veniant. Primam, quòd in Concilio omnia per vim, & tumultum peracta sint. Secundam, quòd Flavianus Apostolicam sedem appellaverit: & Flavianus, quod poterat, non excepit de nullitate sententiæ, sed suppositio etiam sententiæ valore, maluit appellare, usurus videlicet certo & indubitato jure, & exceptionem omnem superante.

Eodem

Eodem modo Theodoretus in Eodem Concilio Ephesino damnatus Leonem appellavit, ùt habetur *in epist. 113.* quam ad Leonem dedit.

S. Antoninus *3. p. Tit. 22. c. 6. §. 20. Quæritur vigesimò primò: Utrùm ad Papam pertineat & confirmare sententias Synodorum. Item utrùm ad Papam à Synodo appelletur. Item utrùm solius Papæ auctoritate habeat universalis Synodus congregari. Item utrùm necesse habeat Papa congregare Concilium universale, quotiescunq; habeat aliquid de fide terminare. Ad omnes istas quæstiones simul respondet S Thomas. Ad primas tres affirmativè: ad quartam negativè, in quæstionibus de potentia Dei q. 10. art. 4. ubi quæritur: Utrùm Spiritus Sanctus procedat à Filio: qui respondens argumento facto in contrarium, dicit sic: Sicut posterior Synodus habet potestatem interpretandi Symbolum à priori conditum; aut ponendi aliquid ad ejus explanationem: ita etiam Romanus Pontifex hæc suâ auctoritate potest: cujus solâ auctoritate Synodus & congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur: quæ omnia patent in gestis Chalcedonensis Concilii vel Synodi. Non est necessarium, quòd ad hujusmodi expositionem faciendam universale Concilium congreget: cùm plerumq; id fieri prohibeant bellorum dissidia; sicut in sexta Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit, quòd propter imminentia bella universaliter Episcopos congregare non potuit: sed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide ortæ sequentes sententiam Agathonis Papæ determinaverunt, scilicet quòd in Christo sint duæ voluntates & duæ actiones: & Patres in Chalcedonensi Synodo congregati secuti sunt sententiam Leonis Papæ: qui determinavit, Christum esse in duabus naturis.*

Sixtus Papa *can. si quis 2. q. 6. Si quis vestrûm pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam, quasi ad caput, suffugium habeat; ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.*

Marcellus Papa ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ *in c. ad Romanam 6. c. 2. q. 6. Ad Romanam Ecclesiam omnes Episcopi, qui voluerint, vel quibus necesse fuerit, quasi ad caput suffugere, eamq; appellare debent, ut inde accipiant tuitionem atque consecrationem. Quod omnibus minimè convenit denegare Episcopis: sed absque ulla custodia, aut excommunicatione, vel damnatione, vel expoliatione liberè ire concedatur.*

Zephyrinus Papa *can. ad Romanam 8. c. 2. q. 6. Ad Romanam Ecclesiã ab omnibus, maximè tamẽ ab oppressis appellandũ est, & concurrendũ quasi*

quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, à suis oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet mater oblivisci filium suum.

Julius Papa *in c. ideò 2. q. 6. huic sanctæ Sed. præfata privilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis conciliis, & judiciis, ac restitutionibus Episcoporum, quàm & de summis Ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium, & injustè damnati restitutionem sumant: & talia ab improbis ne præsumantur absq; ultione, nec exerceantur absq; damnatione.*

Vigilius Papa *epist ad Eleuther. c. ult.* quæ habetur *c. qui se scit. 2. q. 6. Unde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia causarum eidem sanctæ Sedi reservata esse liquet; præsertim cùm in his omnibus ejus semper sit exspectandum consultum: cujus tramiti si quis obviare tentârit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo apud eandem sanctam Sedem noverit redditurum.*

Nicolaus Papa *in c. arguta 2. q. 6 Arguta sapientia tua, utinam in bono accepta, fomitem judicii, & materiam depositionis adversùs Rhotandum assumpsit, & ab itinere Apostolicæ Sedis removit, & continuatim Apostolicam Sedem appellantem damnavit, & carceri custodiæ mancipavit. Privilegia tamen Apostolicæ Sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuistis, quibus venerandi Canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent. Hæc quippe nos in Rhotando idcirco noveritis operatos, ut privilegia Sedis Apostolicæ, quæ malè à vobis violata videbantur, & à nobis tot impensis laboribus, vestrâ resistente contumaciâ, recuperari non poterant auctoritate Apostolica, & cana Patrum deliberatione pristino tandem genio, & proprio decorarentur honore.*

S. Bernardus *l. 3. de Considerat. c. 2. Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in Testimonium singularis Primatûs tui.* Nec obstat, quòd allegati canones Concilii universalis mentionem expressam & specificam non faciant: cur enim facerent, hac quæstione tunc temporis nunquam auditâ? imò cùm Concilia universalia, quæ legitima sunt, Pontificis consensum & confirmationem desiderent, quid est aliud appellare à Concilio legitimo, quàm appellare à Papa ad Papam? Sicut ergo Concilia robur & valorem accipiunt, cùm à Papa confirmantur, & legitima esse desinunt, roburque amittunt, cùm reprobantur. *c. multi d. 17. ad Apostolicæ, de re judicata in 6.* eodem modo per appellationem suspendi

eorum sententia poterit: tendit enim appellatio ad Confirmationem, vel correctionem primæ sententiæ: quid enim interest Concilium à Papa vel admissâ appellatione, vel negatâ confirmatione damnari?

Accedit, quòd appellationis finis & effectus est, ut sententia judicis inferioris mutetur; sed Papa sæpe sæpius mutat, quæ à Concilio generali statuta sunt *c. non debet. de Aff. & Cons. c statutum. de rescript. in 6.*

II. Illud verum est, in admittendis appellationibus magnâ opus esse circumspectione, ne privilegia Ecclesiarum turbentur, ne tribunalia confundantur, & ne obtentu innocentiæ justitia calcetur, aperto calumniis sinu. Unde jam olim, ùt posteà dicetur, multæ ab Episcopis etiam sanctis querelæ. Videatur *c. 32. de Appellat.* ubi prohibetur appellatio ad S. Pontificem in certo casu. Et S. Bernardus *l. 3 de Consid. c. 2.* de appellation. ad S. Pontificem eleganter hæc scribit:

Fateor grande & generale mundo bonum esse appellationes: idque tam necessarium, quàm solem ipsum mortalibus. Revera quidam sol justitia est. prudens ac redarguens opera tenebrarum. Prorsus fovendæ & manutenendæ sunt, sed quas extorsit necessitas, non calliditas adinvenit. Usurpatoriæ sunt hujusmodi omnes, subvenientes in necessitate, se opitulantes iniquitati. Quidni veniant in contemptum; quanti, ut talibus quoq; deferrent, etiam de proprio cessêre jure, ne longo & cassoitinere fatigarentur? Plures tamen sua amittere non ferentes, appellationes minùs oportunas, & celsa nomina importuniùs contempserunt. Dico aliquid quod ad rem pertinet, exempli causâ. Quidam sibi publicè desponsaverat uxorem, adest dies celebris nuptiarum. Parata omnia, invitati multi. Et ecce homo concupiscens uxorem proximi sui, in vocem appellationis inopinatæ prorumpit: affirmans sibi traditam priùs, suam potiùs esse debere. Stupet sponsus, hærent omnes. sacerdos non audet progredi, frustra omnis apparatus ille., descendit quisq; in domam suam cœnam manducaturus, sponsa à mensa, & thalamo sponsi suspenditur, quousq; Româ reditum est. Parisiis contigit hoc, nobili Galliarum civitate, sede Regia. Rursum in civitate eadem quidam sibi desponsata uxore diem constituit nuptiarum. Interim emergit calumnia, dicentibus quibusdam non debere conjungi. Ad judicium Ecclesiæ causa delata est, sed non exspectatâ sententiâ, appellatum est sine causa, sine gravamine, solo frustratoriæ dilationis intuitu. A bello sive perdere, quæ paraverat, sive dilectæ tam diu frustrari consortio nolens, nihilominùs, quod proposuerat, contemptâ sive dissimulatâ appellatione peregit. Quid illud, quod in Alexiodorensi Ecclesia nuper à quodam adolescentulo præsumptũ est? nempe defun-

pe defuncto S. Episcopo, volentibus Clericis alium (ùt moris est) eligere sibi intervenit ille appellans, & vetans ne fieret, quousq; îsset & redîsset ab urbe. Cui tamen appellationi nec ipse detulit. Nam cùm videres se contemni, tanquam qui irrationabiliter appellâsset, accitis, quos potuit sibi, tertiâ die post factam ab aliis electionem, fecit suam. Cùm itaque ex his & innumeris talibus liqueat, non ex contemptu gignì usurpationem sed ex usurpatione contemptum: videris tu quid sibi velit, quòd zelus vester assiduè penè vindicat illum, istam dissimulat. Vis perfectiùs coërcere contemptum? Cura in ipso utero pessima matris præfocari germen nequam: quod ita fiet, si usurpatio dignâ animadversione mulctetur. Tolle usurpationem, & contemptus excusationem non habet. Porro inexcusabilitas ausum explodet. Non sit proinde usurpator, & contemptor nullius erit, aut admodum rarus. Bene facis tu quòd appellationum negato suffragio, immo suffragio, multa remittis negotia ad cognoscentes, vel qui noscere citiùs possunt. Ubi enim celsior & facilior notio, ibi decisio tutior expeditiorq; esse potest. Quàm plenum gratiæ, quàm multorum quoq; per hoc & laboribus parcis, & sumptibus. At quibus sic credas, id tibi omnimodis attendendum.

III. *Non obstat I.* Patres Concilii 6. Carthaginensis sub Bonifacio I. *Anno CCCCXIX.* celebrati graviter conquestos esse de appellationibus ad Romanum Pontificem interpositis: nec in illas, urgente quamvis Legato Apostolico, consentire voluisse, immo Canonem Concilii Nicæni, quem pro se Zosimus allegaverat, nunquam pro legitimo agnovisse.

Respondemus, Asperitatem quâ Delegati Apostolici in prosequendis appellationibus utebantur, causam querelis dedisse, cùm non tam Judices agerent auditis benignè partibus, quàm executores, meliori causâ damnatâ, ùt constat ex Epistola D. Augustini 261. Nec enim voluisse Patres jus Pontificem appellandi aut negare, aut tollere, quòd scirent in Primatu fundatum, usuque totius Orbis confirmatum esse; temperari tantum, clarissimum fit ex epistola ipsius Concilii Affricani ad Bonifacium *c. 101.* & Cælestinum Pontifices 102. quæ habentur *T. 1. Concilior.* & Concilio Carthaginensi 3. *can. 10.* & epistola Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Affricæ ad Damasum Papam, & hujus responsoria, quæ habentur *Tom. 1. Conciliorum,* & denique ex Epistola B. Augustini 261. Videatur de hac controversia Concilii 6. Carthaginens. Sanderus *l. 7. de Monarchia.* Peronius responso ad Regem M. Britanniæ. To-

niæ. *Tomo 1. Conciliorum in Præfat.ad Concil.6. Carthag.* Baronius *ad Annum 419.* qui etiam notat Canonem à Zoſimo citatum fuiſſe Concilii Oecumenici Sardicenſis, quod cum Nicæno unum à veteribus computatur, quòd fuiſſet ad Nicæni confirmationem indictum: & præterea mirum non eſt, Patres canonem a Zoſimo citatum non reperiſſe inter Nicænos, cùm ipſi collectione Ruffini uterentur, quam conſtat vel ex ipſo S. Athanaſio, qui Nicæno interfuit, depravatam eſſe, & quamplurimos canones omiſiſſe; ipſa vero exemplaria Nicænæ Synodi partim ab hæreticis corrupta, partim incenſa fuiſſe, ùt jam ſuprà monuimus.

Eaſdem de abuſu appellationum querelas moverat B. Cyprianus *lib.1. Epiſt.3.* & poſteà Anno DCCCLXV. Epiſcopi Galliæ, ùt videre eſt in elegantiſſima epiſt. Nicolai Pontif. quæ eſt 42. & denique B. Bernardus *lib. de Conſul c.2.* circa finem.

Sapienter ergo Patres Concilii Milevitani minoribus infra Epiſcopos Clericis prohibuerunt contra Affricanos judices appellare, *c.placuit 2.q.6.* quòd hujuſmodi appellationes, à reo ſæpius condemnato factæ, frivolæ præſumerentur, morandæque juſtitiæ causâ, quibus deferendum non eſt, *c.5.13.& 14. extra de Appellat.* Quodſi tamen ſimplex etiam Presbyter evidenter oſtendiſſet ſe injuſtè damnatum eſſe, ejus appellationes Romam admittebantur, ùt habetur in epiſtolis Affricani Concilii ad Bonifacium & Cœleſtinum Pontifices *Tomo 1. Concil.*

IV. *Non obſtat ſecundò c. ſanè profertur. 24. q.2.* ex quinta Synodo excerptus, ubi dicitur Dioſcorum Papam fuiſſe ab Eccleſia Romanorum damnatum, etſi jam prædefunctum.

Reſpondemus. S. Felici Papæ ſucceſſiſſe B. Bonifacium II. & huic à ſchiſmaticis oppoſitum fuiſſe Dioſcorum Antipapam, qui paullo poſt vitam abſolvit, damnatusque eſt ſimoniæ à Bonifacio. Nullum ergo eſt argumentum à mortuo & Antipapa ad Papam, vivumque caput Eccleſiæ ductum.

Non obſtat tertiò, à ſententia Summorum Pontificum ad futurum Concilium ſæpe appellatum eſſe, prout hujuſmodi appellationum faſcem collegit Auctor libri *de Eccleſiæ Gallicanæ Immunitatibus toto c.13.* Ubi: ad futurum Concilium contra Bonifacium VIII. appellat Philippus Pulcher Anno MCCCIII. Cui appellationi conſenſus Gal-

sus. Galliæ Prælatorum & Parisiensis Universitatis accessit. *ibidem n. 2 & 3.*

Et Regius procurator Caroli VII. Francorum Regis contra Pium II. Anno MCCCCLX. *ibidem n. 10.*

Et Ludovicus XI. contra Sixtum IV. Anno MCCCCLXXVIII. *ibidem n. 12.*

Et Universitas Parisiensis contra Innocentium VIII. Anno MCCCCXCI. *ibidem n. 15.*

Et eadem Universitas contra Leonem X. Anno MDXVII. *ibidem n. 18.*

Et Legatus Friderici II. contra Innocentium IV. Anno MCCXLV. *Parisiens. Hist. Angl. 901.*

Et Ecclesia Anglicana contra eundem Innocentium III. Anno MCCXLVI. *Idem Paris. f. 952.*

Et Clerus ac Nobilitas ejusdem Regni Anglicani ab Urbano IV. Anno MCCLXIV. Math. Westmon. *Hist. Angl. p. 2.*

Et Ludov. Imperat. ex Domo Bavarica Anno MCCCXXIII. contra Joannem XII. Hervart *in Ludovico defenso f. 248.*

Michaël Cæsenas Generalis Ordinis Minorum contra eundem Joannem XII. Anno MCCCXXXI.

Respublica Veneta contra Julium II. Anno MDIX. Guicciardinus *lib. 8.*

Respublica Florentina contra eundem Julium II. Anno MDXI. Guicciardinus *lib. 10.*

Carolus V. Imperator contra Clementem VII. Anno MDXXVI.

Cardinalis Columnensis, aliique ex eadem familia contra Clementem VII. Anno MDXXVII. Guicciardinus *lib. 17.*

Hunc syllabum appellationum collegit Auctor citati libri. Ad quæ

Resp. I. Hujusmodi appellationes fuisse ad Concilium factas non ut ad majus tribunal, & judicem Papæ, à quo videlicet sententiæ Papales rescindi possent; sed ad melius pleniusque informandum ipsum Papam: possunt enim quæstiones in materia fidei aut morum adeo graves, tantæque deliberationis nasci, ut Concilium Universale omnium nationum necessarium sit, & sine quo non censeatur sufficienter informatus, instructusque, ut possit ad definitivam

tivam procedere, maximè cùm definitio in facto aliquo fundatur, pro quo casu intelligendi sunt SS. Patres, cùm dicunt Concilium Universale necessarium esse. S. Augustinus *lib. 4. contra duas Epist. Pelagianorum c. 12.* & *lib. 1. de Bapt. contra Donatistas c 7. & c. 18. & l. 2. c. 4.*

Illæ ergo appellationes, ùt diximus, factæ sunt ad futurum Concilium, tanquam Pontifici Romano informando necessarium, ùt appellantibus videbatur, patetque ex ipsa appellandi forma Philippi Regis, Parisiensis Universitatis, & aliorùm: *A Sanctissimo D. N. Papa Innocentio minùs debitè consulto ad seipsum melius consulendum, & ad S. Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam, nec non ad sacrosanctam Synodum celebrandam, illumq; vel illos, ad quem sive ad quos de jure provocare & appellare nobis licet. &c. &c. &c.*

Ex quibus & aliis ibi adjunctis patet, nunquam ad Concilium fuisse pro vocatum ùt Papæ oppositum, & hujus auctoritate destitutum; sic enim appellaretur ad Concilium illegitimum; sed ad Concilium auctoritate Papali fultum, & confirmatum, hoc est, ùt sæpe diximus, ad Papam meliùs informandum.

Respondemus 2. Appellationes ad futurum Concilium, & futurum legitimum Papam, planè novas esse, sacrisque Canonibus ignotas, & deploratis tantùm perditisque causis asylum. Quale enim est hoc ut appelletur ad judicem, qui non est, nec erit? aut si erit, incertum quando & ubi? appellatio est à minori ad majorem, quomodo autem major est, qui necdum est? Quis Episcopus patiatur ad futurum Episcopum, Archiepiscopum, aut Concilium Provinciale appellari? quasi vero non omnes hoc modo sententiæ eludi possint, & non eâdem facilitate, aut impediri Concilia, aut defectu aliquo objecto, non recipi? ut exemplum memoriâ dignum est in actis Concilii Lugdunensis I. ubi Thaddæus Friderici II. Imperatoris, qui ad Concilium provocaverat, ab ipso Concilio diris devotus damnatusque ad aliud Concilium plenius Lugdunensi provocavit. Ipsi Galli, qui à Summo Pontifice Anno MDXXX. Concilium ardenter postulârunt, teste Pallavicino *in Hist. Concil. c. 5. n. 16.* paullo pòst illud ipsum Concilium rejecêre, nec unquam ut reciperent (præterquàm in dogmatibus fidei) persuaderi se passi sunt, ùt videre est in Pallavicino *cit. lib. 3. c. 7. n. 1.* & præsertim *l. 24. c. 10. & c. 11.*

Quid

Quid enim facilius est magno præsertim Principi, quàm Concilio clavum figere, & ne fiat impedire, aut moras longissimas objicere, dum causa faciem muret, & in aliam evadat? immo jam facto Universali Concilio aliquid opponere, ut vel illegitimum appareat, vel non Universale, quod facilimum est, cùm multa ad Concilium legitimum & Universale requirantur. Adde appellationes ad futurum Concilium videri cum natura ipsius appellationis pugnare; nam appellatio est à minori ad majorem judicem *can. anteriorem 2. q.6. c. cùm inferior. de majoritate L.4.ff. de recept.* Sed Concilium, quod nondum est, non est majus Papâ, cùm necdum sit, estque incertum, an & quando futurum sit, incertitudo autem omnem actum vitiat, ut nullum effectum producere possit *L. cùm 17.ff. de in diem addict. L. cùm post 69.§.1 gener.ff. de jure dot. L. ita stipulatus 115 ff. de V.O.* estque inauditum fuisse aliquando appellatum ad judicem necdum exstantem, & nasciturum, eique appellationi delatum, & non potiùs tanquam frivolam & illusoriam explosam esse.

Appellatio cùm sit species defensionis, & consequenter juris naturalis, omnibus æque concedenda est, nec magis Principibus, quàm privatis personis *c. super 17. de Appellat. c. cum appellationibus eodem in 6. L.4.§.item ff eodem.* Quilibet ergo cum effectu à sententia Episcopi, Summique Pontificis ad futurum Concilium appellabit, oportebitque rhedas, equosque, & naves velo instructas in promptu esse, quæ in singulas horas, cùm appellanti placuerit, Patres in concilium exponant: quasi verò tam facilè sit Concilium Oecumenicum cogi, quam facilè est ad Concilium appellare.

Appellatio non admittitur saltem quoad effectum suspensivum, quando res dilationem non patitur, *L. si res 7 ff. de appellat. recipiendis*, at plerumque, & præsertim in causis fidei, non potest sine gravissimo damno Concilium exspectari.

Appellatio inducta est justitiæ & innocentiæ tuendis, & ideo appellationes frivolæ morandæq; litis causâ, non admittuntur *c. cùm sit 5. c. pervenit. 13. c. consuluit 14. c. pervenit 28. de appellat. c. qualiter. 17. de judic. L. 6. & ult. C. quando provocare: & toto T. C. quorum appellat.* At verò appellationes ad futurum Concilium lites causasq; non tantùm morantur, sed etiam æternant, idque propter difficultates celebrandæ Oecumenicæ Synodi, propter infinita, quæ interim occurrere pos-

poſſunt,& rerum faciem mutare, datâ interim opportunitate evadendi ſententiam, quamvis juſtam: & denique propter quàm plurimas exceptiones, quæ poſſunt Concilio opponi,maximè à præpotentibus, ùt exemplum Concilii Tridentini aliarumque retro Synodorum ſatis docuit. Hujuſmodi ergo appellationes, ùt dicebamus,lites perennant, redduntque Pontificis auctoritatem penitus inutilem, maximè in privatis cauſis adhibitæ, qualis fuit illa propter decimas impoſitas, adornandæ in Turcas expeditioni neceſſarias, ad futurum Concilium appellatio ; quaſi vero operæ pretium ſit totum orbem, Eccleſiamq; moveri, & Epiſcopos turmatim accurrere privilegii alicujus privatique emolumenti causâ.

Appellatio litis aliquando finiendæ causâ inducta eſt, cùm jurà lites immortales execrentur, velintque quàm primùm finiri. *Inſtit. de pœn.temerè litigantium*, & ibi Interpretes. Et ideò oportet ad judicem certum appellari, non verò cujus juriſdictio ſit dubia & incerta, in quo caſu judex *à quo* non tenetur apoſtolos dare, nec appellationi deferre: at vero juriſdictio Concilii ſupra Papam eſt nimis incerta: & prius oportebit definiri Concilium ſupra Papam eſſe, quod nunquam factum eſt,(ſi loquamur de Pontifice certo,& extra caſus exceptos:) nunquam fiet, immo nec fieri poteſt, cùm Sacri Canones expreſſiſſimè dicant, Concilia Pontificis aſſenſu non confirmata,ejuſque auctoritate deſtituta nulla eſſe, ùt paſſim habetur totâ *d 17.* præſertim *c. regula c.nec,licuit &c. &c.* Nunquam autem Summus Pontifex auctoritatem ſuam præſtabit aut præſtare poterit Concilio ut definiat, quod definire non poteſt, hoc eſt, Pontificem Vicarium Chriſti Concilio ſubeſſe,& à Pontifice ad Concilium appellari poſſe, cujus contrarium vidimus in omnibus Conciliis apparuiſſe,& præſertim in Synodo Oecumenica 8. & Conciliis Florentino & Lateranenſi, & toties in Bullis Julii, Pii, Calixti, & Cœnæ Domini hujuſmodi appellationes prohibitas, ùt jam dicemus.

Denique nulla eſt appellatio expreſſo jure prohibita *c. paſtoralis. c.conſuluit 29.de Appellat.L.fires 7.§.1.ff.de Appellat.recipiendis*: ſed appellatio ad futurum Concilium graviſſimè a SS. Pontificibus prohibita eſt,primò quidem à Calliſto III. qui Anno MCDLVII. Alano Cardinali Galliis excedenti præcedit, rediret Pariſios, & appellationem,

tionem, quam aliqui in causa decimarum pro Turcica expeditione ediderant, revocari curaret & in auctores animadverteret.

In eadem causa ad futurum Concilium provocantes Pius II. Anno MCDLX. in Conventu Mantuano editâ gravissimâ Bullâ diris percussit.

Sixtus IV. Anno MCDLXXXIII. Pii vestigiis inhærens anathema iis, qui sic appellarent, indixit. Verba Diplomatis: *Nos, qui disponente Domino, qui nos unxit oleo lætitiæ præ consortibus nostris, in eo sumus officio constituti, ut singularum animarum saluti consulere, justitiam colere, & iniquitatem odisse debeamus, attendentes quòd de minoribus ad majores judices dumtaxat appellare legalis permittit auctoritas, & propterea inhibet ab imperiali, & præfato prætorio judicio appellari, & quod non homo, sed is duntaxat, qui solo verbo fecit cœlum & terram, Apostolicam Sedem, & in ea sedentem prætulit universis etiam Conciliis, quæ ab ea robur accepisse sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium Fausto legato scribens, dum ait: Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluêre deferri, ab ipsa autem nunquam appellari debere, & ipsam de tota Ecclesia judicare; de ipsius autem judicio nunquam judicari senserunt. Et dum scribit ad Orientales Episcopos dicens: Sedem prædictam nullâ Synodo præcedente solvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi, quos oportuit, nullâ existente Synodo habuisse facultatem.*

Testantur etiam quàmplurimorum antiquorum Conciliorum epistolæ, in quibus verba illa apponuntur: Salvâ in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate; & quod de iis, & quamplurimis aliis juribus, & canonibus, & auctoritatibus piæ memoriæ Pius Papa II. prædecessor, noster dudum de fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Prælatorum, ac Jurisperitorum tunc Romanam curiam sequentium Consilio, in Conventu Mantuano, auctoritate Apostolorum in perpetuum valiturâ constitutione; omnes qualitercumq; appellantes à Romano Pontifice Canonum transgressores, & illos ex eis, qui ad non indictum, nec congregatum Concilium appellare præsumerent, aliud caput in Ecclesia Dei, ac imaginarium majus, & sublimius tribunal confingentes, contra Apostolum dicentem: fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod Christus instituit; hujus sanctæ Sedis Primatum negare, Ecclesiæ unitatem dividere, non unum solùm privilegium eidem Ecclesiæ adimere, sed præcipuam & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam & vox

Christi & Majorum traditio, & canonum fulcit auctoritas, penitus subvertere non verentur, præ cæteris detestabiliores esse, & eorũ appellationes hujusmodi quacumq; occasione interponerentur, non solùm irritas & inanes, sed fraudulosas & sacrilegas, & hæreticas esse declaravit, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1483. Id. Julii. Pontificatûs nostri Anno 12.

Veneratus est Ludovicus Galliarum Rex diploma Pontificis, jussitque in solemni hominum frequentia promulgari, quo nomine plurimas illi Pontifex per Apostolicas litteras gratias egit teste Odorico Rainaldo *in suis Annalibus Ecclesiasticis Anno 1483. n.22.*

Anno MCCCCLXI. Rudolphus Pontificis Internuntius Archiepiscopum Moguntinum ad futurum Concilium appellantem sic est allocutus: *Ab eo appellâsti, Diethere, qui tamen ægrè ferres, si quis Provincialium tuorum à te ipso appellâsset. Sed quem appellâsti judicem? quem provocâsti tuæ causæ cognitorem? futurum Concilium, dicis, appellavi. Et ubi est futurum Concilium? Ubi sedet? ubi tribunal ejus requirimus? pulchra inventio, ut impunita sint scelera, ut liceat sine metu judicii aliena invadere. Is judex appellatur, qui nusquam reperitur. In conventu Mantuano adversùs hanc nequitiam lex edita est, quæ appellanti ad futurum Concilium eam irrogat pœnam, quâ rei Majestatis, & fautores Hæreticorum plectuntur.* Pudore confusus Dietherus vocatis tabellionibus clam editam provocationem damnavit; id quod anteà etiam Fridericus Palatinus Rheni, qui ejusmodi appellationi adhæserat, à Rudolpho edoctus egerat, quamvis uterque posteà ad ingenium redierit.

Et denique quotannis in Bulla Cœnæ solemnes, & cum apparatu, in illos diræ pronuntiantur, qui ad futurum Concilium appellant. Si dicas Pontifici in propria causa judicanti credendum non esse. Quærimus, quis ergo lite inter Pontificem & Concilium vertente, judex futurus sit? nam & Concilio idem objici poterit, in causa propria ad sententiam dicendam non admitti; sicque litem aliquam & summi quidem momenti in Ecclesia dari defectu judicis nunquam dirimendam: & quidquid hactenus de infallibilitate Concilii, de Primatu Papæ, de judice controversiarum (qui fidei nostræ cardines sunt,) in Conciliis à Pontifice confirmatis, definitum est, eâdem exceptione impugnari poterit, cùm omnes illæ controversiæ auctoritatem Concilii & Papæ respiciant.

Nisi

Nisi ergo fundamenta Religionis nostræ subversa velimus, fateamur oportet, cum Patribus Concilii Sinuessani, Papam sibi & judicem & reum esse; immo non tam sibi, quàm Ecclesiæ & Christo, cujus Vicarium agit; cùm etiam jure humano cautum sit, judicem cognoscere an sua sit jurisdictio *L. si quis ex aliena ff. de judic. 2. ff. si quis in jus vocatus c. super litteris.* quod maximè verum habet in Principe Supremo, qualis est ille cui dictum est: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

§. IX.

Solum Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, universalis Ecclesiæ Caput, & Episcopum; ex quibus manifestè deducitur, esse supra Concilium, eoq; Majorem.

Summaria.

1. *Papa Vicarius Christi; ergo major Concilio.*
2. *Papa caput Ecclesiæ universalis; ergo major, & altioris auctoritatis, quàm Concilium.*
3. *Papa Pastor & Episcopus Ecclesiæ universalis; ergo major Concilio.*
4. *Respondetur ad objecta.*

I.

NOn hîc telam retexemus toties à Catholicis scriptoribus contra hæreticos textam; sed instituti memores ex principiis, quæ Catholici omnes admittunt, Pontificem Romanum Concilio eminere ostendemus.

Imprimis ergo certum est, nec integrâ fide negari potest, Summum Pontificem esse proximum & immediatum Christi Vicarium, eúmque in Christi Ecclesia supremam habere potestatem, adeò ut propositio

tio huic contraria, sit hæresis in Constantiensi damnata *Sess. 8. art. 37.* ubi inter alios Wicleffi errores hic etiam ponitur : *Papa non est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.*

Et *Sess. 45.* in Bulla Martini V. quâ Concilium confirmatur, inter alios articulos, de quibus hæresis suspecti examinandi sunt, etiam hic ponitur ; *Utrùm credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?*

Et in Concilio Nicæno *Can. 39.* (inter 80. Arabicos, qui habentur *Tom. I. Concil.* post Acta Concilii Nicæni:) *Ille, qui tenet sedem Romæ, caput est, & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam (NB.) Christianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

Idem in Concilio Florent. *Sess. ult. in litteris Unionis,* & Lateranensi *Sess. 11.* definitum est, & Lugdun. *in c. ubi periculum. de elect. in 6.*

Ex hoc Vicarii titulo apertè deducitur, majorem esse Pontificis, quàm Concilii auctoritatem, & nullo modo Papam Concilio subesse. Vicarius enim Principis & Episcopi, cùm idem tribunal cum Episcopo habeat, à nullo Principe & Episcopo inferiori judicari potest, ne quidem à comitiis Regni aut Provinciæ, cui titulo Vicarii aut Proregis præest *c. 27. §. porrò de off. Delegat. c. 1. de off. Vicar. in 6.* & olim à Præfecto Prætorii non dabatur provocatio *L. un. C. de sent. Præf. Præt.* Nec aliquando auditum est, eum qui aliquo in Regno vel Provincia vices sui Principis aut Regis agit, à Regni Optimatibus vel comitiis universalibus judicatum fuisse, nec posse, læsâ Majestate, hoc attentari. Cùm ergo Papa sit Vicarius Christi in Ecclesia militante, superiorem non habet, nec eorum judicio, qui militantem Ecclesiam repræsentant, subjacebit.

Rursus : si Papa superiorem aliquem in Ecclesia habet, ergo Concilium Constantiense erravit, cùm dixit, supremam in Christi Ecclesia potestatem penès Pontificem esse ; non enim supremam habet, si alteri subest, ab alio doceri, judicarique potest : suprema ergo erit penès concilium, & Patres Constantienses erraverint. Idem Concilium definit, Papam esse proximum & immediatum

Vicari-

Vicarium Christi: aut ergo hæc potestas Vicaria proximè & immediatè à Christo accepta soli Papæ communicatur, aut etiam Concilio; si huic, ergo duos habebimus in Ecclesia immediatos, proximos, supremosque Christi Vicarios, quod inauditum in Ecclesia est, immo in quavis benè ordinata Republica: aut dicendum erit, coacto Generali Concilio supremam hanc & Vicariam potestatem à Papa in Concilium transferri eo ferme modo, quo Pythagoras dicebat, de uno in aliud corpus animas migrare: quod iterum novum est, gratisque & sine ullo ex sacris paginis fundamento assertum. Aut demique veritati cedendum est, fatendumque solum Pontificem Romanum proximum & immediatum esse Christi Vicarium, & ùt verbis B. Pauli loquamur: *Tantò altiorem Conciliis factum, quantò differentius ab illis nomen hæreditavit, cui enim aliquando Conciliorum dictum est, Vicarius meus es tu, super te ædificabo Ecclesiam meam, tibiq; dabo claves Regni Cœlorum?*

II. Eodem modo Pontificem Romanum caput esse Catholicæ & Universalis Ecclesiæ veritas est & definita in Conciliis Constantiensi *Sess. 15. & ult.* in Bulla Martini Quinti, Florentino *Sess. ult.* Lateranensi *ult. Sess. 11.* Lugdunensi *c. ubi periculum. de Elect. in 6.* Et docet eleganter S. Leo in epist. ad Episcopos Viennenses 78. quæ habetur *in c. ita Dominus d. 19.* Nicolaus Papa *in c. fundamenta 17. de Elect. in 6.* Patres Concilii Ephesini se membra agnoscunt, Pontificem verò Romanum Caput Ecclesiæ, in Actis Concilii *Sess. 4.* S. Thomas eleganter *l. 4. contra Gentes c. 76.* & contra errores Græcorum *c. 65. & 3. p. q. 8. a. 6.* Nec verò Pontifici Romano jure tantùm humano, sed divino convenit esse Caput Ecclesiæ, & consequenter immutabiliter, ùt pulchrè docuit Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperatorem, quæ habetur *Tom 3. Concil.* fuitque lecta, & laudata in 8. Generali Synodo: sic ergo inter alia ibi scribit Nicolaus: *Privilegia istius Sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt, divinitùs radicata atq; plantata sunt: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt. Quæ ante Imperium vestrum fuerunt, & permanent (Dei gratiâ,) hactenus illibata, manebuntq; post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur Privilegia, huic sanctæ Ecclesiæ à Christo donata, à Synodis non donata, sed jam solummodò celebrata, & venerata, per quæ non tam honor, quàm onus, nobis incumbit, licèt ipsum honorem non meritis*

nostris, sed ordinatione Gratiæ Dei, per B. Petrum, & in Beato Petro simus adepti, nos cogunt, nosq; compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei.

Et post aliquot folia, circa finem: *Et si cunctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti, quantò potiùs Sedis illius Pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare se quemquam posse contra illius privilegium vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia Veneranda confessa semper est, & habet devota Primatem. Impelli non valent humanis præsumptionibus, quæ divino sunt judicio constituta. Desinant ergo (rogamus) temporibus vestris quidam per occasionem perturbationem Ecclesiasticam præcipitantes appetere, & quæ non liceat, ambire. Alioquin & quod malè appetiverunt, non perfruentur: & ipsam quoq; Christianitatem, nisi resipuerint, prorsus amittent.*

Ex hac Capitis universalis Ecclesiæ prærogativa multa deducuntur argumenta, quibus Summum Pontificem Concilio superiorem esse ostenditur. Caput enim non situ tantùm, & pulchritudine, ac naturæ artificio ceteris membris præstat, sed etiam influxu, causalitate, imperio, gubernatione, & directione: essetque monstrum illud caput, quod ab aliis membris etiam conjunctis motum & imperium acciperet. Si ergo Pontifex à Concilio docetur, movetur, judicatur, corrigitur; aut Pontifex non est caput, nisi honorarium, & titulare: aut non est caput Ecclesiæ universalis, sed tantùm Ecclesiarum particularium, quamdiu in Concilio non uniuntur; quod perinde est, ac si dicas, caput unitis membris non dari, illisque præfici, sed separatis tantùm divisisque: aut denique duo capita in Ecclesia Christi reperiri: quæ omnia tam sunt absurda, paradoxa, rectæque rationi & sensui Patrum contraria, ut vix aliquid absurdius cogitari, dicique possit.

Rursus quemadmodùm implicat esse totum Corpus sine capite: aut corpus aliò, & aliter moveri, quàm ex præscripto capitis; ita implicat Concilium universale sine Papa, aut huic contrarium, aliterque sentiens, quàm Papa. Cùm ergo dicunt Concilium universale esse supra Papam, huic imperari posse, huic leges ponere, & jus dicere; quid amabo per Concilium universale intelligunt? si enim intelligunt Concilium cum Papa, ejusdemque

cum

cum hoc sententiæ; tam non est Concilium supra Papam, quàm corpus cum capite non est supra caput: domus cum turri, non est supra turrim. Si verò per Concilium universale intelligunt Concilium sine Papa, immo huic oppositum, & contrariæ ab hoc sententiæ; tam esse non potest Concilium universale sine Papa, quàm integrum corpus sine capite: integra domus sine fundamento: Erit ergo Concilium sine Papa corpus capite truncum, & ideò nec universale.

Quodsi velint Concilium Papæ oppositum, adhuc pollere auctoritate Papali, immediatè sibi à Christo collatâ, sicque non esse Corpus truncum, cùm habeat plenam integrámque potestatem; quemadmodum Capitulum absente Decano, aut Senatus absente Præside non est corpus truncum, cùm gaudeant plenâ integrâque potestate capitulari & Senatoriâ: Respondemus, hæc utique dici, repetique, sed nunquam probari, nunquam probanda: ostendant enim vel unum sacræ Scripturæ apicem, quo hanc plenitudinem potestatis Concilium acceperit, non Papa? legant Sanctum Doctorem locis citatis, legant D. Bernardum, legant ipsa Concilia & ipsum Constantiense *Sess. 8.* & videbunt apicem potestatis à Christo in Papam collatum esse, non in Concilium. Petro enim, ejusque successoribus dictum est: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Petro: *Super te ædificabo Ecclesiam meam.* Petro: *Confirma fratres tros.* Petro: *Si amas me, pasce oves meas.* Ubi hîc Concilium? Nolunt jura Principis Delegato fidem haberi, nisi suæ Delegationis tabulas ostendat, cùm Delegatio sit facti, *c. cùm in jure 21. de off. Deleg.* Ergo nec nobis credendum est, fuisse Concilio plenam in Ecclesiam potestatem à Christo delegatam, nisi tabulas & chirographum Principis exhibeat: & ideò nullum Concilium sibi hanc potestatem, sedente legitimo Papa usurpavit: illi solùm hoc agunt, qui judicem præsentem veriti, malunt futurum & incertum, cujus nec sententiam audiunt, nec manus vident; nec tam Concilii, quàm suam agunt causam, etiam hoc rejecturi, cùm libuerit.

Denique Pontifex Romanus sic est Caput Universæ Catholicæ Ecclesiæ, sicut quilibet Episcopus aut Archiepiscopus caput est suæ Diœcesis aut Provinciæ, prout expressè habetur in Concilio Nic. *c. 39.* & docet *S. Thom. l. 4. contra Gentes. c. 76.* Cùm Petro, ejusq; successoribus sine ulla limitatione & restrictione sint traditæ oves

Christi,

Christi, *Sicut enim*, inquit S. Doctor citatus, *in uno spirituali populo unus Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput; ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ caput.* Atqui nullus Episcopus aut Archiepiscopus subjicitur Concilio & Synodo Diœcesanæ aut Provinciali; ergo nec Papa Concilio & Synodo Oecumenicæ: quantum enim confusionis & turbarum nasceretur Synodo Episcopis dominante, tantum, multoque ampliùs dominante Pontifici; perfecta enim pax, perfectam unitatem desiderat, quæ non est, ubi multi gubernant, nec uni obtemperant.

III. Titulus etiam Episcopi Universalis, qui à nascente Ecclesia semper Pontifici Romano datus est, ejus supra Concilium prærogativam satis ostendit: extant duæ Epistolæ Sixti I. qui Anno Christi CXLI. martyrio coronatus est, in quarum altera hic titulus visitur: *Universalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus:* & Tertullianus ejusdem sæculi scriptor *l. de pudic. c. 1.* vocat Pontificem *Maximum, Episcopum Episcoporum.* Synodus Chalcedonensis Leonem Papam frequenter appellat *Sanctissimum & Beatissimum Universalem Patriarcham*; eundemque titulum suæ ad Martianum Augustum epistolæ præfigit B. Leo *epist. 54. & epist. 69.* ad Eudoxiam Augustam *epist. 79.* ad Leonem August. *epist. 14. 15. 66.* & Constantinus Pogonatus *epist.* ad Agathonem *inter Acta 6. Synodi Anno DCLXXVIII.* & ipsa 6. Synodus *Act. 17. Universalem Principem Pastorum, primæq; Sedis Antistitem Universalis Ecclesiæ.*

Archimandritæ Orientis in epist. ad Hormisdam: *Universi Orbis terræ Patriarcham, & caput omnium* Anno DXVII.

Theodorus Studita sanctitate celebris *epist. ad Leonem III. Sanctissimum, Summum, Patrem Patrum, Æqualem Angelis, Beatissimum, & Apostolicum Papam, Archipastorem Ecclesiæ, quæ sub cœlis est,* Anno DCCCIX.

Si ergo Papa Episcopus & Pastor est Ecclesiæ universalis, sequitur, non illum tantùm in omnibus particularibus Ecclesiis majorem esse, sed ipsâ etiam Ecclesiâ universali, quam Concilium repræsentat: Tituli enim Pastoris, Episcopi, Capitis &c. superioritatem significant, si ergo Papa est Episcopus Universalis & Catholicæ Ecclesiæ, negari non potest, esse supra Ecclesiam, nisi ab illis fortè, qui negent, Episcopum suis ovibus suoque Clero, etiam collecto, majorem esse.

Non

IV. *Non obstant 1.* Concilium Carthaginense 3. *c. 26. in primo Tomo Conciliorum*, & habetur *in c. primæ d 99.* Pelagius II. in epist. ad Episcopos Orientales *in c. nullus d. eadem.* S. Gregorius *l. 7. epist. 30. in c ecce. d. ead. & lib 4 epist. 38. 39. 30. 32 34. 36. & l. 6. epist. 30. ad Mauritium*, quibus locis titulus universalis Episcopi negatur posse à summis PP. usurpari, tanquam fastuosus, arrogans, & in aliorum Episcoporum contemptum cedens.

R. Concilium Carthaginense quod spectat, certum est, non loqui de Pontifice Romano, sed de Patriarcha, aut prima illius Provinciæ Sede; nunquam enim Episcopi Carthaginens. in Romanum Pontificem imperium sibi arrogârunt.

S. Gregorii M. mens & sententia, quæ fuerit, jamjam dicemus. Nunquam ille negavit Primatum supremamque totius Ecclesiæ curam & gubernationem penès Romanum Pontificem esse, quin potiùs contrarium & calamo, & ipso facto expressit, ùt patet ex iis, quæ contra Joannem Patriarcham Constantinop. statuit, aliisque quamplurimis, & præsertim *lib. 7. ep. 63. & 64. l. 11 epist. 42. & 54. lib 2. ep. 37. l. 5. epist. 15. 24. 64. &c.*

Quod vero titulum Episcopi Universalis adeò fuerit insectatus, causam dedit arrogantia fastusque Patriarchæ Constantinopolitani: hic enim, quòd in urbe regia alteraque Roma, sedem fixisset, non contentus tribus Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano se quartum adjungere, primatum etiam inter Patriarchas Orientis occupaverat, submoto Alexandrino, editoque de hoc canone in secunda Synodo Oecumenica, qui numero est tertius: sed quòd hic canon aut suspectæ fidei esset, aut à Damaso Pontifice non admissus, nec effectui datus; repetitus postea est in Concilio Chalcedonensi, Anatolio Episcopo urgente, & præsertim Augustorum potentiâ, & gratiâ subnixo, qui suum crederent, quidquid Patriarchæ honoris accessisset. Sed Leo M. quantumvis à Senatu, Augustis, Concilioque impendiò rogatus, adduci nunquam potuit, ut canonem probaret, secundasque Patriarchæ Constantinopolitano deferret, quòd hoc Concilio Nicæno, juribusque Patriarchæ Alexandrini diceret adversari, nec decere unius spoliis alterum ornari; tantúmque dicendo scribendoque fecit, ut Anatolius, ipsique Augusti cœpto desisterent, & Leoni parerent.

Sed cùm Imperio Occidentis, ipsâque Româ barbari potiti essent, & Pontifices Romani tot ipsi cladibus, malisque domesticis premerentur, ut aliò spectare non possent, Episcopi Constantinopolitani à Zenone & Justiniano Imperatoribus diploma extorquent, quo à Romano Pontifice primas acceperunt, immo & titulum Patriarchæ Oecumenici, quo ipse Justinianus Epiphanium honoravit. *in C. de summa Trin. l. 7.* idque ex eo prætextu factum, quod Patriarchæ Constantinopolitano in Concilio Chalcedonensi, omnia privilegia concessa dicerent, quæ Pontifici Romano, adeoque etiam titulum Universalis & Oecumenici. V. Gloss. *ad. c. 1. d. 21.* quo titulo etiam Menas in Concilio Constantinopolit. aliique Patriarchæ usi sunt, sed omnium arrogantissimè Joannes Neosteta, qui larvâ sanctitatis, & jejuniis præsertim, gloriam captans, eò vanitatis devenerat, ut se unum, neminem alium verum Episcopum, sed Vicarios tantùm Legatosque suos diceret. In quam impietatem juxtà fastumque acriter invectus primò Pelagius II. Roman. Pontif. deinde Gregorius M Joannem, ejusque titulum insolentem planè execrati sunt, immo & hæresis postulârunt; nec multò pòst Joannes è vivis excessit, superstite tamen titulo, & in successores propagato. Donec Phocas Imperator Anno DCVI. Cyriaco Patriarchæ indignatus Ecclesiasticam immunitatem tuenti, hunc titulum ademit, decrevitque ad solum Romanum Pontificem spectare, Anastasio Bibliothecario teste in *Bonifacio III.* & Paulo Diac. *l. 4. de gest. Longobardor.* quæ causa hæreticis nostris fingendi fuit (quid enim aliud agant, veritate destitui?) Primatum Romani Pontificis à Phoca esse. Phocæ Heraclius in Imperium successit, qui Monotelismum amplexus, eoque in Pontifices Romanos parùm æquus, novam ad titulum Oecumenicum januam Patriarchis aperuit, donec tandem Photius privatis odiis in Pontificem Romanum incensus, ùt supra diximus, præter titulum Oecumenici, etiam Primatum Ecclesiæ Christi invasit, abjectâ omni erga Romanam Ecclesiam obedientiâ, dictoque anathemate Pontifici Nicolao. Hæc origo, hic progressus fuit ambitiosi hujus tituli, à quo Pontifices Pelagius & Gregorius, cùm funestos eventus præsagirent, meritò abhorruerunt, illumque in herba præfocare conati sunt. V. eleganter P. Maymburg *l. de schism. Græcor.*

§. IX.

§. V.

Concilium universale à Pontifice non approbatum errori esse obnoxium, non ergo supra, sed infra Pontificem esse, & hujus judicio & correctioni subjectum.

Summaria.

1. *Concilia universalia à Pontifice Romano non directa errare posse.*
2. *Errores Concilii Ariminensis.*
3. *Et Constantinopolitani.*
4. *Et Chalcedonensis.*
5. *Et Trullensis.*
6. *Et secundi Ephesini.*
7. *Et Basileensis.*
8. *Et ideo Conciliis, ne errent, necessaria confirmatio Pontif. Romani.*

I.

QUi primas Concilio tribuunt, hoc ipso, & necessariò quidem inferre debent, ultimam ac peremptoriam sententiam penés Concilium esse, quæ nec censuram, nec correctionem admittat, & consequenter ab omni errore sit libera: si enim errori & correctioni subjaceat, jam non erit ultima, sed superiorem aliquam tutamque regulam, & erroris immunem habebit, ad quam exigatur: quemadmodum linea recta est regula, & judex omnis obliqui, quia sola & necessariò non exorbitat, & proximo tramite in centrum pergit.

Si ergo probatum fuerit Concilium errasse, eâdem operâ proba-

probatum erit, alteri subjectum esse, qui errores emendet, omni ipse errandi periculo liber, nisi velimus in Ecclesia esse omnia incerta, & ludibriis opinionum exposita. Age jam ergo & ostendamus nihil fixum ratumque in Conciliis esse, quando Romanam Cynosuram præ oculis non habent.

II. Anno CCCLIX. Sub Liberio Pontifice erravit Synodus Ariminensis, cui & Legati Apostolici (quorum unus Vincentius fuit Capuanus Episcopus) & Episcopi supra 400. interfuerunt; quando specioso componendæ pacis obtentu, sic enim blandiebantur Ariani, expunctâ voce consubstantiali, filium Patri similem dixerunt; tunc enim teste D. Hieronymo, deditâ velut arce fidei & Religionis Catholicæ, Nicænæ Synodi damnatio est conclamata, totusque ingemiscens Orbis se Arianum esse miratus est. Negavit Liberius Papa Ariminensi formulæ & symbolo suffragium, & ideò in exilium deportatus est. Audi epistolam Damasi & Synodi Romanæ apud Theodoretum *l.2. c.22.*

Numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præjudicii vim habere non debere, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ ceteris omnibus erat exspectanda, neque Vincentio, neque aliis, ei consentientibus, cùmque illi ipsi, qui in fraudem illecti à veritate deflexisse visi essent, pòst ad meliorem mentem denuo traducti, plane testarentur hanc formulam sibi magnopere displicere. Idem narrat Sozom. *l.4 c.18.* Si dicas, non esse in hoc Concilio legitimè progressum, nec liberas Episcoporum voces fuisse, partim videlicet Arianorum fraudibus, partim metu, tædioque expressas; Id equidem haud negamus, sed vel ex hoc ipso apparet, Concilium aut metu aut ignorantiâ, aut odio, aut quâlibet alia ratione, nec enim interest quali, corrumpi posse, à vero flectere, & de legitimo illegitimum fieri: nec constare legitimum fuerit, an illegitimum, nisi approbatione, & testimonio Romani Pont, sine quo affectibus & perturbationibus agi potest, nec à Spiritu S. certo tutoque ducitur; & quod Ariminense metu, doloque fecit; aliud ambitione, aliud cupiditate aliud amore, aliud ignorantiâ faciet; verbo, errare potest, nec interest, quo diverticulo, si viâ excedat. Quæ pro aliis etiam Conciliis advertenda sunt.

III. Anno CCCLXXXI. Erravit secunda Synodus Oecumenica

menica Constantinopolitana 150. Patrum, quando contra præscriptum Nicæni Concilii, & jura Ecclesiæ Alexandrinæ, Patriarchæ, Constantinopolitano primas à Romano Pontifice detulit, absente nec audito Timotheo Alexandrino, quem canonem Romana Sedes nunquam ratum habuit, utpote & cum Nicæno Concilio pugnantem, (cujus decreta à Pontifice probata, sine hujus assensu solvi non poterant:) & cum alterius injuria conjunctum, cui nolenti aufferri sua non poterant. V. SS. Leonem *epist. 51. ad Anatol.* Gregorium M. *l. 6. ind. 15. ep. 51.* & Maymb. *lib. 1. de schism. Græcorum.* Et quamvis hic error non fuerit in materia & puncto fidei, fuit tamen in materia justitiæ, gravique reprehensione dignus, & à summis Pontificibus emendatus, quod satis eorum ostendit supremam judicandi potestatem, cùm in nulla seu fidei seu justitiæ causa inferior Superiori jus dicat.

IV. Anno CCCCLI. Erravit Synodus quarta Oecumenica Chalcedone habita sub Leone I. Pontif. M. & Marciano Imperat. quando *Act. 15. can. 28.* Archiepiscopo Constantinopolitano Primatum in Oriente detulit, qui canon à Sedis Apostolicæ Legatis continuò expungi jussus est, ut habetur *actione 16. & in epist.* B. Leonis 59. *& epist. ad Anatol 51.* & B. Gregorii M. *l. 6. ind. 15. ep. 51.* V. P. Maymb. *l. 1. de schis. Græcor.* In eadem Synodo Chalc. *Sess. 6.* cùm à Patribus formula & symbolum fidei conceptum esset, quod propter omissas quasdam voces hæreticorum instinctu, non satis contra Eutychetem sententiam Catholicam exprimere videbatur, simili ferè cum Ariminensi Concilio errore; Legati Pontificii nunquam passi sunt eam formulam actis Concilii inscribi, & quamvis importunè Patres occlamarent, aliam conscribi fecerunt, ut habetur *Act. 2. Tom. 2. Conciliorum.*

V. Anno DCXCII. Constantinopoli celebrata est Synodus Quinisexta sub Sergio Pontifice & Justiniano Juniore Augusto, cui testis est Balsamon *in Nomocanone* Legatos Apostolicos interfuisse, seque ipsam, in Actis Concilii, universalem appellat; ejusque Canones præsertim 82. Adrianus Papa in Epist. ad Tharasium valde commendat. Erravit tamen hæc Synodus, & graviter quidem quoad cœlibatum Sacerdotum & Sabbathi Jejunium, ut patet *ex can. 13. & 15.* & propterea à Patribus *erratica* nomen tulit, nec un-

unquam Sergius aliique Pontifices, ut eam reciperent, adduci potuerunt, teste Anastasio *in Sergio*, & Beda Venerab. *de 6. Ætatibus in Justiniano Minore.*

VI. Anno CDXLIX. Sub Leone Pontifice Maximo, & Theodosio Juniore erravit Synodus 2. Ephesina Episcoporum 128. cui & Legati Apostolici interfuerunt. In ea Eutyches absolutus, damnati verò sanctissimus Flavianus, aliique Catholici Episcopi; ut proinde optimo jure fuerit à majoribus latrocinalis & prædatoria appellata, ejusque memoriam Leo Papa abolitam damnatamque voluerit.

VII. Anno MCDXXXI. Erravit Concilium Basileense à Martino V. & Eugenio IV. indictum, & postea ab eodem Eugenio, & Leone X. in Concilio Lateran. damnatum assensu Ludovici Regis Christianissimi, qui Basileensi Concilio renuntiavit, promisitque regio diplomate per suos Oratores in publico Conventu recitato, Lateranensi Concilio adhæsurum.

VIII. En tibi in quot errores Concilia incurrerint, ubi à Romani Pontificis directione flexerunt: quæ causa ut sacris Canonibus sancitum sæpè fuerit, nullam esse Conciliorum auctoritatem, quæ à Romano Pontifice non fuerint confirmata; hæc enim confirmatio necessaria non esset, si Concilia falli non possent, cur enim ab alio tam necessariò ducantur, reganturque ipsa erroris tuta & falli nescia? quod necessario calidum est, alio non eget, à quo calorem accipiat; ita quod necessariò certum & verum est, aliâ confirmatione, per quam certum fiat, opus non habet. Sed Canones ipsi audiantur.

S. Julius Pontif. Max. *epist. 1.* quæ habetur *Tom. 1. Concil.* & cujus meminit Sozom. *l. 3. c. 7. Ipsa verò*, inquit, *primæ sedis Ecclesiæ convocandarum Generalium Synodorum jura & judicia Episcoporum singulari privilegio, Evangelicis & Apostolicis, atq; Canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest major à minori judicari. Ipsa namque omnibus major & prælata est Ecclesiis, quæ non solummodo canonum, & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: tu es, inquit, Petrus, &c. Porro dudum à sanctis Apostolis successoribusq; eorum, in privatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta & univer-*

universalis tenet Ecclesia, non oportere prater sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari. quoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt: & sicut Beatus Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit ceterarum, & ad eam quasi ad matrem, atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant, ejusque justâ sententiâ terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.

S. Nicolaus Papa I. *in epist ad Mediolanenses*, quæ habetur *in c. omnes d. 22. Qui autem Romanæ Ecclesiæ Privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum aufferre conatur, hic procul dubio in hæresin labitur; & cùm ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis præluisse cognoscitur. Unde & ipse sanctus Ambrosius se in omnibus sequi magistram sanctam Romanam profitetur Ecclesiam.*

S. Gelasius Papa *in epistola ad Episcopos Dardaniæ*, quam allegat Gratianus *c. confidimus 25. q. 1.*

Idem Julius Papa *in c. Regula d. 17. multisque sequentibus Canonibus: Regula Vestra nullas habet vires, nec habere poterit: quoniam nec ab orthodoxis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ Legatus interfuit, canonibus præcipientibus, sine ejus auctoritate Concilia fieri non debere. Nec ullum ratum est, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate.*

Videantur Concilium Chalcedon. *Act. 6.* & Synodus Nicæna *2. Act. 1.*

§. XI.

§. XI.

Patrum aliorumq; Doctorum pro ſummo Pont. teſtimonia.

Summaria.

1. *Teſtimonia Patrum Concilii Rom. ſub Sylveſtro Pont. Patrum Concil. Nicæni. Patrum Concilii Sinveſſani. Patrum Concilii Rom. ſub Symmacho. Patrum Concilii Lateranenſis.*
2. *Teſtimonia S. Anacleti, S. Iulii, S. Bonifacii, S. Symmachi, S. Nicolai, S. Cyrilli, S. Cypriani, S. Damaſi, S. Athanaſii. Patrum totius Africæ, Patrum Concilii Sardicenſis, & Chalcedon. Patrum ſecundi Concilii Nicæni, S. Iſidori, B. Auguſtini Triumphi B. Ioannis Capiſtrani, S. Bernardi, S. Antonini, S. Bonavent. S. Bernardini Senenſis, & deniq; Eccleſiæ Gallicanæ.*

I.

REvocandum in memoriam eſt, quod jam ſupra notavimus, quæſtionem, de qua agimus, non reperiri quidem apud antiquos Patres in terminis formalibus definitam, ſed apertiſſima ex illorum doctrina deduci pro S. Pontifice argumenta. Si enim Papa judicari à nullo mortalium poteſt: ſi ejus cauſæ divino tantum judicio reſervantur: ſi ad illum ab omnibus, ab illo ad neminem appellari poteſt: ſi majores cauſæ fidei præſertim, illius tantùm ſententia finiendæ ſunt: ſi deponi à nullo poteſt, exceptâ fidei cauſâ: ſi quæſtiones fidei ipſe ſolus definire poteſt, non poteſt ſolum Concilium, immo nihil ratum in Conciliis eſt, cui Pontifex non acceſſerit, ſuoque aſſenſu confirmaverit.

Hæc inquam, ſi Patres ſcribant, perinde eſt, ac ſi ſcribant, Pontificem

tificem non tantùm Conciliis non subesse, sed illis potiùs dominari; sunt enim illæ Superioris certissimæ notæ, quas sigillatim expendemus.

Patres Concilii Romani sub Sylvestro Pontifice, & Constantino Imperatore numero 244. *Romanam sedem, à nemine, nè quidem toto Clero judicari posse; ab ipsa verò judicari omnes. Tomo 1. Concil. post Concilium Nicænum.* & ipsum Concilium Romanum *can. ult.*

Patres Concilii Nicæni 1. numero 318. *Papam esse Vicarium Christi super omnes Populos & universam Ecclesiam Christianam.* Habetur in Act. Concilii *can. 39. Tom. 1. Concilior.*

Patres Concilii Sinuessani numero 180. *Non posse alterius ore, sed suo tantùm Papam judicari: illum reum, illum judicem sui esse.* Acta Concilii Sinuessani *Tom. 1. Concilior.* & Nicolaus 1. *in epist. ad Michaelem Imperatorem.*

Patres Concilii Rom. sub Symmacho Papa, & Theodorico Italiæ Rege numero 115. *Papam esse summum Pastorem, nullius, extra casum hæresis judicio subjectum. Tom. 2. Concilior.* & Anastasius *in Symmacho.*

Patres Synodi Romanæ sub Leone III. & Carolo M. ex Alemannia, Gallia, Italiaque quam plurimi: *Rem inauditam esse, Romanum Pontificem in Concilio reum sisti, qui nunquam alium, quèm se judicem habuerit.* Anastas. *in Leone III.* Æmilius *de rebus Francor. in Carolo M.* Baronius *ad Annum DCCC.*

Patres 8. Oecumenicæ Synodi sub Hadriano II. Pontif. numero 202. *Ne quidem à Concilio Generali posse in Romanum Episcopum sententiam dici. can. 21.* & habetur *T. 4. Concilior.*

Patres Concilii Lateranensis sub Leone X. numero 114. *Papæ auctoritatem Concilio præcellere. Sess. 11.* Et Rex Christianissimus per suos Oratores Lateranensi Concilio se adhærere professus est, *Sess. 8.*

II. S. Anacletus Papa & Martyr: *Depositionem summi Pontificis soli Deo reservatam esse. Epist. 1. Anaclet.* quæ habetur *Tom. 1. Concilior.*

S. Julius PP. *Papam à nullo posse judicari: majores causas ad eundem referendas esse, & extra ejus sententiam nihil posse definiri. Epist. 1. ad Episcop. Orientales,* & habetur *Tom. 1. Conciliorum.*

S. Bonifacius Matt. *Papæ judicio omnes subjacere, ipsum nullius exceptâ hæresi. c. si Papa d. 40.*

S. Gelasius Papa: *Ex præscripto Canonum ab omnibus posse Romanã*

sedem appellare: sed ab ista nullam esse provocationem, ejusq; sententiam nullius examini aut judicio submitti. T.1. Conc. & c. nemo c. cuncta 9.q.3

S. Symmachus apud Ennodium: *Successores B. Petri Cœlo tantum suam debere innocentiam, & prater Deum sine judice esse. Tom.1. Conc. in Symmacho.*

S. Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperat. *Papæ judicium ultimum & peremptorium esse; nec majorem Pontificiâ auctoritate in mundo dari, Tom.3 Concilior. & c. patet 9.q.3.*

Paschalis II. *Romanum Pontificem nullis Conciliorum legibus adstringi posse. In epist. ad Archiepisc. Panormit. & c. significâsti 4. de elect.*

S. Cyrillus: *Sicut Christo à Patre omnis potestas & nulli alteri data est: sic Petro ejusq; successoribus supremam Ecclesiæ curam, nulliq; alteri commissam. l. thesaurorum Tom 2.*

S. Cyprianus: *Hæreses & schismata ex eo nasci, quod non uni Sacerdoti, qui vice Christi judicem agit, universa fraternitas obtemperet. l.1. epist.3 subinit.*

Stephanus Archiepiscopus omnesque Africæ Episcopi: *Ad Romanam Sedem omnia, è longinquis etiam remotisq; locis negotia majoris momenti deferenda esse, ejusq; arbitrio definiri oportere. In epist. ad Damasum Papam. &* habetur *Tom 1. Concil.*

S. Damasus Papa: *nullo Episcoporum numero decreta firmari, quibus Romanus Pontif. assensum non prabuit, & hujus ante omnia expectandam sententiam esse: nec ulla unquam rata Concilia legi, quæ non sunt fulta Apostolicâ auctoritate. Epist. ad Episcop. Illyriæ apud Theodoret. l.2 c.22. & epist.2 ad Stephanum, & Concilia Af.*

S. Athanasius: *Majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamq; quasi ad Matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos, canonibus quippe sancitum esse, ut à sq; Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat. Epist. ad Felicem II. Papam.*

Patres Concilii Oecumenici Sardicensis sub Julio PP. numero 300. *A Synodo condemnatos posse Romanam Sedem appellare, hujusq; arbitrio sedere, velit ipsa causam cognoscere, an judices in partibus delegare. Ex actis Concilii c. 4. & 7.*

Patres Concilii Chalcedonensis Oecumenici sub Leone PP. numero 630. *Imperari sibi à Pontifice Romano, leges q; dari, & fidei formam præscribi patiuntur, & parent. Ex actis Concilii Act.3.16.*

Anastasius Patriarcha Hierosol. *Antiquis regulis sancitum esse, ut quid-*

ut quidquid, quamvis in remotis Provinciis ageretur, non priùs tractandum esse, quàm ad notitiam Almæ Sedis esset deductum, ut juxta ejus auctoritatem aut firmaretur, aut infirmaretur. Epist ad Felicem PP.

Patres Concilii Nicæni 2. numero 350. sub Adriano I. PP. *Execrabilem, profanam & adulterinam esse septimam Synodum Constantinopolit. quia non habuit cooperarium Romanum Pontificem, neq; illius sacerdotes, neq; per Vicarium, neque per Provinciales litteras, quemadmodum fieri in Synodis debet. Ex actis Concilii Act. 6.*

S. Isidorus Hispalensis: *Epistolas Romanorū Pontificum, eorumq; decreta pro culmine sedis Apostolicæ, nec imparis esse cum Conciliis auctoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit auctoritate Apostolicæ sedis congregata vel fulta. Præfat. in opus Concilior.*

Ivo Carnotensis: *Judicia Romanæ Ecclesiæ à nemine retractari posse: & si quis aliquando hujus Ecclesiæ auctoritate prægravatum se sentiat, non debere in Ægyptum descendere propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugere, & inde expetere levamen, unde se conqueritur accepisse gravamen. Epist. 183.*

Joannes Satisberiensis: *Quis præsumat summum judicare Pontificem, cujus causa Dei solius reservatur examini? utique quisquis hoc attentaverit, laborare quidem sed proficere nequaquam potest. In Polyc. l. 8. c. 23.*

B. Augustinus Triumphus: *Sententia Papæ, & sententia Dei est una sententia; sicut una sententia est, sententia Papæ, & sententia Auditoris ejus. Cùm igitur appellatio semper fiat à minori ad majorem; sicut nullus est major seipso, ita nulla Appellatio tenet facta à Papa ad Deum. De potest. eod q. 7. a. 1.*

B. Johannes Capistranus: *Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & nullum malum, est enim quasi Deus in terra major homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis. Lib. de auctoritate Papæ & Concilior.*

S. Bernardus: *Quis mihi faciet justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi; sed absit, ut ad illud appellem: itaq; recurro ad eum, cui datum est judicare de universis, hoc est, ad vos: vos appello ad vos, judicate inter me & vos. Epist. 113. & l. 3. de Consider. c. 2.*

S. Thomas Aquinas jam supra *cit. quæst. de Port. 10. a. 4. in solut. ad 13. & in 4. d. 19. & 2. 2. q. 2. a. 3. & Tr. contra impugnantes Religionem.*

S. Antoninus *T. 22. p. 3. c. 6 §. 19.* S. Bonaventura *in 4. d. 19. & expresse de Cœl. hierarch. p. 2. c. 1.* Alexander Alensis *p. 3. q. 40. membro 2.*

S. Bernardinus Senensis *in Mariali p.3. serm.3. Cùm Papa*, inquit, *sit Christi Vicarius, & gerat vicem Dei in terris, ex quo sequitur, quòd habet plenitudinem potestatis, & illud quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei: idcòipso approbante aliquid, & nos approbare debemus. Immo ipsius sententia est magis standum, quam sententia totius mundi.*

Denique Ecclesia & natio Gallicana hanc ipsam veritatem de Pontificis auctoritate Conciliis superiore, aliquoties, totoque audiente orbe Christiano amplexa palàm & professa est, ùt infra dicemus *in* §.16. Videatur interim Raynaldus *ad An.1441.n.10.* & acta Concilii Lateranens. ult. *Sess.8.*

§. XII.

Quâ censurâ Patres & Doctores eos notaverint, qui à Romano Pontifice dissentiunt, & huic Concilio submittunt

Summaria.

1. *Censura S. Hieronymi.*
2. *S. Antonini.*
3. *Cajetani, Bellarmini, Boverii.*
4. *Et Ioannis de Turrecremata.*

I.

SAnctus Hieronymus *in Epist. ad Damasum*, quæ à Gratiano allegatur *c. quoniam 24.q.1. Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Dominicam & desuper textam per frusta discerpit; & Christi vineam vulpes exterminant, ut inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficilè, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; ideò mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.*

Et infra

Et infrà: *Cum successore Piscatoris & discipulo Crucis loquor. Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudinituæ, id est, cathedræ Petri communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia promeis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam junctо Barbariæ fine determinat, nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis, à sanctimonia sua semper expetere: ideò hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem: Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumq; tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

II. S. Antoninus: *in summa 3. p. T. 23 c. 3. Quoniam quidam hostes virtutis & unitatis adversarii dicere præsumpserunt, quòd licet à Romano Pontifice ad successorem ipsius, vel ad generale Concilium appellare: ideò cum correctione Sedis Apostolicæ intendo probare, quòd à Romano Pontifice possit ad quemcunq; appellari, est hæreticum manifestè. Et hoc probo unica ratione, quæ est talis: Quicumque privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum aufferre conatur, est hæreticus: sed dicens & tenens, quòd licèt appellare à Pontifice Romano ad successorem ejus, auffert privilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum: ergo talis manifestè hæreticus est. Major ponitur in decretis d. 22. c. omnes. Ubi dicit sic: Non dubium est, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum aufferre conatur: hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur injustus, hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversùs illam agit, quæ est Mater fidei: & ipsi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.*

III. Cajetanus *in Tr. de Auctor. Papæ & Concilii cap. 5. Si de Ecclesia Universali sic sumpta,* (hoc est sine capite & Papa omnino, multoque magis Papæ positivè contraria) *intelligatur, quòd habet à Christo immediatè potestatem, & quòd ipsa repræsentatur per universale Concilium, erratur errore intolerabili.*

Bellarminus *de Conciliis l. 2. c. 17. Hæc propositio: Summus Pontifex simpliciter absolutè est supra Ecclesiam Universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicem agnoscat, est ferè de fide.* Et infrà: *Qui contrarium sentiunt, à temeritate magna excusari non possunt.*

Boverius *Demonstrat.3 generalia. 11. Quapropter in hac propositione asserimus, Concilium generale non esse supra Pontificem, sed à Pontificis auctoritate pendere, his omnibus bellum indicimus, qui quoquomodo Concilii generalis auctoritatem supra Pontificis potestatem extollunt. Porrò licet hac propositio olim ingruente aliquo schismate, à pluribus fuerit impugnata, hodie tamen adeò omnium consensu recepta est, ut nemini secus sentire liceat; quò fit, ut satis tutus illius probationi nobis locus relictus sit, nec nisi adversus Schismaticos, vel Hæreticos in ea tuenda nobis hodie agendum sit: tametsi Gersonem, ac alios antiquiores hujus erroris Patronos, qui propriam sententiam Ecclesiæ judicio subjecerunt, à schismatis culpa excusemus.*

IV. Joannes de Turrecremata qui Concilio Basileensi interfuit, ejusque maxima pars fuit, loquens de Concilii Basileensis Decreto, quo Pontifici Concilium præferre conati sunt, hæc habet *l.2. de Eccl. c.*100. *Licèt Basileenses, cum maximo studio, repetitis vicibus supplicaverunt, oraverunt & requisiverunt per Oratores suos, ut Dominus Eugenius eorum decreta approbaret, & confirmaret, nunquam tamen talem approbationem aut confirmationem habere ab eo potuerunt. Et meritò, quia sedes Apostolica, in qua Religio Christiana semper immaculata permansit, & permanebit, talia decreta, quæ ab Evangelica veritate, & SS. Patrum doctrina aliena videbantur, nullo modo ab eo passa fuisset confirmari.*

Et infra: *Non parum admirandum est, adversarios Basileenses, tantâ caligine mentis involutos, & excæcatos malitiâ, ut in materiis fidei definiendis & declarandis, maluerint sequi homines, ab Ecclesia Dei in doctrina sua damnatos; sicut fuit Marsilius de Padua, Guilielmus Ockam, & aliquorum Fraticellorum opiniones erroneas renovantes; quàm Doctores sanctos ab Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos Doctores antiquos, & reputatissimos in schola Theologica, quorum doctrina fulget in Ecclesia, ut sol & luna. Contra quos ait Augustinus, & habetur in Canone, non afferamus 24. q.1. Non afferamus stateras dolosas, nec appendamus, quod voluimus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram ex scripturis sacris, tanquam thesauris Dominicis, & in illa, quid sit gravius, appendamus.*

§. XIII.

Supremam in Christi Ecclesia potestatem penès Romanum Pontificem, non Concilium esse, rationibus evincitur.

Summaria.

1. *Prima ratio ex perfectione statûs Monarchici, ubi insignia testimonia expenduntur SS. Hieronymi, Athanasii, Thomæ Aquinatis, & Nicolai Sanderi.*
2. *A causa efficiente potestatis Ecclesiasticæ; ubi ostenditur, supremam in Ecclesia potestatem Conciliis datam à Christo Domino nunquam fuisse.*
3. *A causa exemplari; cùm enim Concilium repræsentet Ecclesiam Universalem, sicut hæc Pontifici Romano subjacet, ita & Concilium.*
4. *A causa finali, propter quam supremam potestatem Conciliis conferunt.*
5. *Ab infelici eventu.*
6. *Ex defectu Iudicis controversiarum.*

I.

Prima Ratio desumitur ex forma Regiminis monarchici Christus enim, ùt maximè Ecclesiam dilexit, sic illi optimè consultum voluit, nec enim amor Dei est sterilis, & intra corticem hærens, sed in florem, fructumque erumpit, quantúmque diligit, tantùm agit. Jam verò optima gubernandi forma est monarchica, uno Principe ad clavum sedente

sedente. Unus Princeps semper in promptu est, accinctusque operi: multi ex locis situ, moribusque remotis difficilè, & serò conveniunt; interim dum medici, & tam multi, & tam sparsi, longéque positi cum remediis accurrunt, malum aut invaluit, aut ægrum consumpsit. Unus secum facile convenit, sibique obstrictos facilè imperio & potestate ad exequenda semel destinata impellit cogitque. Multi ùt ingenio, moribus, doctrinâ, affectu dissentiunt; ita in unam sententiam, per tot impedimenta, remorásque difficiliùs conspirant, & in factiones scinduntur, sibi, Ecclesiæque fatales, ùt in Conciliis Pisano & Basileensi patuit. Sub uno capite omnia magis ex ordine proveniunt, sicut ex adverso plerumque multitudini confusio miscetur. Tolle gubernatorem navi, Ducem exercitui, ovibus Pastorem, quem ordinem tenebunt, impetio in multos translato? Legat, cui vacat, omnia, quæhactenus sunt celebrata Concilia, videbit quot de loco, de modo, de rebus ipsis æstus animorum fuerint, agitationesque sententiarum, nullum exitum habituræ, nisi cum summa potestate præsedisset unus lat âque sententiâ finem litibus dixisset. Unus Deo facilius unitur, ab eoque in iis, quæ fidei sunt, ducitur, quàm multi; non quidem ex parte Dei, cujus æque ad multos ac unum potentia extenditur, sufficitque, soli similis, qui non majori operâ multos, quàm unum irradiat; sed ex parte hominum, earumque dispositionum, quæ ad supremum regendi munus sunt necessariæ; semper enim unum faciliùs reperies, quàm multos summæ potestati parem; maximè cùm huic uni consilia hominum doctrinâ, studio, experientiâ insignium non desunt, qualis Romanus Pontifex est. Sub uno Principe diuturnum est regnum, firmum florensque, ac in diversa, & hostilia magis paratum, munitumque: facilius enim inter multos & pares invidia, & ex hac æmulationes ac bella civilia gliscunt, & ubi multi imperant, cura paucorum est; ùt aliena spectamus, quæ communia sunt, & ideò negligimus: nec facilè reperias, cui non plus doleat furtum domi suæ factum, quantumvis mediocre; quàm hostilis in Patriam ineursus; quia hoc commune bonum, illud proprium: quo fit multitudinem faciliùs corrumpi, & ad patriam prodendam flecti, quàm Principem, cui commune bonum est etiam proprium. Et sicut Princeps, qui solus rerum potitur, potentior est, di-

est, ditiórque, quàm optimates; ita etiam cupiditati & metui minus patet, qui duo sunt affectus maximè præponentes, rerúmque humanarum Domini, & quibus multitudo plerúmque vincitur.

Percurre omnia Regnorum, Rerúmque publicarum monumenta, Monarchias fuisse Rebuspublicis longè diuturniores, potentiores, bello & pace florentiores, invenies. DEUS ergo Ecclesiæ suæ, quam tantopere dilexit, cui unitatem maximè pacémque commendavit, non debuit aliud, quàm monarchicum Regimen dare; non esset verò monarchicum, summâ Potestate penès Concilium, hoc est, multos existente. Quamvis enim & Monarchia suas habeat maculas, & quæ rerum humanarum conditio est, sua detrimenta, ea tamen longè in uno minora sunt & pauciora, quàm in multis.

Nec verò hæc ludendi temporis gratiâ, & philosophorum ritu disputamus, qui aut in porticu, cùm vacabat; aut in scholis de optimo regendi genere differebant; sed rem ipsam loquimur, totq; exemplis testatam. Revoca in animum, si placet, illa tot Episcopis numerosa Concilia, Antiochenum, Ariminense, Ephesinum 2. Constantinopolitanum sub Leone Isaurico, & aliud sub Copronymo, Pisanum, & Basileense, quæ licet Patribus doctrinâ & pietate insignibus abundarent; quia tamen à Romanis Pontificibus non ducebantur, & contra istius voluntatem, præscriptásque leges statuebant, quid aliud quàm latrocinia, pestésque evaserunt? sicut econtrà Concilia per Romanos Pontifices confirmata, omnium fidelium veneratione cultúque accepta sunt; tantùm videlicet interest etiam sacram multitudinem uni Principi subesse.

Sed quia in hoc argumento multa sunt à doctissimis viris in lucem edita, Bellarmino præsertim *de S. Pontifice l. 1. à c. 1.* Nos ne actum agamus, pauca delibabimus, quæ ad rem nostram faciunt ex SS. Patribus:

S. Hieronymus *ep. 4. Multa animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos: in apibus Principes sunt: grues unam sequuntur: ordine litterato Imperator unus: judex unus Provincia. Roma, ùt condita est, & duos simul fratres reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Esau & Jacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarũ Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus Gubernator: in domo unus Dominus: in quovis grãdi exercitu unius signũ exspectatur. Et ne plura replicando*

cando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere sub unius disciplina Patris, consortióque multorum.

S. Thomas *1.p.q.103.a.3. Optima est gubernatio, quæ fit per unum. Cujus ratio est: quia gubernatio nihil aliud est, quàm directio gubernatorum ad finem, qui est aliquod bonum. Unitas autem pertinet ad rationem bonitatis. Probatur per hoc, quòd sicut omnia desiderant bonum, ita desiderant unitatem, sine qua esse non possunt. Nam unumquódque in tantum est, in quantum unum est. Unde videmus, quòd res repugnant suæ divisioni quantum possunt, & quòd dissolutio uniuscujusq; rei provenit ex defectu illius rei. Et ideò id, ad quod tendit intentio multitudinem gubernantis, est unitas, sive pax. Unitatis autem causa est per unum. Manifestum est enim, quòd plures multa unire & concordare non possunt, nisi ipsi aliquo modo uniantur. Illud autem, quod est per se unum, potest esse unitatis convenientius, quàm multi uniti. Unde multitudo melius gubernatur per unum, quàm per plures. Relinquitur ergo, quòd gubernatio mundi, quæ est optima, sit ab uno gubernante. Et hoc est, quod Philosophus dicit in 12. Metaph. Entia nolunt disponi malè, nec bonum pluralitas principatuum: unus ergo Princeps.*

Idem S. Doct. *l.4.contra Gent c.76. Sic igitur in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput: ita in toto populo Christiano requiritur, quòd unus sit totius Ecclesiæ caput. Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quòd omnes fideles in fide conveniant. Circa verò ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri: per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quòd sit unius, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quòd Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit, cùm & de Synagoga dicatur per Dominum: Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Esaiæ 5.*

Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit. Adhuc: Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ Regimen optimè sit ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim & unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus, quàm multi. Manifestum est igitur, regimen Ecclesiæ sic

siæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. Amplius, Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur: unde & Joannes in Apocalyp. vidit Jerusalem descendentem de cœlo: & Moysi dictum est, quòd faceret omnia secundùm exemplar ei in monte monstratum. In triumphante autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet Deus. Dicitur enim Apocal. 21. Ipsi populus ejus erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus. Ergo in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Hinc est, quod Oseæ 1. dicitur: Congregabuntur filii Juda & filii Israël pariter, & ponent sibi caput unum. Et Dominus dicit Joan. 10. Fiet unum ovile, & unus pastor. Si quis autem dicat, quòd unum caput, & unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus, non sufficienter respondit. Manifestum est enim, quòd Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit. Ipse enim est, qui baptizat. Ipse est, qui peccata remittit. Ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cujus virtute corpus ejus quotidie in altari consecratur: & tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eâdem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit ante Ascensionem: Pasce oves meas, Joan. ult. & ante passionem: Tu iterum conversus confirma fratres tuos. Lucæ 22. Et ei soli promisit: Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Non potest autem dici, quòd etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non derivatur. Manifestum est enim, quòd Christus Ecclesiam sic constituit, ut esset usque ad finem sæculi duratura: secundùm illud Esaiæ 9. Super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia, amodò & usque in sempiternum: manifestum est igitur, quòd ita illos, qui tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem sæculi; præsertim cùm ipse dicat Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Per hoc autem excluditur quorundam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes.

S. Athanasius Orat. contra gentes: Pugnantia & contraria ex ipsa natura in unum non coalescerent, nisi præstantior aliquis esset, & Dominus, qui ea conjungeret, cui & ipsa elementa (tanquam ancillæ Domino

suo obsequentes) cedant & obtemperent. Non enim singula ad suam ipsorum naturam respectantia cum aliis depugnant, sed cum, qui eam coagmentavit, Dominum agnoscentia, concordiam inter se fovent, & naturaliter quidem inter se contraria, gubernatoris tamen voluntate in amicitiam conciliantur. Et paullo pòst: *Si videas civitatem ex multis verisq; hominibus constantem, parvis, magnis, opulentis, pauperibus, sembus, junioribus, maribus, feminis bono ordine rectáq; disciplina coli, eósq; quibus degunt, tametsi diversos inter se, animo tamen consentire, neq; juvenes contra senes insurgere, sed omnes aequalitate juris pacem tueri: si haec inspiciamus, fieri nequit, quin in mente veniat, Principis inibi praesentia hanc concordiam foveri, tametsi ille in conspectum non prodeat, quum immodestia pro signo habeatur, sine capite Rempublicam esse: ordo autem contrà Principis curam moderationemq; demonstret. Ut enim cum corpore membrorũ inter se congruentiam videmus, neque oculos cum auribus pugnare, neque manus contra pedes seditionem movere, sed unumquodq; proprium perficit negotium absq; seditione, prorsus ex illo ipso intelligimus, esse animam in corpore, quae ista ad istum modum temperet ac regat, etiamsi illa oculis non pateat: ita quoq; in universitatis istius ordine & harmonia, necesse est, ut animadvertamus, omnium istorum Principem esse Deum, eumq; unum & non plures. Nam ille dispositionis ordo, & rerum omnium consentiens harmonia non multos, sed unum sibi ducem Principémq; esse declarat, mirum verbum Dei. Non enim, si plures essent rerum naturae Principes, servaretur ejusmodi universitatis ordo, sed omnia confusa, & inordinata forent, propter multos istos: cùm unusquisq; omnia ad suum arbitrium traheret, & cum alieno depugnaret. Ut enim diximus, multitudinem Numinum nullitatem esse Numinum: ita quoq; necesse est, multitudinẽ Principum id efficere, ut nullus esse Princeps videatur, (cùm enim quisq; alterius regnum tollebat, nullus reliquus conspiciebatur Princeps:) sed inter-Regnũ potiùs sine capite erat. Ubi autem Princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur. E diverso in multis usq; diversis, ordinis & concordiae observantiâ, unumquódq; moderatorem ostendit, ut si quis è longinquo citharam audiat ex multis & diversis nervis compositam, & ex iis concentûs harmoniam admiretur, quòd non solùm gravis suum sonum absolvit, neq; solus acutus, neque solus medius, sed omnes pariter: pari modo inter se consonant, planè ex eo intellexerit, non à se ipsa citharam moveri, aut à pluribus pulsari, sed unum esse musicum, qui uniuscujusq; nervi vocem ex arte ad concentum harmoniae misceat, etiamsi illam non contueatur: ita quoq; ex*

consona ubiq; & concinna mundi dispositione, nec superioribus contra inferiora, neq; inferioribus contra superiora insurgentibus, sed omnibus in commune unum ordinem conficientibus, consequens est, ut non plures naturæ Principes & Reges, sed unum intelligamus, suâ luce omnia illustrantem & moventem.

Sanderus l. 5. de visibil. Monarch. c. 5. Quæ nunc spes restare posset, ut nullæ duæ Episcopales Cathedræ, aut etiam ut duæ quæpiam Parœciæ interveris vel ad unum consentirent, nisi vinculo quopiam visibili, & eo maximè conspicuo, in unitate & pace retinerentur? aut unde factum est, ut Romana Ecclesia in hodiernum stet ac floreat, nisi quia Pastore uno fideli vel nunquam, vel non diu caruit, qui omnes oves intrà Dominicum ovile diligentiâ & industriâ suâ contineret? Quæ autem gentes cum Romana Ecclesia communicant, illæ tantò magis in Ecclesiastica pace florent, quò magis communicant cum illa. Si penitùs cum illa communicant, penitùs à schismate ac hæresi liberæ sunt: ùt Sicilia, ùt Neapolitanum Regnum, ùt reliqua Italia, ùt Hispania, ùt Lusitania, ùt inferior Germania. Ex altera verò parte gentes illæ, quæ aut penitùs, aut ex parte recesserunt à Romana fide, aut Saracenis subjectæ sunt, ùt Afri, & Numidæ, in pœnam hæresis Manichæorum, Donatistarum, Arianorum & Pelagianorum: aut Turcis parent, ùt Ægyptus, Asia, Græcia, in pœnam schismatis, quò ab Ecclesiæ Romanæ unitate discesserunt: aut certè nec secum quidem ipsæ consentiunt, ùt Gallia, Germania, Polonia, Suecia, Gothia, Anglia, & Scotia, quæ domesticis inimicitiis ob fidem & Religionem susceptis, ita debilitantur, ut planè hosti externo viam straverint, quâ faciliùs eos in servitutem redigat. Gens enim & Regnum, quod Ecclesiæ Dei non servierit, secundùm Isaiæ Prophetiam, peribit. Non periit unquam illud Regnũ, quod uni Pastori in Petri Cathedra sedenti obedivit. Perierunt autem omnia illa, & in futurum peribunt, quæ Petri Cathedram erigunt, quæq; inconsutilem Domini tunicam, cui milites pepercerunt, dividere ac partiri conantur. Quid? tot istæ sectarum, quæ hodie regnant, monstra nonne ob id orta sunt, quia uni votissimùm Pastori non obeditur? nemo jam ferè est, qui ignoret, D. Cyprianum scripsisse: Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitatur; cui si secundùm Magisteria divina obtemperaret fraternitas universa: nemo adversùm Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret, nemo dissidio

unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo placens ac tumens seorsum, foris hæresim novam conderet.

Et infrà: *Cur autem unus Pastor ceteris fidelibus à Christo præpositus putari debeat, nos tot ac tantas rationes afferimus.*

Primùm ne longè præclarissimum gubernationis genus (qualis est Monarchia) à Christi Ecclesia abesse censeatur, in qua secundùm ordinem omnia fieri debere Apostolus docet.

Deinde, ut status Ecclesiæ cohæreat cum eo gubernationis modo, qui observatur in ceteris omnibus creaturis, quæ ad unum suæ naturæ conditionisque principium referri solent, ùt constat de cœlis, sideribus, animantiúmque, & corporibus, & gregibus.

Tum autem, ut Ecclesia militans in suo genere sit similis triumphanti Ecclesiæ, quam nemo negat ab uno Christo ita gubernari, ut Christus ab eadem Ecclesia facie ad faciem videatur. Unde & huic militanti Ecclesiæ unus militans Pastor præesse debet, qui ab eadem Ecclesia videri queat.

Præterea, ut regimen Ecclesiæ Christi respondeat statui, quem eadem Ecclesia, sub Patriarchis habuit, quorum non nisi unus eâdem ætate, eodémq; tempore primas tenuit, & cui ceteri omnes velut Primati cedebant, sicuti constat de Melchisedech, qui benedixit Abrahæ, tanquam inferiori Patriarchæ.

Atq; etiam, ut status Ecclesiæ Christi respondeat statui legis Mosaicæ, sub qua unus tantùm Pontifex omnibus, quæ in mundo erant Synagogis præfuit.

Ut status Ecclesiæ Christi non dissentiat à Prophetarum doctrina, qui prædixerunt, eam fore similem aciei castrorum ordinatæ, in qua unus est primus Dux seu Imperator.

Ut respondeat Christi Doctrinæ, qui Ecclesiam Regnum, ovile, hospitium, seu diversorium, in quo unus Rex, Dominus, aut Pastor, isq; visibilis, & ejusdem conditionis cum subditis suis præest.

Ut respondeat doctrinæ Apostolorum, qui Ecclesiam dixerunt similem esse corpori, cujus unum est præcipuum membrum, & similem domui, in qua unus Paterfamilias dominatur.

Ut Ecclesiæ gubernatio consentiat ipsa secum, sitq; non minus in tota militante Ecclesia unus militans Pastor, quàm in singulis militantibus Provinciis, & Paræciis singuli sunt militantes Pastores.

Ut æterna Monarchia Dei per unum ad tempus Pastorem demonstretur. Nam Ignatius tradit, Episcopum figuram Dei in Ecclesia gerere, in epistola ad Smyrnenses. Sit ergo unus in Ecclesia summus Pontifex, qui figuret unitatem Dei.

Ut

Ut visibilis Monarchia, quam Christus in terris agens per seipsum inchoavit, & quà in hodiernum diem Ecclesiam gubernat, in terris per vicarium ipsius continuetur, & perseveret : nec alia nunc Ecclesia esse putetur, quàm sub Christo fuit. Esset quippe alia, & non una eadémque Ecclesia, si formam regiminis, quæ sub Christo in terris agente non nisi Regia fuit, nunc in Aristocratiam vel Democratiam mutaretur.

Ut Christi unius in æternum Pastoris unitas hoc modo figuretur. Nam cùm Ecclesia sit imago rerum ipsarum, quæ in cœlis elucent : ùt ibi constat, unum Christum esse totius Ecclesiæ suæ æternum Pastorem, sic oportuit illam Christi præsidentiam per unius Pastoris Primatum in terris figurari.

Ut etiam invisibilis unitas Ecclesiæ, hoc visibilis unius Pastoris Primatu designetur, quæ Cypriani est ratio in libro de unitate Ecclesiæ. Ex illa visibili connexione, quâ cohærent inter se Presbyteri, Episcopi, primates, & summus Pontifex, facilè intelligitur, quanta sit illa spiritalis unitas, quæ intercedit Ecclesiæ tam cum Christo Capite, quàm cum reliquis ipsius membris.

Ut militantis Ecclesiæ externa unitas & pax per unum Pastorem conservetur, schismataq; tollantur, quæ est Optati ratio in lib. 2. de schismate Donatistarum : & D. Hieronymi adversùs Jovinianum.

Ut non desit in Ecclesia, qui jure divino peccata inferiorum Pastorum Ecclesiæ puniat, & negligentiam Prælatorum suppleat, quæ est Gregorii M. ratio, lib. 7. Epist 8.

Ut quando Synodus propter externam persecutionem congregari non potest, sit tamen qui pro auctoritate sua causas singulorum cognoscat, & decîdat, quæ est Basilii M. ratio in Ep. 78.

Ut cùm singulis Pastoribus portio gregis aliqua sit assignata, nec illi teneantur curam suscipere eorum, qui non sunt ipsis commendati : non desit tamen, qui & propagandi Evangelium curam gerat, & Episcopos novos illis constituat, qui de novo ad fidem convertuntur. Hæc enim cura nisi ad unum aliquem ante alios omnes spectaret, non tot Nationes, post Apostolorum ex hac vita migrationem, Christi fidem suscepissent.

Ut sit, qui Episcopatus anteà constitutos, vel dividat, vel uniat, prout res ipsa videbitur postulare. Quod nisi ab uno præcipuè fieret : vel non fieret id omnino, vel cum gravi scandalo sæpè fieret.

Ut certum sit, quæ Concilia sint legitima : & quis vel congreget, quemadmodum oportet, vel quis econtrà dissipet : quæ est ratio Damasi contra Concilium Ariminense.

Ut quæ

Ut quæ de uno inter Apostolos majore & prædecessore, in Evangelio scribuntur, vera & in Ecclesiæ gubernatione, perpetua esse credantur, ut quæ de Primatu Petri tam perspicuè in Evangelio narrantur, & à sanctis Patribus ita exponuntur, vana esse non existimentur.

Ut Ecclesia Christi, Dæmonum societate inferior non judicetur, sicut visibili unius Primatu careat, quem Princeps Dæmoniorum sortitus est.

Ut quæ de Romani Pontificis Primatu sancti Patres & Oecumenica Concilia tanto consensu docent, vera esse non dubitetur.

II. *Secunda Ratio* desumitur ab Auctore & causa efficiente Potestatis Ecclesiasticæ: hæc enim, cùm versetur circa decisiones dogmatum, & quæstiones fidei, verum intellectum scripturarum, leges universales, quæ totum Populum Christianum obligent &c. non potuit hominum voluntate, occupatione, aut præscriptione institui, sed solâ Dei voluntate, suam auctoritatem, potestatémque, in alium tanquam vicarium deponentis. Cùm ergo Concilium sibi rerum summam, aptémque Ecclesiasticæ Potestatis vindicat; quærimus, à quo acceptam, à quo, quando & ubi datam? scriptura enim de Conciliis tacet, Patres nihil dicunt, Traditio, usúsque rerum contrarius est; à quo ergo in totam Ecclesiam, ipsúmque Papam hîc Concilio dictum: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum?* num Concilio: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* num Concilio: *Si amas me, pasce oves meas. Et pro te rogavi, ut non deficiat fides tua?* Aut Concilium ad oves Christi pertinet, aut ad Ovile, aut pastorem Ecclesiæ agit. Si Pastorem; ostendat, quando illi oves & Ecclesia commissa, quando mandatum pascendi Ecclesiam universam illi datum: immo stante Christi promisso, nec dari potuit: cùm ipse apud Joannem dixerit; *Unum pastorem, & ovile futurum:* unum, inquit, non trecentos, aut sexcentos, quot in Conciliis sunt. Si verò Concilium ad oves & ovile spectat, ergo non supra, sed infra Pastorem est, nec pascit, regitque; sed ab illo pascitur, regiturque. Absit enim, ut dicamus, Concilium sibi potestatem usurpare, quam non accepit; aut accepisse, quæ data non est: aut datam esse, quæ ostendi non potest, quando, & ubi data sit. Alioquin si Patres Concilii supremam sibi in Ecclesia potestatem adscriberent, quam non accepissent; ad eos spectarent Dei apud Oseam querelæ *c. 8. Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.*

III. *Tertia ratio* desumitur à causa exemplari, nam Concilium universale non est ipsa Ecclesia universalis, sed eam tantùm repræsentat: quemadmodum Legatus repræsentat Principem, à quo missus est, &

est, & Vicarius suum Principalem: & in hoc sensu Concilium Constantiense *sess. 4. 5. & 6.* dicitur repræsentare Ecclesiam Catholicam in terris militantem: si ergo Concilium non est Ecclesia, sed hanc tantùm repræsentat, ergo non est majoris auctoritatis, quàm ipsa Ecclesia; sicut imago & Legatus Principis tantum abest, ut Principem auctoritate superent, ut potiùs multùm infra illum sint: sed Papa est supra Ecclesiam universalem, nec ab ista judicari potest, cùm illius sit Magister, Pastor, fundamentum, & claviger: est verò absurdissimum, Magistrum à discipulis, Pastorem ab ovibus regi. Demus enim Pontificem suâ potestate abuti, salvâ tamen Religione, fidéque; demus corruptis moribus esse; hæ causæ non sufficiunt, ut desinat Magister & Pastor esse, ejusque potestas in Ecclesiam & Concilium migret; immo audiendus est, & quæ dicit facienda, non tamen quæ facit imitanda. *Matth. 23.* Et Magistratibus non tantùm modestis, sed etiam discolis parendum esse Apostoli est doctrina *1. Petri.* Aliud est in Principe alicujus liberæ Reipublicæ, in qua sicut Princeps à Magnatibus aut populo potestatem & imperium habet; ita potest ab iis adstringi, & pro certis casibus illius potestas ad populum & magnates reverti; non sic in Papa, qui à Deo primatum, curamque universæ Ecclesiæ accepit, quæ à solo Deo limitari potest restringique. Si ergo Pontifex, tanquam Pastor, Caput, & Magister non singularum tantùm Ecclesiarum, sed Ecclesiæ ipsius universalis (quod sæpe in Conciliis definitum est) majori, quàm tota Ecclesia, auctoritate præditus est, multò magis, quàm Concilium universale, quod Ecclesiam tantùm repræsentat, nisi velis plus in imagine, quàm prototypo esse, plus in Legato, quàm Principe. Immò cum Concilium Ecclesiam repræsentet, non potuit Concilio jus pascendi Ecclesiam dari: sicut nec imagini, aut Legato & Vicario Principis jus & potestas in Principem: & quando Christus Petro promisit: *Pasce oves meas: super te fundabo Ecclesiam meam*: hæc promissio, si directa non in Petrum principaliter, sed in Ecclesiam & Concilium fuit: sensus verborum esset: Tibi Ecclesia dabo claves Ecclesiæ: Super te, ô Ecclesia, fundabo Ecclesiam meam: Tu Ecclesia pasce Ecclesiam meam: qui sensus planè absurdus est.

IV. *Quarta ratio*, à fine desumitur, ob quem hanc supremam potestatem conferre in Concilium moliuntur. Si enim hanc potestatem eum in finem necessariam dicunt, ut Pontifex dubius &

in schismate creatus, aut in hæresim lapsus in ordinem redigatur; hi duo casus sunt excepti, ut infrà dicemus, neò ullam superioritatem Concilii arguunt; cùm Pontifex hæreticus, caput Ecclesiæ desinat esse: & dubius ac in schismate creatus, habeatur pro nullo; si verò Pontifex indubitatus sit, perditis tamen moribus, & Christi Vicario indignis, qui tamen in apertam Ecclesiæ perniciem non spectent; nullâ hîc opus Concilii superioritate, cùm mali mores Pontificem non continuò dignitate suâ spolient, essetque res pessimi & fatalis exempli, ob privata & domestica vitia, Principem gradu dejicere, & Majestatem regnantis subditorum criminationibus & libidini exponere, semper aliquid in Principum vita damnantium, & qui, ut altissimo loco positi sunt, nec omnium & discordantia vota explere possunt; ita calumniis maximè & invidiæ ac odiis subditorum parent. His si grassari in Principem liceat obtentu criminum, quæ in illo notantur, quem tu reperies thoni securum, semper inter vera, quæ hominem non deserunt, aut imaginaria delicta, quæ multò veris plura sunt, majestate dubiâ, & casui vicinâ? & ideò sacræ paginæ, Principibus etiam malis dyscolisque obtemperari volunt *March. 23. & Petri 1.* Fuitque in Pontificibus sub finem noni & initium decimi sæculi exemplum memoratu dignum, ubi cùm corruptissimi essent Pontificum mores, seque ipsos mutuis cædibus delerent, illîque Pontificatu donarentur, qui plus gratiæ & amoris à nobili meretrice obtinerent; nunquam propterea vel schisma conflatum est, vel Synodus Pontifici exauctorando indicta. V. Glabr. *lib. 2. c. 6.* Luitprand. *l. 2. c. 13.* Baron. *ad Annum CMVIII. & MI.*

Si verò Pontificum mores adeò fœdi perditique essent, ut in publicam perniciem exirent, velut si aliena invaderent, injustissimas leges conderent, Principum jura & regna turbarent, &c. tunc nec Concilio, nec ejus supra Pontificem majoritate opus est, cùm jus naturale omnia illa permittat, quæ ad justam defensionem pertinent. Si ergo invadat reas meas, repellam: Si aggrediatur, resistam: Si censuris & interdictis fulminet, ostendam, illo ferro & igni, sano corpori opus non esse: Si regno minetur, minis innocentiam & armatam opponam; quid hîc opus provocatione ad futurum Concilium? quod illi fecerunt, à quibus cùm Pontifex decimas in sacram expeditionem peteret, futurum Concilium appellârunt; si enim Pontificis postulatio injusta erat, & legitimis causis destituta, adeò ut eas

decimas

decimas injustè peti, palàm omnino esset, nihil attinebat futura & incerta remedia exposcere, cùm liceret præsentibus uti, hoc est legitimâ rerum juriumque suorum defensione, maximè in urbe Regia, & quæ suas vires aliorum æquitati sociâsset, & hæc forsan Ottoni M. causa fuit Joannem XII. Pontificem Romanum solio exturbandi, qui contra fidem Augusto datam, adstrictamque juramento Adalbertum Tyrannum fovebat, in certam Ecclesiæ & Imperii perniciem; & potuit Ottonis hoc factum, quamvis à quamplurimis damnatum, eâ ratione purgari, quòd Joannes fuerit notoriè & contra fas solio impositus, intrususque magis quàm electus, factionibus metuque oppressâ eligentium libertate: quamvis ad majora evitanda mala, Ecclesia illum aliquamdiu toleravit, dum oblatâ occasione hoc monstro, quo nihil turpius Vaticanum vidit, se liberavit. Sed de hoc plura, cùm ad objectiones respondebimus.

Tandem, si Concilium Pontifici anteponas in decisionibus fidei, néque hoc necessarium est; cùm multis retrò sæculis definita dogmata fuerint, multæque hæreses damnatæ solâ Pontificum operâ, nullóque adhibito Concilio, ùt infrâ. Et si hæresis aliqua Concilio indigeret, non propterea Concilii auctoritas Pontificiâ præstaret; sed ejus, Patrumque suffragia, confirmationi, & directioni SS. Pontificum subjacerent, prout hactenus demonstratum à nobis est. Cùm ergo in nullo casu hæc Concilii in Pontificem Romanum potestas Ecclesiæ necessaria sit; qui illam tuentur, patet non tam Ecclesiæ causam, quàm suam agere, ut videlicet, dum Concilium cum Pontifice committunt, ipsi interim in tuto sint, objectâque insequenti morâ, se ipsi honestè subducant.

V. *Quinta ratio est* ab eventu: nulla quippe de rebus futuris judicandi certior est regula, quàm præteritorum memotia, quæ enim plerúmque aut semper contigerunt, iterum contingent, & temeritas esset illic malaciam & serenum exspectare, ubi semper naufragio & tempestate jactatus es. Jam verò nullum umquam Concilium hanc in Pontifices expeditionem aggressum est, cui non infeliciter ea cesserit.

Numerorum 16. Ecce, inquit sacer textus, *Core filius Jsaar, & Dathan atq; Abiron surrexerunt contra Moysen, & Aaron, aliique filiorum Jsraël ducenti & quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore*

Concili per nomina vocabantur: cumq; ſtetiſſent contra Moyſen & Aaron dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur elevamini ſuper populum Domini? Quod cùm audiſſet Moyſes, cecidit in faciem pronus, locutúsque eſt ad Core, & omnem multitudinem: Multùm erigimini filii Levi: num parùm vobis eſt, quod ſeparavit vos Deus Iſraël ab omni populo, ut vobis etiam ſacerdotium vendicetis? & omnis globus tuus ſtet contra Dominum; quid enim eſt Aaron, ut murmuretis contra eum? Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos: ſed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos & quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.

Anno CDXLIX. in Synodo Epheſina 2. quam Liberatus univerſalem appellat *c.12.* & habetur *T.2. Concilior.* auſi ſunt Patres contra ſententiam & voluntatem Legatorum ſedis Apoſtolicæ Theodoretum, Ibam & Cyrillum Epiſcopos damnare, eósque & præſertim S. Iſaurianum ad Romanum Pontificem provocantem, Epiſcopatu exuere: immo Dioſcorus in Synodo Alexandrina in ipſum Pontificem ſententiam dicere; ſed eo eventu, ut teſte Liberato *c.12.* Eccleſia Orientalis diuturno & pertinaciſſimo ſchiſmate ſcinderetur, aliis Dioſcoro, aliis Flaviano ſtudentibus: duravitque ſchiſma etiam mortuo Dioſcoro in Annum DXCIV.

Anno DCCCLXIII. Photius Patriarcha in Conſtantinopolitana Synodo anathema Pontifici Nicolao dixit: ejúsque Synodi is eventus fuit, ut prima illic diſcordiarum inter Latinam & Græcam Eccleſiam, fila ducerentur, quibus magis ſemper, magisque impliciti, tandem & imperium amiſerunt & fidem.

Eodem anno Patres Concilii Metenſis, contra Nicolai Papæ præceptum, corruptísque pecuniâ ſedis Apoſtolicæ Legatis, Lotharii Regis Matrimonium cum pellice Waltrada confirmant, Teutpergâ legitimâ conjuge abdicatâ: unde perpetua illi ſynodo infamia adhæſit, quæ per contemptum à Majoribus noſtris proſtibulum eſt appellata.

Eâdem ratione in Concilio Piſano, quod operâ Maximiliani Imperatoris, & Ludovici Galliarum Regis convenerat, agi cœptum eſt de Eccleſia in capite & membris reformanda, & multa contra Julii Pontificis auctoritatem illic tentata, ſed tantâ omnium execratione, ut quocunque Patres devenirent, faces bellorum

cum civilium, infaustiqúe cometæ haberentur. Et tandem pace compositâ illius Concilii Acta in Lateranensi Conventu generali etiam ex Gallorum sententia damnata sunt.

Sed infaustissimum fuit Basileense Concilium, quod contra legitimum & indubitatum Pontificem ausum insurgere, tandem in apertum & diuturnum schisma erupit, aram contra aram erexit, Antipapam produxit, Unionem Græcæ cum Latina Ecclesia moratum est, & tantùm non disjecit, & denique non priùs à turbanda Ecclesia cessavit, quàm Deo bellum dirimente, & Patribus lue absumptis, ipsâque tandem Basileâ hæresin professâ: hic videlicet usurpatæ à Conciliis auctoritatis exitus plerumque fuit, ut primò in schisma, tum in hæresin abiretur; ut quemadmodum certissimum cladis initium est Ducem perdidisse; sic certissimum hæresis præludium, Vicario Christi Ducíque Religionis non obtemperâsse. Qui ergo Concilium supra Pontificem extollunt, hoc agunt, ut bellum Civile in Ecclesia accendant, & bellum in quo non corporum sed animarum sit strages: si enim Concilium aliquid statuat Papali auctoritati adversum, eíque leges & jus dicere velit; nunquam Papa hujusmodi Concilium confirmabit, immo rescindet; idque jure optimo, & tantis rationibus exemplísque, quæ hactenus prolata sunt, nixus: carebit ergo hujusmodi Concilium omni auctoritate, cadéntque ab eo statuta, velut enervia & viribus cassa: aut ergo inutile erit Concilium, Papâ illud improbante, aut si animum obstinet pergatque Pontifici obsistere, & contra istius voluntatem, quæ decrevit, prosequi; oportebit, ùt dicebamus, civile bellum conflari membris cum capite, ovibus cum Pastore pugnantibus, Ecclesiâ in factiones, & consequenter in tot mala, quæ ex factionibus sequuntur distractâ.

VI. *Sexta Ratio,* sumitur ex Anarchia, hoc est, defectu supremi judicis Controversiarum, qui causas videlicet fidei morumque decidere per sententiam possit, & cui partes litigantes acquiescere teneantur. Tu enim, qui supremam decidendi auctoritatem Pontifici abrogas: qui in sententiis fidei dicendis falli eum posse & errare dicis: qui ultimam hanc decidendi auctoritatem in Concilium transfers: si quæstionem aliquam fidei nasci contingat, qualis ea est, *An Christus realiter, vel tantùm figuraliter speciebus consecratis inexistat.* Cujus amabo sententiæ, velut ultimæ, certæque acquiesces?

Pontificis Romani ? at falli & errare potest, nemo autem certò illud credit, cui falsum subesse potest. Concilii Universalis ? at unde constat universale esse ? unde legitimum ? quid si enim vota non fuerint libera ? quid si metu, præmio, dolis, aut adulatione partium extorta, ùt in Concilio Ariminensi ? quid si Canones & acta Concilii corrupta, ùt in Synodo Octava ? quidsi Patres absque necessaria discussione definiverint, ùt aliqui Concilio Constantiensi objiciunt ? Quis denique, ubi toties erratum est, & errari potuit, te securum certúmque reddet, erratum non fuisse, si Papæ auctoritas absit ? Deinde quàm multa evenire possunt, ut Concilium universale nunquam conveniat, aut etiam ex industria impediatur ? quis tunc Judicem aget, si potestas suprema, & infallibilis penès Concilium solum est ? Ergo qui Papam impugnant, ejusque auctoritati, eo prætextu se subducunt, quòd falli possit ; multò magis Concilium impugnabunt, multóque plura illi opponent, ut vel illegitimum appareat, vel non universale ; & in tanta opinandi licentia, nunquam ingenia, nunquam calami linguæque deerunt, quæ rationes inveniant, easque pulcherrimis coloribus pingant, ut Concilia obumbrent, eleventque auctoritatem ; iisque obsequendi necessitatem tollant. Eò igitur, qui nimium Conciliis tribuunt, omnino spectant, ut nec Papæ, nec Conciliis obediant, vivantque exleges. Narrat Dorotheus *Serm.2.de humilitate. Vidisse se Monachum quemdam, qui in hanc miserrimam conditionem incidisset, ut initio quidem, si quis è fratribus locutus quidquam esset in alterius commendationem & laudem, statim illum spernebat, & quasi conspuebat, dicens : Quis est iste ? non est alius, qui aliquid valeat, præter Zozimam, & qui cum eo sunt. Pòst cœpit & istos contemnere, ac dicere : Nemo alicujus pretii est, præter Macarium. Et paullo pòst iterum : Quis est Macarius ? nullus est qui aliquid valeat, præter Basilium & Gregorium. Atq; etiam non multò pòst cœpit etiam hos pariter spernere, & nullum ullius pretii æstimare, nisi Petrum & Paulum. Cui ego prædixi, quod & evenit, fore ut hos quoq; cum tempore contemneret. Quod sanè factum est : nam eos sprevit, & nihil esse pretio habendum, præter Trinitatem, asserere cœpit : statim quoq; in Deum etiam ipsum factus insolentior, intumuit.*

Sic omnino, qui rationes nunc texunt, ut Pontificis auctoritatem carpant, eamque opposito Concilio evadant ; non minùs

postea,

posteà, cùm opus fuerit, Concilio imponent, iisdemque artibus eludent, quibus Papam; cujus rei exempla in Taddeo Imperatoris Legato, & Luthero Apostata, suprà ostendimus.

Alias rationes in superioribus §§. passim expendimus, quas non lubet repetere.

§. XIV.

Qui sint casus excepti, in quibus Papæ Concilium prævalet.

Summaria.

1. *Papa hæreticus deponi potest.*
2. *Et dubius.*
3. *Potest Papa renuntiare Papatui.*
4. *Ius defensionis etiam contra Pontificem exerceri potest.*
5. *An teneatur aliquando Pontifex Concilium universale cogere?*
6. *Quid si Papa contra omnes Patres Concilii sentiat?*
7. *Quid de Pontifice intruso, aut invalidè electo?*
8. *Nullum esse casum, in quo Papa manens Papa judicari à Concilio possit.*

I.

Primus casus est: Si Papa ùt privata persona hæreticus fiat, ùt de Honorio I. in 8. Synodo *Act. 7.* habetur; tunc enim judicari à Concilio, deponique potest. Ita docent S. Antoninus *in summa 3. p. T. 23. c 3. §. 4.* Suarez de fide *p. 10. s. 6.* Bell. *de Rom. Pont. l. 2. c. 30.* Estque definitum in 8. Synodo Generali *Act. 7. c. audivimus 24. q. 1. c. si Papa d. 40. c. Novatianus 7. q. 1. c. didicimus. c. Achatius 24. q. 1. c. oves 2. q. 7.* Et ratio est, quia fides est anima & forma veræ & Catholicæ Ecclesiæ, per quam ab omni

alia

alia infidelium Ecclesia distinguitur ; adeò, ut sicut homo amissâ animâ, quæ est illius forma, non ampliùs est homo ; ita nec Christianus amissâ fide, est verus Christianus, & consequenter nec membrum Ecclesiæ Christianæ ; Papa igitur per hæresin amissâ fide, cùm non sit membrum Ecclesiæ Christianæ, nec caput esse potest : cùm ergo desinat esse caput Ecclesiæ, mirum non est, si à Concilio judicari potest. Et ideò Christus Dominus non priùs claves Primatúmque Regni Cœlorum Petro commisit, quàm ab illo professionem veræ fidei exegerit, *Matth. 16.* V. Suarez cit. & Cajetan. *Tr. de auctor. Concilii & Papæ c. 20.*

II. *Secundus casus est :* Cùm Papa est dubius, quia videlicet in schismate creatus est, nec constat ex pluribus electis, quis eorum legitimus sit. Hic casus expressè definitus est in Concilio Constantiensi *sess. 4. & 5.* Et ratio est : quia ubi plures Pontifices electi sunt, aut oportebit omnes cum summa potestate Ecclesiæ præesse, quod absurdissimum est, aut aliquos deponi : sed non est ratio, cur unus potiùs, quàm alter deponatur, cùm de omnibus dubitetur, ergo deponendi sunt omnes : nec tunc Concilium exercet in Papam auctoritatem, sed in eum, quem credit non esse Papam : nam dubius Papa, & de quo non constat, pro nullo habetur, cùm in jure sint patria non esse, & non apparere *L. duo sunt Titii 30. ff. de Testam. Tut. L. in lege. 77. ff. de contrab. empt. L. omnia. 32. §. species ff. de Legat. 2.*

III. *Tertius casus est :* Si Papa renuntiet, & sponte Pontificatu abeat : renuntiare enim posse, etiam Ecclesiæ consensu non exspectato definitum est in *cap. 1. de Renunt. in 6. ubi Gl.* & supponitur in Constant. *sess. 2. & 6.* suntque exempla in Gregorio VI. & Cœlestino V. quorum alter pacis, alter pietatis causâ Papatu excessit, eorúmque successores Ecclesia semper pro legitimis habuit. Et ratio est, quia Pontifex nullo nec naturali nec positivo jure renuntiare prohibetur, &, quod supponimus, ex tali renuntiatione nullum in Ecclesiam damnum redundat.

IV. *Quartus Casus est :* Si Pontifex aut vi, aut legibus injustè latis, ut alio quovis modo Ecclesiam destruere niteretur ; aut etiam si aliorum bona & jura injustè invaderet ; tunc enim moneri, rogarique poterit ; & si preces non proficiant, etiam bello & armis coërceri omnique ratione compesci, quæ ad jus naturalis defensio-

fensionis pertinet. V. Turrecrem. *l. 2. c. 106.* Bellarm. *de Concilior. auctor. l. 2. c. ult. ad 2. argum.* Et ratio est, quia in hoc casu non Papæ resistitur, sed invasioni : nec Papæ obediendum est, nisi cùm agit ùt Papa, & caput Ecclesiæ ; nec in illum exercetur jurisdictio, sed tantùm jure defensionis agitur, quod non in jurisdictione & auctoritate fundatur, sed in præcepto aut facultate naturali, quæ à Pontifice solvi tollíque non possunt, cùm & ipse sit juri naturali ac divino subjectus. *totâ causâ 25. q. 1.*

V. *Quintus casus est :* Cùm causa aliqua, præsertim fidei tam gravis esset, ut ea sine Concilio universali expediri non posset ; tunc enim teneretur Pontifex Concilium adhibere, nec posset absque illo decernere. Et de hoc casu SS. Patres loquuntur, cùm dicunt, Concilia esse necessaria, præsertim Gelasius Papa *in Tomo de vinculo anathematis,* Ubi : *Si præcessit consensus Pontificis, doceatur à quibus, & ubi ille sit gestus : si secundùm Ecclesiæ regulam celebratus, si paternâ traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi procul dubio requirendum est, si synodali Congregatione celebratus, quod in receptione damnati, & abjectione Catholici, quia nova est causa, fieri certissimum est.*

Eadem habent B. Cyprianus *l. 2. ep. 1. ad Stephanum.* S. Augustin. *l. 1. de Bapt. contra Donatist. c. 7. & 18.* Et ratio est, quia licèt S. Pontifici promissa sit assistentia Spiritûs Sancti in rebus fidei decidendis, ea tamen promissio supponit omnem diligentiam, & quantùm causæ dignitas desiderat, discussionem, ùt habetur *Actor. 15.* Neque enim quidquid dicit & docet Papa, continuò est dogma fidei : sic etiam Sacramentis novæ legis promissa est gratia sanctificans, sed tamen multis adhibitis & necessariis conditionibus. Pertinet tamen ad Dei providentiam, qui voluit Ecclesiam Petro, tanquam Pastori subjectam, dictóque obtemperantem esse ; & à Romana Sede finem omnibus controversiis imponi, nunquam permittere, ut temerè Pontifex definiat ; alioquin nunquam Ecclesia secura esset, possetque dubitare ; pertinet ergo ad eum, qui finem voluit, etiam necessaria media disponere, & sine quibus nunquam ad finem perveniretur.

VI. *Sextus casus est,* ex sententia Abbatis Panormit. *2. p. Consilior. q. 1.* & Cardinalis Moniliani *de Conciliis Oecum. c. 33.* Si in materia præsertim fidei solus Pontifex, contra omnes Concilii Patres sen-

tiret, teneretur enim illorum votis accedere, & si contra omnes definiret, hæc definitio, tanquam temeraria, nec debito examine & inquisitione veritatis nixa, doctrinæ Concilii cederet. Pontifex enim extra Concilium, & ùt privatus Doctor aliquid docens, errori obnoxius est, multóque magis si temerariè: sed quando contra omnium Patrum sententiam aliquid pronuntiaret, & privatum Doctorem ageret, quia non publicam, sed privatam opinionem sectaretur, & temerariè decideret, plus sibi quàm omnibus credens. Et hoc est, quod aliqui dicunt, majorem esse Concilii auctoritatem directivam, quàm Pontificis solius: qui tamen non tenetur illi parti accedere, quæ pluribus suffragiis juvatur, cùm sententia paucorum melior esse possit, *l. nemo judex C. de sentent. & interlocutor. c. sana d. 9. & passim d. 9.* Sunt enim opiniones instar monetæ, cujus valor non ex numero, sed pondere & metallo æstimatur: sic opiniones non Doctorum numerus, sed major ratio, veritas & prudentia commendat: alioquin semper vincerent fatui, quorum numerus quàm prudentum major est: & veram fidem ac Religionem paucorum, falsam & erraticam multorum esse videmus, nec ideò tamen meliorem, qui plurium.

VII. *Septimus casus est,* Si Pontifex invalidè sit electus & intrusus potiùs in eam dignitatem, quàm evectus; quâ ratione Joannes XII. monstrum magis ex omni vitiorum cœno compositum, quàm homo, ab Ottone M. ejectus est, de quo infrà. Ceterùm electionem Pontificis invalidam, & electum intrusum esse, multis modis contingit: si videlicet facta fuerit electio præter formam Canonicam in Concilio Lateranensi præscriptam *can. 1.* & jure novissimo, contra Bullam Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris.* Anno MDCXXI. Videatur *c. licet 6. de elect.* Si defectus aliquis juris divini aut naturalis electioni misceatur, quales sunt, si electus infans aut hæreticus sit, aut electioni non consentiat. Si electio fuerit simoniaca, datâ videlicet vel acceptâ aut promissâ pecuniâ, aliâve re pretio æstimabili *c. si quis pecuniâ, d. 79.* quod saltem verum est de jure novissimo post Bullam Julii II. Anno MDV. quæ incipit: *Cum tam divino &c.* dubium enim non est electionem Papæ juri Canonico subjacere, quamvis jam electus Papa omni humano jure major sit: præsertim cùm crimen Simoniæ jure Canonico hæresi comparetur. *c. eos qui 1. q. 1. cap. ult. 1. q.*

ult. 1. q. 7. Si electio fuerit per metum gravem & injustum facta. *Concil. Constant. sess. 39.* quod intelligendum est de metu ad certam & determinatam personam eligendam injustè incusso ; talis enim electio in Concilio Constant. ùt diximus, irritata est. Et denique si electio ab iis facta fuerit, qui jus eligendi non habent, & Cardinales non sunt. *c. licet. de elect. & Bulla Gregorii XV. cit.*

His ergo modis electio Pontificis invalida evadit, & taliter electus, sicut Papa non est, ita privilegiis Papalibus non gaudet, subjacétque Concilio. Videatur Concilium Constat. *cui atâ sess. 39.*

VIII. Ex hactenus, toto hoc §. disputatis facilè colligitur nullum casum dari, in quo Papa manens Papa Concilio subdatur: & ideò verissimam & universalissimam esse propositionem nostram, Papam, quamdiu talis est, Concilio non subdi, nec ullum esse tam grande, & atrox Pontificis crimen, cujus judicem in terris habeat ; constat enim Pontificem caput, Pastorem & fundamentum Ecclesiæ à Deo constitutum esse, sicque Ecclesiæ superiorem & Principem. Superior autem nec à subditis judicari potest, nec quia criminosus est, superior esse desinit ; aut ergo ostendi aliquam exceptionem oportet, in qua voluerit Christus Vicarium suum, & Ecclesiæ Principem judicari punirique â subditis posse, quæ nunquam ostendetur, aut simpliciter fatendum, solum Deum Pontificis Romani judicem, & Vindicem esse. Quos tu reperies Pontifices, pluribus & majoribus flagitiis notatos, quàm fuerint Scribæ & Pharisæi, Deicîdæ ; & quorum ingentibus vitiis Christus ipse longum catalogum implevit *Matthæi 23.* adjectâ singulis comminatione sempiterni supplicii, & tamen tantum abest, ut eos à subditis judicari voluerit, redigíque in ordinem, ut potiùs in iis, quæ doctrinam spectant, omnem observantiam præceperit : *Super cathedram*, inquit, *Moysis sederunt Principes & Pharisæi, quæ ergo dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Quanto magis id Christus diceret de Vicario suo, de capite & fundamento Ecclesiæ, quantumvis inquinato, perditoque ? ut enim Synodus Ephesina ad Cælestinum Pontificem Romanum scribit : *Si data fuerit volentibus licentia majores sedes injuriis afficere, & in eos, in quos non habent potestatem, ùt contra leges, sic & contra Canones, proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem res Ecclesiæ.* Maneat ergo rata illa Bonifacii VIII. sententia *in extravag. unam sanctam. Inter communes de*

nes de major. & obed. Si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali: sed si deviat spiritualis minor, à suo superiori: si verò suprema, à solo Deo, non ab homine poterit judicari.

§. XV.

Respondetur ad argumenta ex SS. litteris petita.

Summaria.

1. Ry. *Ad cap. 18. Matth.*
2. Ry. *Ad cap. 13. secundæ ad Corinth.*
3. Ry. *Ad cap. 15. Act. Apost.*
4. Ry. *Ad cap. 8. Act. Apost.*
5. Ry. *Ad cap. 20. Act. Apost.*
6. Ry. *Ad cap. 2. ad Galat.*

I.

OBjicitur primò, Locus Matth 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si autem te non audierit, adhibe adhuc tecum unum vel duos: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunq; alligaveritis super terram, &c.* Ecce! hîc Christus Apostolos, eorúmque successores alloquitur, à quibus vult Christianos incorrigibiles Ecclesiæ denuntiari, ab eâque damnatos ad nullum alium judicem remittit; vult ergo Christus ultimum esse tribunal Ecclesiæ, & à Petro ad Ecclesiam, tanquam majoris potestatis judicem provocari. Et ita hunc locum videtur intellexisse S. Gregorius *l. 4. epist. 38.* & Nicolaus I. *in c. præcipuè 11. q. 3.* qui duo PP. sibi non obtemperantes, Ecclesiæ se delaturos minantur; majus ergo Ecclesiæ judicium esse, quàm suum agnoscunt.

Ry. Hoc loco Matthæi, velut præcipuo fundamento, Adversa-

rios

rios niti; sed tam infirmum est, ut vel hoc maximè prodant causæ, quam defendunt, imbecillitatem, dum tantæ molis quæstionem arenæ imponunt. Inprimis nullus hîc sermo de Petro, ejusque successoribus, & tamen de his quærimus: quamvis enim Christus ad Apostolos in communi loquatur; quis nescit generali locutione, casus speciali notâ dignos, & privilegiatos non includi? Deinde nomine Ecclesiæ, cui jubet obstinatos denuntiari, intelligit Christus eos omnes, quibus potestas ligandi, solvendi, puniendique concessa est, ùt patet, tum ex fine denuntiationis, qui est correctio: tum ex adjuncta illa causali: *Quæcunq; enim alligaveritis super terram, &c.* certum est autem, potestatem ligandi solvendique non tantùm ad Concilium universale, sed etiam episcopos, aliósque Ecclesiæ Prælatos pertinere. Si nomine Ecclesiæ Concilium universale intelligas, oportebit quoties Christianus furto, adulterio, homicidio peccat, Concilium Generale cogi, ut illic delinquentis causa ventiletur, quo nihil potest dici absurdius, impossibilius, magisque ab omnium Ecclesiarum more alienum; & tamen dicendum est, si Christus eo loco Concilium intelligit; enimverò optimè suæ Ecclesiæ, morumque emendationi & justitiæ cautum fuerit, si ad punienda delicta Concilium exspectari oporteat. Sed demus Concilium universale intelligi, non tamen sine suo capite, nec à Pontifice separatum, de quo solùm disputamus, an supra Pontificem tolli possit. Deinde observandum est, Christum dixisse: *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* ut ostenderet, sermonem non esse de summo Ecclesiæ Patre & Pastore, qualis est Romanus Pontifex. Legitimus ergo hujus loci sensus est: *Si peccaverit in te frater tuus*; isque secretæ, & fraternæ tuæ admonitioni non acquiescat, dic Ecclesiæ, hoc est Pastori proprio, qui Ecclesiæ præest, ùt explicat S. Chrysostomus *homil. 61. in Matt.* S. Th. *in 4. d. 19. & 22. q. 24.* Albertus M. *in Matth. 18.* Innoc. III. *in c. novit. de Judic.* Theophylactus, Euthymius & alii passim. Ipse enim Prælatus, cùm agit non ùt privata, sed publica persona, utiturque potestate Ecclesiasticâ, vulgari jam & notâ phrasi Ecclesia vocatur, quia hanc repræsentat: & patuit etiam exemplo Gregorii M. qui minatus Joanni Constantinopolituno, nisi titulo universalis Patriarchæ abstineret, se illum Ecclesiæ denuntiaturum; sine tamen Concilio

universali auctoritate Papali eum compescuit, & censuris obstrinxit. *lib. epist. 30. & 31.* Malè ergo, & contra regulas artis Concilium Papæ anteponi demonstrant eo scripturæ textu, qui nec de Concilio loquitur, nec de Papa, sed de casu omnino alio & disparato.

Demus tamen in hoc Evangelii loco sermonem de Papa esse, & Concilio universali, etiam ùt Papæ opposito; nihil aliud sequitur, quàm Papam publicè criminosum, posse ad Concilium & Ecclesiam deferri, de remediis illum emendandi, cohibendíque agitari, eúmque admoneri, rogari, & si Ecclesiæ infestus sit, etiam jure defensionis coërceri: quæ si omnia facta sint, & incassum cedant, Deo tandem res committenda, cui Ecclesia curæ est, & quam inter tot persequentium procellas, & priora persecutionibus malorum Pontificum exempla agitari quidem permisit, numquam tamen mergi, opprimique: neque enim nobis timendum est id eventurum, quod numquam evenit, & quod Christus promisit, numquam se, ut eveniat, passurum: essetque impium cogitare, Ecclesiam propterea, eóque casu sine auxilio esse, cùm à solo Deo auxilium exspectat; ibi enim maximè parata est, & velut in procinctu divina custodia, ubi deficit humana: & hoc maximè verum est in supremis Reipublicæ capitibus, quorum delicta suæ tantùm virgæ subjecit, nec voluit subditorum arbitrio & pœnis committi, ne pejus esset malo remedium; obtentu justitiæ, malevolorum calumniis, invidiæ, & affectuum impotentiæ expositâ Principis Majestate. Et ita praxis Ecclesiæ semper obtinuit: quamvis enim Marcellini, Sixti III. Symmachi, Leonis III. Damasi, Leonis IV. aliorúmque Pontificum delicta fuerint ad Synodos delata, numquam tamen in eos sententiæ dictæ sunt, immo in Synodo Oecumenica 8. lato de hoc canone definitum est: *Posse quidem Synodum universalem cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere. V. Tom. 3. Concilior. in Actis 8. Synodi.* Platinam *in Marcello, in Sixto III. Symmacho, Leone III. & IV. & Damaso, & c. nunc autem d. 21. & c. nos si incompetenter 2. q. 7. c. auditum 2. q. 5. & c. mandàstis eodem.* Ubi animadverte, Pontifices aliquot, innocentiæ suæ purgandæ causâ, & ùt calumnias sibi affictas palàm detegerent, Synodorum etiam particularium judicio discretivo & velut arbitrario, non tamen coactivo, quod non poterant, se submisisse.

II. *Obji-*

II. *Objicitur Secundò Locus 2. ad Corinth. cap. 13. v. 10.* ubi S. Paulus scribit: *Potestatem sibi à Deo datam esse in ædificationem non destructionem Ecclesiæ*; ergo Potestas Papalis est data propter Ecclesiam, ergo Ecclesia est perfectior, & major Papa, cùm ipsa sit finis, dignitas verò Papalis medium: finis autem est perfectior mediis: & quando medium tenderet ad destructionem finis, omnino submovendum, tollendúmque esset; sic si Papa aliquis suâ auctoritate in detrimentum Ecclesiæ abutatur, tollendus erit, tanquam medium Ecclesiæ noxium, aliúsque subrogandus, qui Ecclesiæ sit utilis.

R. Papam esse propter Ecclesiam, sicut Rex propter Regnum, fundamentum propter domum, & caput propter corpus: nemo tamen propterea dixerit Regem subditis, aut Comitiis Regni subjacere: nec fundamentum à domo, quam sustinet, pendere. Potestas Papalis est quidem medium conservandæ Ecclesiæ datum; & ideò quidquid ex abusu hujus potestatis, & contra bonum Ecclesiæ Pontifices moliuntur, aut non licitè, aut etiam invalidè faciunt: non ideò tamen sequitur Papam à subditis judicari propterea posse, multóque minùs deponi, quia hoc multo magis in detrimentum Ecclesiæ cederet, ejúsque unitatem & pacem turbaret, nunquam aut veris, aut fictis criminibus defuturis, ob quæ Pontifices throno moveri oportet, aliósque supponi, datâ inquietis animis, rerúmque novarum cupidis occasione, obtentu criminum & reformationis inducendæ, Pontifices impugnandi, conflandi schismata, & altare contra altare erigendi: quod ne fiat, consultius utique fuit, malos Pontifices tolerari, quàm dum illis bellum movetur, ipsíque vicissim illatum repellunt, & dignitatem quâvis ratione tuentur, omnia discordiis, turbisque misceri, ipsámque fidem & Religionem Catholicam odio & contemptu Pontificis, quod plerumque contingit, periclitari: in bonum ergo Ecclesiæ, non perniciem cedit, Papam etiam malum, nunquam à subditis suis in jus vocari: hoc enim superioritatem necessariò supponit, quam Christus nunquam Ecclesiæ in Pontificem dedit, ùt suprà ostendimus. Cùm verò dicunt Ecclesiam esse Papâ perfectiorem, vel intelligant Ecclesiam unà cum Papa, & tunc Ecclesia non est perfectior Papâ, cùm istum includat: si verò accipiatur Ecclesia, ut distincta à S. Pontifice, hic tanquam Vicarius Christi, Pastor & Magister

gister Ecclesiæ, ipsâ Ecclesiâ perfectior est, & tenetur Pontificem audire, eique obtemperare.

III. *Objicitur tertiò, c. 15. in Actis Apostolorum*, Ubi, cùm Apostoli Concilium indixissent, in epistola synodali, quam ad fideles dederunt, sic scribunt: *Visum est Spiritu Sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, &c.* Ubi nulla est mentio Petri, sed Collegii tantùm Apostolici, & hujus, non Petri, nomine Concilium definit & imperat.

℟. Hunc esse omnium Conciliorum morem & stylum, etiam quibus Summus Pontifex cum summa potestate præest, ut nomine Concilii decreta expediantur, quod patet omnia Concilia, etiam ultimum Tridentinum legenti, nec propterea excluditur auctoritas Pontificia, quæ primas in Concilio partes agit; sicut cùm dicimus: *Petrus currit, Petrus scribit*; quamvis de capite nihil dicatur, non tamen hujus influxus excluditur, sed semper velut necessarius & principalis subintelligitur. Immo in illo ipso conventu Apostolico, ubi omnes à Spiritu S. immediatè gubernabantur, nec errori patebant, multa Primatûs sui argumenta Petrus reliquit, dum primus sententiam dicit: dum quid definiri debeat, præscribit: dum calentem priùs disputationem, & vota discordantia componit, & velut pronuntiato oraculo, silentium omnibus imponit: quæ omnia eum locum legenti patent.

IV. *Objicitur quartò, cap. 8. in Act. Apostolor.* Ubi Petrus & Joannes à Collegio Apostolico Samariam mittuntur, ut eorum Orationibus Christiani recens ad fidem conversi Spiritum S. acciperent; si ergo Petrus mittitur, Petrum subjectum esse Collegio Apostolico, à quo mittitur, necesse est: cùm missio subjectionem significet.

℟. Non omnem missionem signum subjectionis esse & inferioritatis: nam in Collegio SS. Trinitatis, ubi omnes personæ æquales sunt, parisque Majestatis, filius à Patre mittitur *Joan. 3. 17. & 4. 34.* & Spiritus S. à Filio. *Johan. 14. 26.* Et Herodes mittit tres Reges Orientis in Bethlehem *Matth. 2.* Mittere ergo significat impulsum aliquem, quo alius movetur, quod non tantùm præcepto, & imperio, sed etiam rogatu, consilio, allegatione rationum & argumentorum, quibus ad aliquid agendum alius movetur, fieri potest.

V. Obji-

V. *Objicitur quintò Actor. cap. 20. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei.* Ergo non soli Papæ, sed etiam Concilio Episcoporum commissa est Ecclesiæ cura & gubernatio.

℟. Si omnis cui Ecclesiæ Dei cura & gubernatio concredita est, Pontificem Maximum potestate, & auctoritate superat; non tantùm hæc prærogativa Concilio Universali, sed etiam particulari, immo & cuilibet Episcopo & Parocho concedenda erit, quod absurdissimùm est. Quidlibet ergo Episcopus, dum propriam & particularem Ecclesiam regit, hoc ipso & mediatè Ecclesiam Universalem regit, bono & regimine partium in bonum & regimen totius cedente: sicut bonum & malum unius membri, est etiam bonum & malum totius corporis, & tamen omnium membrorum, ipsiúsque corporis motus & directio à capite pendent, unde & influxum & spiritus, motúmque accipiunt. Ergo & Papa & Episcopi Ecclesiam regunt, sed isti ùt membra, ille ùt caput: isti particulares Ecclesias, ille Universalem & totam.

VI. *Objicitur sextò c. 2. ad Galatas*, ubi: *Paulus, cùm Cephas* (Petrus) *venisset Antiochiam, in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat, priùs enim cum Gentibus edebat, posteà subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex Circumcisione erant: & simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in eandem simulationem.* Ecce hîc Petrus errat, aliósque exemplo seducit, & propterea à Paulo corrigitur, palámque reprehenditur: quanto magis igitur poterit Pontifex errare, alios seducere, & ideò à Concilio judicari, corrigique: non ergo Pontificis sententia est regula credendorum, cui Concilium subjaceat; sed potiùs doctrina Concilii est regula, cui Pontifex subjacet, ab eáque, cùm à veritate deflectit, corrigendus est.

℟. Hunc locum ad Galatas, quo sibi & Hæretici & Catholici aliqui tantùm blandiuntur, nihil planè ad rem facere. Nos quærimus, an Concilium sit supra Papam, & ipsi ostendunt Petrum à Paulo reprehensum esse, quasi verò negemus non posse Pontificem argui, reprehendi, corrigi, eique, si oporteat, resisti: enimverò nos ipsi hæc omnia concedimus, eodemque exemplo utimur, ut ostendamus, Pontificem & posse & debere, cùm meretur, reprehendi; quod B. Bernardus, quod Petrus Damiani, quod

Hieronymus, aliíque fecerunt, multóque magis concilium facere potest: ceterùm alterius vitia reprehendere, in illa declamare, & si vergant in communem perniciem, illis etiam resistere, nullam superioritatem arguit, ùt patet & docent expresè SS. Patres. S. Gregorius *in c. Petrus 2.q.7.* & ibi Gratianus. Idem Gregor. *Homil. 11. in Ezech.* Cyprianus *in epist. ad Quirinum.* Augustinus *epist. 19. ad Hieron.* & *in epist. ad Galat. c. 2.* S. Thom. *in 4. d.19.* An verò & quomodò Petrus hac in re peccaverit, dicemus in sequenti Proposit. 3. ubi de infallibilitate Pontificis sermo erit.

Hæc sunt loca scripturæ, ex quibus an probetur majorem esse concilii, quàm Papæ auctoritatem, Lectoris judicium esto; nobis sanè tam infirma, longéque ducta videntur, ut non tantùm animum non convincant, sed ne tenuem quidem veritatis umbram jaciant, miraríque lubeat, viros alioquin doctos rationibus adeò leviter maléque armatis & ipsos cessisse, & alios oppugnare conatos esse; nisi fortè animo jam semel occupato verba scripturæ ex voto sensuque proprio æstimaverint, nec tam curæ habuerint, ut sententiam suam scripturæ, quàm scripturam sententiæ suæ accomodarent.

§. XVI.

Respondetur ad auctoritates Conciliorum Constantiensis & Basileensis.

Summaria.

1. R. *Ad auctoritatem Concilii Constantiensis.*
2. *Et Concilii Basileensis.*

I.

Objicitur septimò, Concilium Constant. quod *sess. 4. & 5.* clarè definivit Concilium universale potestatem immediatam à Christo habere, cui quilibet cujuscumque dignitatis & conditionis sit, etiamsi Papalis, obedire teneatur.

teneatur. Et *sess. 15.* omnes cujuscúmque dignitatis etiam Papalis, qui venientes ad Concilium impediunt, excommunicat. Et *sess. 17.* Concilium variis honoribus Gregor. XII. afficit, quòd sponte Papatui renuntiâsset, declaratque eum gratiis & Privilegiis à Concilio acceptis, nec à futuro Papa, nec à Concilio privari posse. Et *sess. 39.* præcipit futuris SS. Pontificibus, ut singulis decenniis Concilium generale cogant: & si contingat duos insignia Pontificalia induere, jubet sub interminatione divinæ maledictionis continuò renuntiare, & nisi faciant, privat omni jure, quod ad Papatum habebant, eósque inhabiles reddit ad omnes in futurum dignitates. Et *sess. 45. sub initium.* Oratores Regis Poloniæ & magni Ducis Lithuaniæ Martino V. jam electo Pontifici supplicant, velit libellum quemdam & opiniones Joannis de Falckenberg hæreticas, & in Concilio publicè damnatas declarare; nisi faciat, suorum Principum nomine ad futurum Concilium se appellaturos. Ex his omnibus colligi videtur, Patres Constantienses & definivisse, & ipso facto ostendisse Concilium omnino supra Pontificem esse, & huic leges statuere posse, quas observare teneatur.

R. Mentem Concilii pro summi Pontificis suprema auctoritate nimis claram esse, ut de illius sententia dubitari, nisi ab illis possit, qui aquam aliàs limpidam turbant, aut partem tantùm aliquam Concilii legunt, eâ, quæ veritatem aperit, prætermissâ; quemadmodum ferè qui oculis laborant, ægrâque acie sunt, non audent satis lucem totam & solem haurire, parte aliquâ radiorum contenti, & ideò faciles in errorem. Concilium ergo pro Pontifice stare clarum est: Tum quod Concilium electo semel Martino V. nihil ampliùs, ùt ante electionem, statuerit, definiverit, prohibuerit, &c. sed omnia nomine electi Pontificis, ab eóque deinceps sacro approbante Concilio sunt constituta, quæ omnia argumento sunt, Concilii potestatem Pontifice jam electo cessâsse, & consequenter Concilium supra Pontificem non esse: non enim potestas superior præsente minori cessat, sed hæc potiùs illi cedit: Tum etiam quia *sess. 15. & 17.* Pontifici futuro & indubitato reservatur potestas dispensandi in iis, quæ à Concilio statuta sunt, relaxandique censuras ab eodem fulminatas. Et denique *sess. ult.* expresè definit, supremam in Ecclesia potestatem non penès Concilium,

lium, sed Papam esse, quòd falsum omnino sit, Concilio Papæ prælato. Nec obstant in contrarium allegata, semper enim Concilium loquitur de casu schismatis, & Pontificis dubii, ut claris conceptisque verbis, & sæpe repetitis Patres seipsos explicant, idque tam enixè, ut videantur præcavisse, ne quis in errorem induceretur, verbis Concilii malè intellectis. V. quæ suprà diximus §. 5. num. 13.

Ad id, quod adducitur *ex sess. 39.* statuit quidem Concilium singulis decennis Concilia universalia indici, sed nullo modo id futuro Pontifici imperat: potest enim statuere Concilium leges, quæ etiam Pontificem quoad vim directivam obligent; maximè cùm ordinantur ad observantiam divini & naturalis juris, earúmque transgressio pacem quietémque publicam offendit: quâ ratione quamvis nemo sibi subjectus sit, séque ipso inferior, communis tamen sententia habet, Principem suis legibus obligari. S. Th. *1. 2. q. 96. a. 5. ad 3.* Suarez *l. 3. c. 35. de leg.* S. Ambros. *l. 5. ep. 32.* & sumitur ex Matth. *c. 23. c. quæ contra d. 8. c. justum. d. 9. cùm omnes de Constitut. ff. quod quisq; juris L. digna vox C. de leg. l. 23 de Legat. 3.* Ad appellationem à Papa ad futurum Concilium, nomine Regis Poloniæ factam, non potest meliùs responderi, quàm ipse Martinus V. respondit, ut habetur in Actis Concilii *Sess. 45.* cùm enim animadverteret Legatos Poloniæ & Lithuaniæ ex Synodi Constantiensis doctrina animos sic appellandi sumpsisse, ut ad ipsas radices securim poneret, continuò respondit: *Se quæ in puncto fidei contra Wicleffum & Hussum, à Patribus essent conciliariter decreta, sancte observaturum, & rata & confirmata habere: non verò, quæ ad fidem non pertinerent, aut quæ non conciliariter, hoc est, cum debito examine, discussione, initis q; suffragiis, essent definita.* Nec contentus Papa hæc appellantibus Legatis, & Concilio præsentibus respondisse; voluit insuper hanc suam protestationem & responsionem in Acta publica Concilii referri, & ab ejusdem Concilii notariis & Actuariis solemnia & authentica instrumenta confici: & re ipsâ in Bulla Confirmatoria Concilii, quæ ad calcem ultimæ sessionis habetur, Martinus V. ex actis in Concilio Constant. nihil aliud confirmavit, quàm damnationem errorum Wicleffi & Hussi à Patribus synodaliter factam. In quo Martinus V. suorum prædecessorum exempla imitatus est, nam & Leo sanctissimus Papa, & tot encomiis à Patribus Chalcedonensibus cumulatus, noluit Concilium Chalcedonense,

nense, nisi quoad illa, quæ in materia fidei sancita fuerant, confirmare, ùt videre est in epistola ejusdem B. Leonis circulari ad Patres concilii 61. & ad Anatolium 54. quæ habentur *Tomo 2. Conciliorum.* Verùm ut ex verbis ipsis Concilii Constant. res melius intelligatur, credatúrque, placuit ea hîc attexere: sic ergo sess. *45. & ult.* sub initium habent. *Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quòd omnia & singula determinata, concluſa & decreta in materia fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo: ipsaq; sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud idem iteratò fecit dici per organum D. Augustini de Pisis, fiscalis & Sacri Consistorii advocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotariis & notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis & deputatis, petiit instrumenta publica fieri.*

Cùm ergo ea sententia, quæ Concilium Pontifici præponit, non tantùm de fide non sit, sed etiam â communi Doctorum, praxi Ecclesiæ, testimoniis SS. Patrum, sacræque Scripturæ plurimùm aliena, immo â sanctis etiam Patribus graviter perstricta; etiamsi daremus fuisse in Concilio Constant. assertam, nunquam tamen confirmata fuit â Martino V. qui expressè profitetur, sibi animum non esse Concilium confirmandi, nisi quoad illa, quæ fidei sunt: non verò illa, quæ ad fidem non pertinent, multoque minùs quoad illa, quæ videntur cum principiis fidei pugnare, qualis est opinio, quam impugnamus. Non ergo videmus, quâ ratione Patres Conventûs Parisiensis inducti fuerint, ut dicerent: *Non probari ab Ecclesia, qui Decreta Concilii Constantiensis sess. 4. & 5. ad casum schismatis detorquent, eorúmq; robur confringunt tanquam sint dubiæ auctoritatis, minúsque approbata.* Quasi verò nos Decreta Concilii ad casum schismatis restringamus; & non ipsum Concilium, tot tam claris, tamque repetitis verbis restringat, ut planè vim Concilio faciat, qui ad hunc casum schismatis non restringit: aut Concilium illi detorqueant, qui nihil Concilio addi volunt, nihil detrahi, sed ipsum eo sensu intelligi, quo loquitur: verba Concilii sunt *sess. 4. Ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata disponit, statuit, decernit, declarat, ùt sequitur; & primò quod quilibet cujuscũq; status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidẽ, & extirpationem dicti*

schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & membris. Eadem repetuntur *sess. 5.* ubi videmus Concilium, ipsum suam definitionem limitare ad casum & statum, in quo tunc temporis Ecclesia versabatur; si enim limitare noluisset, poterat tot verbis parcere & absolutè dicere: *Teneri Papam Concilio universali obedire.*

Eodem pacto, non sumus nos, qui extra materiam fidei negamus Concilium fuisse à Martino V. approbatum, sed ipse Martinus, ipsa Concilii Acta *sess. 45.* ipsique Tabelliones Concilii, & instrumenta publicè ab illis confecta; ut proinde non aliis argumentis sit opus, sed solâ Concilii lectione, ut omnibus palàm fiat, quinam sint illi, qui Concilium in alienum sensum detorquent, aliámque omnino faciem, quàm habet, imponunt.

II. *Objicitur octavò,* Concilium Basileense, quod *sess. 2.* definit Concilium esse supra Papam: non posse, nisi Patres consentiant, Concilium à summo Pontifice aliò transferri aut dissolvi. Et *sess. 3.* monitorium contra Eugenium IV. expedit, pœnásque non obtemperanti decernit. Et *sess. 4.* prohibet, ne durante Concilio Pontifex ad promotionem novorum Cardinalium procedat. Et *sess. 7.* non posse Papam de Beneficiis Cardinalium à Concilio punitorum disponere. Et *sess. 8.* Eugenium auctoritativè, & sub pœnis contumaciæ ad Concilium citat. Et *sess. 9.* rescindit omnia acta & processus ab Eugenio summo Pontifice contra Wilhelmum Concilii protectorem factos. Et *sess. 12.* acriter in Eugenium summ. Pontificem declamat, definitque & olim in Romanos Pontifices à Conciliis animadversum esse, & deinceps animadverti posse. Et *sess. 14.* Conditiones Eugenio Papæ tribus formulis comprehensæ à Concilio præscribuntur, in quas nisi consentiat, Papatu exuitur. Et *sess. 16.* Eugenius Papa, ùt ibi habetur, *citationi, monitioni, & requisitioni sacri Concilii plenariè satisfacit.* Bullas & diplomata contra Concilium à se edita, nulla & inania fuisse declarat; ipsum verò Concilium fuisse legitimè inchoatum, legitimèque continuatum: quo videtur Eugenius omnia in superioribus sessionibus facta, & consequenter citationes, & sententias contra se dictas confirmâsse, & Concilii auctoritatem supra legitimum Papam agnovisse. Et *sess. 17.* admittit, ùt præsident, Legatos Papæ, sed cum certis conditionibus, quarum præcipua, ne ullam in Concilium exerceant jurisdictionem coa-

nem coactivam. *Et sess. 18.* expressè definit majorem esse Concilii, quàm Papæ auctoritatem, & hunc nisi obediat, posse à concilio puniri. *Et sess. 21.* tollit concilium omnes Annatas, & qui eas exegerit, pœnâ Simoniacis decretâ punit: ipsum verò summum Pontificem, si aliquid contra hoc Decretum moliatur, jubet concilio deferri. Et *sess. 26.* iterum definit Papam notoriè criminosum jurisdictioni concilii subjacere, ipsúmque Eugenium Papam in jus vocat. Et *sess. 29.* circa medium, clarissimè iterum auctoritas concilii supra Papam asseritur. Et *sess. 31.* Eugenium suspendit. Et *sess. 33.* etiam deponit. Et *Sess. 38.* Concilium Generale supra Papam esse definit, idque ad veritatem fidei Catholicæ pertinere, & qui hoc pertinaciter negat, hæreticum esse. Et *Sess. 39.* Amadæum Sabaudiæ Ducem, sub nomine Felicis V. Papam renuntiat.

In appendice *ad Sess. 17.* quæ habetur post Acta concilii, Legati Eugenii IV. Romani Pontificis, *jurant fideliter laborare pro statu & honore Concilii Basileensis, ejusq; decreta defendere & manutenere, & specialiter decretum Concilii Constantiensis de subjectione Pontificis. Et aliud Synodi Basileensis decretum, quod Papa Concilio Universali obedire teneatur.* Idem habet Platina *in vita Eugenii IV.*

Ex his concilii Basileensis actis sic argumentari licet: Quidquid à legitimo concilio definitum est, & à legitimo Pontifice confirmatum, id pro vero ratoque haberi debet: sed concilio Pontificem subjacere, & à concilio citari, judicari, punirique posse; & ipsa Synodus Basileensis definivit, & Eugenius Papa confirmavit tanquam ritè logitiméque facta.

Ad hæc, ut respondeamus, oportet rem altiùs repetere, totamq; Basileensis concilii historiam sub oculos ponere, sic enim se ipsam veritas prodet. Ex præscripto Constantiensis *Sess. 39.* & posteà Senensis conciliorum, Martinus V. Basileam universale concilium indixerat, quò cùm per morbum, provectamque in senium ætatem proficisci non posset, eam curam Juliano Cardinali Diacono mandaverat. Martino paullo pòst extincto Eugenius IV. successit, qui eidem Juliano convocandi Basileam concilii mandatum repetit. *V. Acta Concilii Basileensis sess. 1.* Anno igitur MCCCCXXXI. adultâ jam ætate concilium celebrari cæptum, sed pauci admodùm Patres in sessionibus visi, bello inter Burgundiæ & Austriæ Duces flagrante, impe-

impeditisque itineribus ; præsertim verò quòd Hussitæ hæretici, cæsis Catholicorum exercitibus, Basileæ fines incursarent ; & Eugenius vicinâ jam, securâque spe Græcam cum Latina Ecclesia conjungendi, Concilium in Italiam transtulisset, jusso Juliano Cardinali Basileensem Conventum dimittere : hinc primæ discordiarum faces. *Ex Bulla Eugenii : Postquam divina clementia, in App. ad Acta Conc. Basil.* Negabant enim Patres Concilium jam semel legitimè coactum dissolvi posse, aliòve transferri : Bohemos hæreticos armis insuperabiles recentique victoriâ elatos, humanitate vincendos esse, & à Concilio placidè veritatem edocendos : hos à Patribus invitatos ad Synodum, & itineri jam accinctos, ubi Concilium derepentè solutum viderint, Patrésque dilapsos : quid aliud dicturos, quàm sibi ab Episcopis illusum esse ? Nihil ergo Synodo intempestivè dissipatâ, aliud agi, quàm ut contumeliâ Patres afficiantur, & reducendi hæreticos spes omnis evanescat. His Basileensium querelis accedebant Sigismundi partim preces, partim etiam minæ, dicam Pontifici tempestatem præcinentis, si cœptis insisteret. Sed Eugenio, ne animum mutaret, multa persuadebant : cùm enim pacis cum Ecclesia Orientis componendæ desiderio flagraret, oporteretque ipsum Romanum Pontificem Concilio interesse, in quo tantæ molis negotium agitabatur, ipsique Augusti cum Patriarcha adfuturi erant : nec tamen Basileam ire permitteretur, itinere & longo, & hyeme, armisque occupato, ac Græcis incommodo ; necessarium omnino videbatur comitia alibi locorum agi ; ergo Bononia delecta est. Patres cùm viderent Pontificem flecti non posse, huic oppugnando se accingunt, iis præsertim agentibus, qui aut odio in Eugenium, aut ambitione ferebantur, in turbido piscaturi. Imprimis ergo decretum Constantiense de auctoritate Concilii supra Papam instaurant, illudque casu Pontificis dubii, ad casum Pontificis certi, contra mentem ipsius Synodi Constantiensis extendunt : deinde bellum civile aggressi, perinde ac si hæreses jam omnes debellâssent, pacemque Ecclesiæ reddidissent ; toti in Eugenium vertuntur, diem illi dicunt, contumaciæ postulant, pœnas statuunt, acta rescindunt, & nisi ipse in concilium veniat, pareatque, minantur mitram excussuros, immo, quo nihil impudentius, sacroque conventu indignius fieri potuit, innocentissimis moribus Pontificem calum-

calumniis onerant, latrocinium, quod parabant, apud ignaros mendacio purgaturi. Multa sunt, quæ Basileensibus ad hæc audenda, animos faciebant, sed ambitio præsertim, Principum sæcularium armis subnixa. Adeò ad Papatum adspirabant, ut perinde ac sublato Eugenio vacuáque sede, de modo eligendi Pontificem disceptarent, deque conditionibus, quas electo præscriberent. Furebat, miscebáque omnia Dominicus de Capranica, purpuram illi negante Eugenio, quam Martinus contulerat, quæ causa alios quoque in Pontificem armabat. Philippus Maria Dux Mediolanensis ab ipso in Pontificatum ingressu Eugenio infestus, Columnenses in eum concitaverat expilato sacro ærario, Româque vix non capta: pergebat verò Patres in Eugenium concitare, immissóque in Picenum milite Bellum Pontifici infert, Sfortiæ perduelli patrocinium offert: Romanos ut Eugenium prodant subornat, illique capiendo insidias struit: nullúmque finem Basileenses concitandi facit, donec pace cum Eugenio aliquoties factâ ruptâque, infelici morte extinctus est, teste B. Antonino *3 p. T. 22. c. 11. §. 17.*

Accedebat Philippo Duci Cardinalis S. Eustachii, qui Avinionensi & Venusino comitatibus à Synodo præfectus, ut hanc dignitatem tueretur, contra fas oblatam, ab Eugenio defecerat, rebúsque turbandis impigrè laborabat. Ipsi Romani arma circumferente Philippo Mediolanensi, aut bellorum incommodis efferati, aut spe vicinæ libertatis insolentes, in Capitolium concurrunt, Hadrianam & Ostiensem arces occupant, Nepotem à latere Pontificis avulsum custodiæ tradunt, ipsum Pontificem in palatio obsessum, circumfuso milite observant, aut Philippo Duci, aut Patribus Basileensis Concilii, quorum mandatum exspectabant, proditurі: sed Eugenius Monachi veste obtectus, elusisque custodibus Ostiam, tum Pisas, Florentiamque evasit, summis ubique honoribus acceptus. Romanorum interim legatos, violatæ Majestatis, tantíque flagitii reos, Concilium & impunè accepit, sibique adjunxit, & etiam tutatum est. Raynaldus *ad annum 1434. n. 11. ex epist. Eugenii ad Principes.* Sed maximè Basileensibus ex Alfonsi Regis Aragoniæ in Eugenium conflato bello, audacia crevit, ejus hæc causa: Extinctâ Joannâ II. Neapolis Reginâ, stirps Andegavensis unà conciderat, Regno jure Dominii, & ex pactis

cum Carolo I. ad sedem Apostolicam reverso. Sed Alfonsus Aragoniæ Rex cognomento magnanimus, Joanne Rege Navarræ aliisque duobus fratribus, ac ingenti classe stipatus, Regnum, ad quod Neapolitani eum evocaverant, invadit, Capuam capit, Cajetámque obsidet; ubi à Genuensium classe, copiísque Philippi Mediolanensis victus, captúsque est; sed paullo pòst libertati redditus, eâ inter alias conditione, ut contra Eugenium arma cum Philippo sociaret; quæ ab Alfonso tantò proniùs admissa est, quòd Eugenium videret in Renatum Ludovici Andegavensis fratrem, adoptatumque à Joanna propendere. Scripsit ad concilium Alfonsus, eique operam, Oratores, Prælatósque promisit, unde majores Patribus cristæ, tam potenti amico in suas partes adducto, præsertim verò ubi Alfonsi instinctu etiam Carolus Galliæ Rex, & Sabaudiæ Dux ab Eugenio defecêre.

Hæ nisi fallimur causæ sunt, quæ Eugenium permoverunt, ut metu schismatis, dissipandæque pacis cum Græcorum Ecclesia, in Basileensium postulata quantumvis iniquissima, conveniret. Videbat se armis domi, forisque appetitum, & à Principibus sua quærentibus desertum, solo adhuc Sigismundo in ancipiti pendente, quem ne repulsâ irriraret, apertúmque schisma in Ecclesia accenderet, coactus tandem, metúque pejoris mali, Concilium Basileense instauravit, Bullas censurásque, quas in Patres tulerat, refixit, & conditiones admisit dignitati Pontificiæ indecoras: sed tempori cessit prementique necessitati, quamdiu spes inquietos placandi affulsit; ubi verò indulgentiâ obstinatos vidit, adeò ut etiam in Archiepiscopum Tarentinum concilii Præsidem manus injicerent; & præsertim cùm Græci nec Basileam vellent, nec Avenionem, sed in Italiam ad concilium proficiscí; Florentiæ Synodum indixit Carolo Gallorum Rege approbante. Major dignioréque pars, cui Legati Apostolici præerant, Pontifici parendum censuit; minor, quæ inferioris Ordinis Sacerdotibus constabat, repugnavit, Aragonio Rege, Sabaudiæ Duce, & Arelatensi Cardinali omnia miscentibus. Ferunt hanc turmam seditiosorum Episcopis tantùm 7. Abbatibus aliquot, aliis verò vulgo sacerdotum compositam fuisse, quibus contra morem omnium conciliorum jus suffragii collatum est: & hi tamen tantulo numero ausi sunt iterum diem Eugenio dicere, hæresis, aliorúmque criminum damnare,

damnare, & tandem dictâ sententiâ Pontificatu exuere, substituto Amadæo Sabaudiæ Duce; qui cùm mundi & vanitatum pertæsus vitam Angelis proximam in sylvis duceret, captus tamen perstrictúsque insperatâ hac lue, amplâque dignitate, caput Tiaræ subjecit, morti vicinum, nomenque induit Felicis V.

Visum est omnibus tam indignum hoc facinus, ut Basileenses execrati ad Eugenium transirent: Galliæ præsertim Rex, qui adornatâ insigni legatione, cujus Princeps Meldensis Episcopus fuit, se Eugenio submisit, supremam in Ecclesia auctoritatem penès Papam, non concilium esse professus. V. Raynaldum *ad annum MCDXLI. n.10.* Ipse Amadæus, desertum se ab omnibus videns, tunc primò magnitudinem sceleris, quo se obstringi passus erat, æstimare animo cœpit, & sponte Nicolao, Eugenii posteà successori, dignitatem indebitam cessit. Hic finis Basileensis concilii fuit, duodeviginti annos agitati, circa quod aliqua notatu digna occurrunt.

Primò. Summam in tanta rerum perturbatione Dei providentiam effulsisse, quæ luctante cùm tam fæda tempestate Ecclesiâ, quàm plurimos Sanctos velut in subsidium misit, videlicet S. Laurentium Justinianum, S. Antoninum, S. Bernardinum, S. Nicolaum Albergatum, B. Joannem de Capistrano, S. Franciscam, S. Coletam, S. Liduinam, &c. Eodemque tempore, quo in Concilio Basileensi Pontificia auctoritas impugnabatur, scriptis illi doctissimis commentariis eandem tuebantur, & Concilio præferebant, inter quos Joannes de Turrecremata, qui Concilio interfuit, librumque doctrinâ & rationibus insignem scripsit. Sed illud miraculo proximum fuit, Ecclesiam Græcam tot sæculis à Latina discordiis avulsam, eo tempore in gratiam, pacemque rediisse, quo inter se Latini collidebantur, Græcosque pessimo exemplo à pace ineunda maximè terrere poterant: sed Deus, *Qui facit concordiam in sublimibus Job. 25.* voluit & potentiam suam ostendere, omnia superantem; & suum in terris Vicarium, quique illi adhærebant, tam celebri cum Græcis unione honorare: negari tamen non potest, Basileensium factionibus rixísque impeditam fuisse Æthiopum conversionem, quam Eugenius meditabatur.

Notandum 2. Exemplo Basileensium patuisse, quanti periculi sit concilium à Papa separari, ejusque auctoritati obstrepere: quan-

tumvis enim multa in eo Concilio præclarè statuta fuerint ; ubi tamen Pontifici præferri voluerunt , negari haud potest , omnia fuisse per summam ambitionem , rixas , factiones , violentiam , tumultus , & tandem latrocinia peracta , adeò ut oportuerit Principes armis , Deum peste , ad dissipandum tam pernicioſum Ecclesiæ conventum accingi. Audi, quæ homines illius temporis , quique Concilio aderant, memoriæ reliquerunt.

S. Antoninus *3. p. Tr. 22. cap. 10. §. 4. Eugenius IV. Concilium Basileæ congregatum auctoritate Apostolicâ dissolvebat. Illi tamen obturaverunt aures suas , & cœperunt Eugenium citare , sollicitati ad hoc à Duce Mediolani ægrè ejus Pontificatum ferente. Sigismundus verò Imperator, & Veneti dissuadebant iis, qui Basileæ erant congregati, ne pergerent. At illi depoſito Eugenio , Ducem Sabaudiæ Amedæum in Idolum sibi erigentes, Felicem V. nuncupaverunt. Cui tantum intra territorium suum obeditum fuit. Is cùm Abbatem Panormitanum, & Joannem quemdam instituisset Cardinales, Joannes morte subtractus est, Abbas verò Panormum reversus, pileum sponte dimisit. Denique Julianus Cardinalis relicto Basileensi Conciliabulo, ad Eugenium Papam se contulit.* Eodem loco : *Illi nimirum Basileenses, obturaverunt aures suas , scilicet jussis Apostolicis, quibus Pontifex Basileensem Conventum dissolverat , non audientes vocem Domini , sed congregatione illâ factâ conciliabulo nullas vires habente , nisi in Synagoga Sathanæ auctoritate suæ temerariæ præsumptionis cœperunt Eugenium ad Concilium adeundum citare, sollicitati ad hoc à Duce Mediolani ægrè Pontificatum ejus ferente , quia non sibi favebat.*

Joannes Nider *in formicar. l. 1. c. 7. Usq; ad sex annos jam crebrò disputatum est de diversorum statuum reparationibus , nec in effectu usq; hodie quidquam vidimus*

B. Joannes Capistranus *de Papæ & Concil. auctor. p. 3. Jam vidimus abominationem desolationis Amedæum Subaudiensem, non in loco sancto Romano throno, Domino prohibente , sed in loco profano , excommunicato , & interdicto , Basiliscorum spelunca , dæmoniumq; caverna sedentem, in fano Cosrhoe Persarum olim perditissimi Regis.*

Panormitanus, teste Aenea Sylvio , sic Patres Concilii allocutus est : *Vos Patres , nostras contemnitis preces, Reges & Principes contemnitis ; at cavete , ne dum omnes despicitis, ab omnibus despiciamini ; itarem contigisse visuri sumus.*

Joan-

Joannes de Turrecremata: *Nullus sanæ mentis vir, qui novit, cum quanta gravitate, integritate, & modestia, fidei judicia tractanda sunt, judicabit esse universali consensu totius Ecclesiæ concluſa, Spirituq; sancto dictata, in quibus hujusmodi factiones, & practicæ intervenerunt.*

Pius II. *in Bulla retractat. In minoribus agentes, nondum sacris ordinibus initiati, cùm Basileæ inter eos versaremur, qui se generale Concilium facere, & universalem Ecclesiam repræsentare ajebant, Dialogorum quemdam libellum scripsimus, in quo ignorantes (ut Paulus) persecuti fuimus Romanam Primámque sedem. Unde in Domino commonemus, ne fidem ullam præstetis prioribus illis scriptis, quæ supremam Apostolicæ sedis auctoritatem quovis pacto elidunt. Nec cum Pontificatu hæc nobis opinio advenit. Sed cùm Julianus S. Angeli, & Joannes S. Petri, Cardinales, quibus plurimùm credebamus, ad Eugenium defecissent: cùm paucissimi in fide Basileensi remansissent: cùm Fridericus Romanorum Rex Felici V. in Eugenii locum suffecto, honorem tanquam Pontifici Romano exhibere nollet, cùm in Friderici Aula agentes, Eugenium in multis falsò accusatum invenissemus: cùm Julianus Cardinalis post unionem Græcorum Ferrariæ, Florentiæq; concluſam, in Ungaria legatione functus, Viennæ nobis occurrisset, dixissétque, unam vocem Græcorum & Latinorum hanc esse, salvari non posse, qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ non teneret unitatem: cùm Joannes Cardinalis Apostolici Palatii Auditor, aliiq; docti viri multùm nobis frequentibus colloquiis suis profuissent: cumq; Cæsar Basileenses induceret, ut Ecclesiasticæ pacis causa, se ad novum Concilium, quod Constantiæ indiceretur, transferrent: illi verò id primi recusarent, ob eamq; rem multi doctissimi viri, & opinione sanctitatis illustres, scire se dicerent, Basilieenses Spiritum Sanctum non habere ductorem: his omnibus consideratis, recognovimus errorem nostrum, Basileense Dogma rejecimus, Eugenio Pontifici Maximo caput submisimus, illud Hieronymi diximus: Cathedræ Petri communione consocior, super illam fundatam Ecclesiam scio. Eramúsque adhuc Clericali tantùm charactere insigniti, quando ad Eugenii obedientiam redivimus.*

B. Nicolaus Albergatus, teste Carolo Sigonio in ejus vita *c. 13 Cùm audisset, quæ in contemptum Apostolicæ sedis decrevissent, vehementiùs homo antiquæ probitatis exarsit, atq; graviter eorum facta increpuit, & ut in auctoritate summi Pontificis ipsius Christi Vicarii permanerent, admonuit.* Obiter hîc animadvertendum est, omnes propè sanctitate conspicuos Doctores Pontificem Concilio prætulisse, etiam qui hoc tem-

pore, cùm maximè hæc controversia fervebat, scripserunt: quales fuêre S. Antoninus, S. Bernardinus, S. Laurentius Justinianus, B. Albergatus, B. Capistranus: præter antiquiores jam suprà citatos S. Thomam, S. Bonaventuram, S. Albertum M. B. Augustinum Triumphum, S. Bernardum, S. Isidorum Hispalensem, ut meritò Sanctorum sententia hæc dici debeat, sicut altera Politicorum, qui plerúmque cum affectu aliquo, aut odii, aut ambitionis, privatíque lucri agitabantur, Concilium Papæ opponebant, ex utriúsque conflictu ipsi prædam aliquam facturi.

Notandum 3. Gallos ipsos, qui aliquamdiu contra Eugenium Concilio adhæserant, ubi tamen veritatem edocti sunt, videruntque, dum ambitioni, privatísque studiis Basileenses student, periclitari Ecclesiam; non solùm ad Eugenii partes transierunt, sed apertè professi sunt Concilii auctoritatem infra Papalem esse; sic enim Episcopus Meldensis legationis Princeps à Carolo 7. Francorum Rege ad Eugenium, adornatæ in sacro purpuratorum Senatu, sui Regis Gallorúmq; nomine inter alia locutus est: *Nimio fervore resistendi, ad hanc vesaniam devenerunt, quòd supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ citò in diversa scinditur, collocant, & pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucusq; tenuit in unitate fidei, in una professione religionis Christianæ, in uno ritu sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem ceremoniis divini cultûs, atq; pacem & tranquillitatem asseruit, non abolere & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem cœlestem habet pro fine, ad democratiam vel aristocratiam redigentes, & ulteriùs in malis procedendo unum sibi in capite assumpserunt, qui nunc eis præfertur, & sic schisma factum est nedum in obedientia capitis, sed & in doctrina Evangelii, quod omnibus Christicolis est abominandum. Et hoc animadvertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, remedia ubique perquirit, ac denique consulto Prælatorum, & aliorum multorum sapientium Regni sui, videtur sibi, quòd nullum est aptius remedium ad hoc schisma extirpandum, quàm evellere aut disperdere duas prædictas extremitates, ad quod faciendum necessarium est generale Concilium. Porrò Concilium olim Basileense unam extremitatem nimis exacuit, quando veritatem de suprema potestate in uno extinguere pertentavit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene*

quidem

quidem lucidavit, ùt patet in Decreto Græcorum, sed pro regulando usum hujus potestatis nihil edidit, nihilq; locutum est.

V. Raynald. *Ad annum MCDXLI. n. 10.* & Ganguinum *in Carolo 7.*

Ter in historia Ecclesiastica reperimus Gallos supremam in Pontifice potestatem, & Concilio majorem publicè testatos esse.

Primò, sub Carolo M. Imperatore, cùm Synodo in causa Leonis III. Romæ coactâ à Francorum Episcopis conclamatum est : *Nos Apostolicam Sedem, quæ caput est omnium Ecclesiarum, judicare non audemus, nam ab ipsa nos omnes judicamur : ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitùs mos fuit.* (a)

Secundò, in Concilio Florentino, ubi Episcopus Meldensis Regis Christianissimi & Gallorum nomine supremam potestatem in uno supposito consistere professus est, & qui eam in Concilio collocant, vesanos esse, ac Catholicam unitatem scindere. V. Raynaldum *ad annum MCDXLI. n. 10.*

Tertiò, in Concilio Lateranensi Fridericus Cardinalis S. Severini, Claudius electus Episcopus Massilienfis, & Ludovicus Dominus de Soteriis, Legati Regis Christianissimi, suo & regio nomine coram notariis & testibus, in litteris patentibus Christianissimi Regis manu subscriptis, ejusdemque sigillo munitis, purè, liberè, & simpliciter sacrosancto Concilio Lateranensi tanquam vero, unico, & legitimo adhærent; in quo Concilio *Sess. 10.* expressè definitum est, Papam esse supra Concilium generale. (b)

Cùm ergo in orbis totius conspectu toties, & tam sanctè supremam in Pontifice Romano potestatem Galli agnoverint, patique reverentiâ professi sint, eamque Conciliis prætulerint, nescimus planè, quænam sit illa Gallicana Ecclesia, antiquæ tam dissimilis, quam Conventus Parisiensis Pontifici opponit: Si enim eâdem est doctrinâ & fide cum antiqua, cur aliud docet, creditque? Si alia verò ab antiqua est, novam hanc doctrinam fidemque & pristinæ discolorem meritò suspectam habemus, cùm sit monitum Sapientis *Proverb. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.*

Notandum 4. Eugenium IV. Decreta Basileensis Concilii, quibus

(a) Vide Anastasium in Leon. III. Æmilium in Carolo M. Spond. ad annum DCCC.

(b) Videantur Acta Concilii Lateran. ult. Sess. 8.

bus auctoritatem Pontificiam Patres impetebant, contrariis Decretis sæpe oppugnâsse: nam & Archiepiscopos Colocensem, & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi Decretis concilium prohiberent, cujus egregia ad Patres oratio extat *in App. Concilii:* & per Jacobum Ebrodunensem acta Concilii rescidit, *ex ead. App.* Et fautores Concilii gravissimis pœnis affecit. *Act. Concil. sess. 9.* Et quidquid contra Pontificiam auctoritatem decreverant, nulla & irrita esse declaravit, quíque ea tuerentur, dignitatibus ejecit. *Act. Concil. sess. 16.* Et denique, ùt testatur Cardin. Turrecremata, qui Concilio assedit *l. 2. de Eccl. c. 100. Nunquam Eugenius adduci potuit, Concilio licèt omnia movente, ut ea confirmaret.* Illud verum est, Eugenium, cùm videret sisti amplùs torrentem non posse, & Principum accessu, qui ob varias privatásque rationes ab eo flectebant, potentiam synodi indies crescere, rémque ad schisma spectare; Concilium prorogâsse, illúdque declarâsse ritè inchoatum prolatúmque esse, revocatis, quæ in contrarium scripserat, quæque ignorantiâ aut mutatione causarum nulla esse pronuntiavit: quæ tamen omnia, utpote gravissimo metu schismatis & defectionis extorta, ipsóque Pontifice domique forisque armis & periculis obsesso, & vitæ ac libertatis incerto, nulla omnino fuêre; & quamvis jurata revocari poterant, tanquam notoriè extorta, & in Ecclesiæ gravissimum damnum spectantia: quid enim tam legibus & naturæ consentaneum, quàm rata non esse, quæ vis metúsque expressit, quæque in commune damnum redundant? Alio deinde ex capite promissis absolvebatur Eugenius, quòd videl. Basileenses contra pacta initámque concordiam, nihil non aggredi adversùs Majestatem Pontificiam ausi sunt, eámque solo æquare: ipsi Legatos ad Græcos mittere: ipsi alia, quàm Eugenius pactus erat, Græcis polliceri: ipsi Ecclesiæ Romanæ proventus intervertere: ipsi indulgentias largiri: ipsi Concilii translationem (nam Græci Basileam & Avenionem aversabantur) nolle: ipsi denique omnia; Pontifice ad suæ dignitatis ludibrium neglecto, umbrisque adscripto: cui unquam in mentem veniat, debuisse Pontificem, quæ promiserat observare, ipso Concilio datâ fidem, humanas divinásq; leges calcante. (a) Ad hæc Cardinalis Turrecremata *l. 2. c. 100. Andreas* inquit, *Venetus, Dominii Venetorũ tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales tunc apud Dominũ Eugenium præsentes, timentes futurũ magnum scandalũ in Ecclesia, minati sunt*

privato

(a) V. Apologeticum de hac re Eugenii libellum, & Raynaldum Anno MCDXXXVI. num. 2.

privato Domino Eugenio, quòd, nisi bullas illas adhæsionis concederet, ipsum solum recedentes relinquerent. Unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referantur, bullas illas taliter qualiter expediviſſe, & miſiſſe Basileam.

Notandum 5. Etiamsi Eugenius IV. metu impendentium malorum confirmasset, quæ contra dignitatem Papalem in Concilio decreta sunt, non propterea deduci posse, eum in fide errasse, cùm ea controversia, quæ tunc agitabatur, necdum fuerit definita: nam quæ posteà à Basileensibus sunt statuta, præsertim verò: *Hæreticum esse, qui negat Papam Concilio subjici*: certum est nunquam ab Eugenio fuisse confirmata, immo & ab ipso Eugenio, & à majore ac saniore parte Prælatorum positivè rejecta. Ipse Turrecremta, qui omnium, quæ in Concilio fiebant, spectator aderat, negat Pontificem ullâ ratione flecti potuisse, ut decretis Concilii subscriberet, quamvis declaraverit Concilium ritè inchoatum, continuatumque esse; aliud enim est Concilium esse legitimum, aliud omnia, quæ in illo statuuntur legitimè facta & statuta esse, ùt ex Concilio Chalcedonensi & Ephesino 2. patet: quemadmodum non omnia, quæ à legitimo Papa fiunt, continuò legitimè facta sunt.

Quod verò objici solet, Oratores Pontificis in ea decreta jurasse. Respondemus jurasse suo, non Pontificis nomine, ùt expressè habetur *in Append. hujus Conc. ad sess. 17. Tom. 5. Concilior. Venetæ edit. f. 649.*

Ex his ergo, quæ hucusque disputavimus, patet, cujus auctoritatis sint Decreta Basileensia; fatemur enim fuisse Synodum Basileensem legitime convocatam, inchoatamque: sed posteà ex gravissimis & publicis causis dissolutam, ejusque decreta, sæpe & graviter ab Eugenio Pontifice rescissa, damnataque: & quamvis hic posteà metu impendentium malorum, ac præsertim erumpentis schismatis, Basileense Concilium instauraverit, revocatis, quæ adversùs illud ediderat; hæc revocatio per dolum & subreptionem confecta est, insciо & decumbente Eugenio, ùt ex Turrecremata suprà notavimus: aut per metum expressa non potuit iis prævalere, quæ ante & post illam liberè ab Eugenio contra Concilium sancita sunt: nam ùt in simili causa scribit B. Athanasius *in epist. ad solitariam vitam agentes: Non est censenda ejus sententia, quàm minæ & terrores extorserant, sed ea, quam protulit, cùm liberos haberet affectus*: Aut denique

si humani aliquid Eugenius passus, minorique quam decuit Constantiâ Pontificiam dignitatem tutatus est, nihil propterea in fidem deliquit, cùm Decreta Basileensia, quantumvis temeraria & absurda, nihil tamen contra fidem statuerint: fueritque illius culpa aliquo modo illi similis, quam Petrus incurrit, qui Judæorum metu simulatione usus est: aut Liberius Papa, qui tædio exilii pœnarumque in damnationem Athanasii consensit, subscripsitque primæ formulæ Sirmiensi, in qua nihil quidem fidei adversum legebatur, sed tamen omissa fuerat vox *Homousii* & *Consubstantialis*, quam ùt fidei suæ tesseram, Catholici præferebant; hanc ob causam malè quidem Liberius ab omnibus audiit, non tamen hæreticum fuisse habemus ex historiis Sozomeni *l.4.c.14.* & Nicephori *l.9. c.37.*

Immo si Basileensis Concilii historiam bene consideres, validum ex ea argumentum conficitur, Papam Concilio superiorem esse: quamvis enim Patres obniterentur, cœlum terramque miscerent, Eugenium in jus vocarent, illique Pontificatum adimerent, alio in Romanam sedem imposito: Eugenius tamen Conventum Basileensem invitum licèt, dissolvit, illique aliud Oecumenicum Concilium Florentiæ opposuit, quod Ecclesia Græca Latinaque, ùt legitimum amplexa; & simul Basileense latrocinium, erectumque, ùt vocabant, Idolum abominata est: sicque communi velut totius Orbis suffragio decisum est, nullam esse Concilio in Pontificem auctoritatem: immo ab hoc tamquam superiore posse illud dissolvi: & quamprimum à Vicario Christi velut capite separatur, in cadaver evadere corrumpique, totamque Ecclesiam, schismate, discordiis malisque inficere.

§. XVII.

§. XVII.

Respondetur ad Textus Canonicos.

Summaria.

1. Bz. *Ad c. legimus 24. d. 93. & Glossam ibid.*
2. *Ad alia Capitula in decreto.*
3. *Ad c. II. Octavæ Synodi.*
4. *Ad c. sicut sancti d. 15.*
5. *Ad auctoritatem S. Antonini.*

I.

Bjicitur 9 c legimus 24. d. 93. qui exscriptus est ex Epistola Hieronymi *ad Evagrium Episc.* ubi: *Sed dicis: quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? quid mihi præfers unius Urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas? Si auctoritas quæritur, orbis major est Urbe.* Ergo ex sententia B. Hieron. Concilium universale, quod totum orbem Christianum repræsentat, majoris est auctoritatis, quàm Urbs, & Urbis Romanæ Episcopus: & ideò glossa in hunc locum: *Est hîc,* inquit, *argumentum, quòd statuta Concilii præjudicant statutis Papæ:* Et *in c. nemo 9. q. 3. Cum Papa peccat, potest ejus peccatum etiam Ecclesiæ denuntiari.* Et *in c. si Papa d. 40. Certè credo, quod si notorium est crimen Papæ, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis est, quòd inde possit accusari; nam contumacia dicitur hæresis c. si qui presbyteri d. 81. & contumax dicitur infidelis c. nullus d. 38.*

Bz. Hieronymum *in can. cit.* non de potestate Romani Pontificis agere, majorne illa, minorve Concilio sit, sed calamum in superbos Diaconos stringere, qui se Presbyteris æquabant; immo præferebant; cùm enim bonorum Ecclesiæ administratio illis commissa esset, & Romæ causis etiam præessent, teste B. Augustin. *in quæst. ex utroque mixtis q. 101,* fiebat, ut à populo lucrum, non dignitatem spe-

tem ſpectante, magis colerentur, ipſique ſupercilium attollerent? Horum faſtui & contentionibus, quæ propterea ferebantur, compeſcendis, jam dudum Concilium Nicænum *c.17.* & Carthaginenſe *6.c.18.* ſtatuerant, Diaconi Presbyteris, ùt dignitate, ſic honoribus cederent: immo conſuetudo Romanæ Eccleſiæ habuit, ut ſederet Presbyter ſtante Diacono, donec creſcente faſtu etiam Diaconi ſederent. Iſtorum ergo arrogantiam B. Hieronymus *epiſt. ad Evag.* confutat, docetque, non eſſe propterea Romanos Diaconos Presbyteris majores, quòd arrogantiam in conſuetudinem, vel potius abuſum vertiſſent; totius enim orbis, Presbyteros ante Diaconos venerantis conſuetudinem, abuſui & ſupercilio paucorum meritò præferri. En ſenſum & ſententiam Hieronymi, quæ ad rem noſtram nihil omnino pertinet. (a)

Ad gloſſam reſpondemus, eam methodo apud Juriſconſultos ſolemni in utramque partem argumenta & textus conferre: alioquin *in c. nemo 9. q 3:* expreſsè dicit: *Etiamſi totus mundus ſententiaret in aliquo negotio, erga Papam, videtur quod ſententiæ Papæ ſtandum eſſet,* ùt *in c. hæc eſt fides 24. q. 1.*

Aliud eſt Papam Concilio aut Collegio Cardinalium denuntiari, aliud judicari poſſe: denuntiationem ad effectum juſtæ & charitativæ reprehenſionis, ac ut media emendationi neceſſaria parentur, jam dudum Octava Oecumenica Synodus admiſit, nec nos negamus, & hoc ſolùm dicit Gloſſa *in c. ſi Papa.*

Ceterùm in iis, quæ ad fidem, & doctrinam Theologicam ſpectant, Gloſſam exilis eſſe auctoritatis ex eodem loco manifeſtum eſt, ubi quærens: *Pro quo peccato deponi Imperator poſſit?* Reſpondet: *Pro quolibet, ſi eſt incorrigibilis; unde deponitur, ſi eſt minus utilis.* Quæ Gloſſæ opinio erronea eſt, præcinitque diſcordiis & ſeditionibus claſſicum, repugnatque Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ *Matth. 23. & Petri 1.*

II. *Objicitur 10. c. conſidimus 25. q. 1. c. contra. c. prima ſalus c. ideò, eâdem causâ & q.* Ubi dicitur S. Pontificem ſacris canonibus, & Univerſalium ſynodorum Decretis alligari, *& ea nullam magis exequi Sedem, quàm primam oportere:* Concilium ergo eſt ſupra Papam, cui leges,

(a) V. S. Auguſt. quæſt. ex utroq; mixt. q. 101. S. Hieron. epiſt. 85. ad Evag. S. Gregor. M. l. 2. ep. 14. & ſeqq. Baron. ad annum CDII. n. 44.

leges, parendique neceſſitatem imponit: hæc enim eſt ſubjectionis argumentum.

R. Aliqua eſſe à ſacris Canonibus & Conciliis ſtatuta, quæ ad Jus divinum & naturale pertinent, quæ Romanum Pontificem utique obligant, & de his præſertim ſermo eſt in præcitatis Canonibus, ùt patet ex *c. ſunt quidam 25. c. 1. omne. & c. ſatagendum. eodem.* Quæ vero ſunt Juris tantùm humani, ea aut ex honeſtate obligant Pontificem, non neceſſitate *L. ex imperfecto ff. de Legat. 3 & L. digna vox. C. de Legibus.* aut quoad vim directivam, non coactivam. V. S. Th. *1. 2. q 96. a. 5. ad 3.* more ſuo eleganter differentem; cùm enim Principis exemplum in omnem partem valeat, fieri vix poteſt, ab aliis legem obſervari, quam Princeps ludibrio habet, infringitq; Aut denique dicendum eſt Papam non poſſe temere, paſſim & abſque legitima cauſa Canones ſolvere, in iiſque diſpenſare: id enim quid aliud eſſet, quàm poteſtate ſuâ ad deſtructionem Eccleſiæ, non ædificationem abuti? Quod ſi velis crudè & abſque aceto præcitatos Canones intelligi, oportebit dicere, & concedere, quæ nullus dixit hactenus, conceſſitque, Pontificem videlicet non ſtatutis tantùm Generalium Synodorum, ſed etiam particularium, ſanctorumq; omnium Patrum ſubjacere; de his enim omnibus ii Canones loquuntur.

Sed lubet Gratianum ipſum audire de hoc argumento differentem, & Canones interpretantem. *His*, inquit, *ita reſpondetur. Sacroſancta Romana Eccleſia jus, & auctoritatem Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones: utpote quæ caput eſt, & cardo omnium Eccleſiarum: à cujus regula nemini diſſentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præſtat, ut ſe ipſam non ſubjiciat eis. Sed ſicut Chriſtus, qui legem dedit, ipſam legem carnaliter implevit, octavâ die circumciſus, quadrageſimo die in templo cum hoſtiis præſentatus, ut in ſe ipſo eam ſanctificaret; poſtea verò, ut ſe Dominum legis oſtenderet, contra legis litteram leproſum tangendo mundavit; Apoſtolos quoque contra litteram Sabbathi per ſata prætergredientes, ſpicas vellentes, & confricantes manibus ſuis, probabili exemplo David, & Circumciſionis, & templi excuſavit dicens: Non legiſtis, quid fecerit Abimelech, quando venit ad eum David, & dedit ei panes Propoſitionis, de quibus non licebat edere, niſi ſolis Sacerdotibus, & comedit ipſe, & pueri ejus?* Item, *Octavâ die ſecundùm legem puer circumciditur:*

& vos in sabbatho circumciditis hominem? Item, *Cùm juge holocaustum ex lege offeratur, cùm masculus quadragesimâ, fœmina verò octuagesimâ die ab ortu suæ navitatis secundùm legis imperium cum hostiis in templum præsentaretur; unde Sacerdotes offerentes hostias in templo, litteram Sabbathi solvunt, & sine crimine sunt: tunc filius hominis multò magis valet solvere litteram legis, qui est etiam Dominus Sabbathi. Hinc etiam de eo: Erat Jesus docens, tanquam potestatem habens, id est, tanquam legis Dominus, addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem, umbram figuralium in lucem spiritualis intelligentiæ commutans, non tanquam scribæ eorum, qui litteræ legis adstricti non audebant aliquid addere, vel commutare. Sic & summæ sedis Pontifices canonibus sive à se sive ab aliis suâ auctoritate conditis reverentiam exhibent: & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Nonnunquam verò seu jubendo seu definiendo, seu aliter agendo, se Decretorum Dominos, & conditores esse ostendunt. In præmissis ergo capitulis, aliis imponitur necessitas obsequendi: summis verò Pontificibus ostenditur inesse auctoritas observandi: ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrent; exemplo Christi, qui Sacramenta, quæ Ecclesiæ servanda mandavit, primò in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret. Oportet ergo primam sedem, ut diximus, observare ea, quæ decernendo mandavit, non necessitate obsequendi, sed auctoritate impertiendi. Licèt itaque sibi contra generalia decreta specialia privilegia indulgere, & speciali privilegio concedere, quod generali prohibetur decreto. Quanquam, si decretorum intentionem diligenter advertamus, nequaquam contra sanctorum Canonum auctoritatem aliquid concedere invenietur. Sacri siquidem Canones ita aliquid constituunt, ut interpretationis auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ reservent. Ipsi namque soli canones valent interpretari, qui jus condendi eos habent. Unde in nonnullis capitulis Conciliorum, cùm aliquid observandum decernitur statim subinfertur: Nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperaverit, vel, salvo tamen in omnibus jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel, salvâ tamen in omnibus Apostolicâ auctoritate.*

III. *Objicitur 11. c. 21. Octavæ Synodi Oecumenicæ*, ubi dicitur: *Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana sede exortam audire tenetur, & in ea proficere; non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere*: ergo si non audacter, sed cum debita reverentia Concilium universale procedat, poterit in

rit in Romanum Pontificem sententiam proferre; non enim absolutè prohibetur judicari; sed temerè & audacter.

Rz. Si modus tantùm judicandi, non ipsum judicium prohiberetur, nihil hîc speciale circa Pontificem Synodus disponeret, quod maximè tamen intendebat: cùm audax & temerarium judicium in omnium causis prohibeatur: & quoad hoc non est discrimen inter examen aut delationem, & judicium temerarium; cùm utrumque prohibeatur, & tamen Synodus citata discrimen facit, admitti què posse quidem Concilium universale cognoscere de controversiis, notoriis delictis, & abusibus quæ in summo Pontifice notantur; non tamen judicium ferre: hoc enim temerarium & audax fore. Si enim de notoriis Papæ delictis, abusibus sacræ potestatis, cognitio & judicium Synodo permitteretur, cur canon citatus inter cognitionem & sententiam distingueret, & hanc Concilio negaret, illam permitteret? Permittitur ergo universali Concilio, ut quæ Pontifici objectantur, cognoscat quidem examinetque, non tamen quoad effectum judicandi, sed tantùm admonendi, reprehendēdi, omnique honestâ ac permissâ ratione emendationē procurandi, immo etiam Pontifici, si Ecclesiam vastet usurpetque aliena, resistendi, ùt eleganter scribit B. Gregorius *l. 7. ep. 1. ind 2 ad Januarium*, & habetur *in c. Paulus 2. q. 7. Paulus dicit: Seniorem ne increpaveris: sed hæc ejus regula in eo servanda est, cùm culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districtâ interpretatione feriendus est. Nam scriptum est: Laqueus juvenum omnes vos. Et rursus Propheta dicit: Maledictus puer centum annorum.*

IV. *Objicitur 12. c. sicut sancti d. 15.* Ubi Gregorius M. dicit: *Ne quidem à S. Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligârunt; aut ligare, quos illa solverunt.*

Rz. Sermonem esse de hæreticis, quos ea Concilia damnârunt: nec enim in potestate S. Pontificis est efficere, ut sit hæresis, quod non est; aut sit vera fides, quæ vera non est. Quod si velis sermonem esse de jure merè humano: etiam ista mutari à S. Pontifice sine gravi & publica causa non possunt, dicimur enim ea non posse, quæ honestè licetéque fieri nequeunt.

V. *Objicitur 13.* S. Antoninus, qui *q. 3. p. T. 23. c. 2. §. 6. In iis quæ ad fidem pertinent, majorem esse* scribit *auctoritatem Concilii, quàm S. Pontificis*: & infrà. *In iis, quæ universalis Ecclesiæ statum concernunt, non posse Papam contra Concilium aliquid statuere.*

Rz. S. Ant.

℟. S. Antoninum nihil aliud velle, quàm semel à Conciliis in materia fidei statuta, mutari à Pontifice amplius non posse, quod verissimum est: sicut enim in potestate Pontificis non est facere, ut triangulus non sit triangulus: aut quod verum est, non sit verum: multò minùs, ut quòd revelatum à Deo est & consequenter credendum, non sit revelatum nec credendum: immo si Papa, quæ sunt fidei everteret, jam hæreticus esset, & ùt suprà diximus, Concilio subjectus. Rursus in ipsis fidei Decretis condendis, si Papa toti Concilio repugnaret, suæque contra omnes opinioni inhæreret, nec veritatem edoctus acquiesceret, hoc ipso hæreticus præsumendus esset, nec illius sententia prævaleret, quia privatum Doctorem ageret, hoc est, privatis tantum rationibus duceretur.

Rursus non potest Papa ea Conciliorum statuta abolere, quæ ad totius Ecclesiæ pacem, & decorum constituta sunt, hoc enim esset abuti potestate, quam ad ædificandum accepit, non destruendum. In his casibus negat S. Antoninus, & nos cum ipso, Papam Concilio adversari posse, quod tamen non ex eo provenit, quòd Papa non sit supra Concilium; sed quod non sit supra Deum, supra fidem, supra rectam rationem. (a)

§. XVIII.

Respondetur ad exempla Pontificum, qui à Conciliis videntur judicati, damnatiq; fuisse,

Summar. unicum.

℟. *Ad exempla variorum Pontificum, quos Imperatores aut Concilia judicârunt.*

Objicitur 14. Multi Pontifices fuerunt judicati punitiq; à Conciliis, imo etiam Imperatoribus. Marcellinum judicavit Synodus Sinvessana, quòd Idolo thus incendisset: Constantius Liberium, Justinianus Sylverium proscri-

(a) V. Gelas. Pap. in ep. ad Episc. Lucan. 1. c. 2. & habetur c. Et si causa 1. q. 7.

proscripsit. Otto I. in Concilio Romano Joannem XII. expulit, suffecto Leone VIII. Henricus III. Gregorium VI. deposuit, & Clementem II. ordinari in Concilio Episcoporum jussit, teste Leone Ostiensi *l. 2. Chron. Cass. c. 80.*

R. Hæc exempla qui objiciunt, manifestè produnt, quàm malam, miseramque causam susceperint defendendam, cui sustinendæ argumentis æquè miseris utuntur, & toties damnatis: eâdem enim ratione possent & exemplo Davidis adulteria, & Neronis tyrannidem commendare. Sed ad singula veniendum.

Marcellini causam Sinvessani Patres cognoverunt, & examinârunt quidem, meritoque, cùm idolis adolevisset; nec tamen condemnare ausi sunt, ùt patet ex actis illius Concilii. *Tom. 1 Concil.*

Constantius Imperator Arianus eo jure Liberium in Beroëam Thraciæ relegavit, quo Nero Martyres persecutus est. Vicit Liberium biennii exilium, & in Athanasii condemnationem consensit, quæ causa fuit, ut hæresis suspectum nollent Catholici admittere, sed Felici III. adhærent, multique propterea à Præfectis Constantii Martyrio sunt affecti. *V. Hieron. in Chron.*

Sylverium per vim metúmque, acceptâque insuper pecuniâ Theodorus Gottorum Rex solio Pontificali imposuit: sed postmodùm ejus electioni Cletus subscripsit teste Anastasio *in vita Sylverii.* Hunc cùm Theodora Augusta permovere non posset, ut Anthymum hæresis Eutychianæ damnatum restitueret, per Belisarium in exilium egit, & Vigilium, à quo ingentem auri summam acceperat, & majora promissa, Pontificem jussit. Exilio Sylverii ea causa prætexta, quòd contra Imperatorem cum Gottis colluderet: fictæque litteræ Sylverii Pontificis nomine, quæ colorem calumniæ adderent. Exhorruit posteà Belisarius impium facinus, illique expiando Romæ templum posuit, sceleris juxtà, & pœnitentiæ monumentum. (a)

Joannis XII. expulsio sic habuit: Joannes Alberici potentissimi Romanorum Patritii filius, in principatum urbis defuncto Patre successit: & paullo pòst duodeviginti annos natus, mortuo

(a) V. Anastas. in Sylver. & Liberat. in Breviar. c. 22. Baron. ad annum DXXXVIII.

Agapeto in Papatum irrupit, metu, potentiâ, opibus nixus, & quem schismatis & pejorum metu, toleravit potius Ecclesia Pontificem quàm fecit. Hic Berengarii tyrannidem non ferens, Ottonem per Legatos in Italiam vocavit; adfuit cum exercitu Otto fusoque Adalberto Berengarii filio Italiâ potitus, & à Joanne unctus est Imperator: fides mutuò data & accepta, ac juramento adstricta. Vix Româ excesserat Otto, & Joannes pactorum negligens se Adalberto jungit, causatus suis hostibus Ottonem favere, & quæ ad Romanam Ecclesiam pertinerent, usurpare. Imperator binâ legatione Pontificis animum placare conatus est, sed cùm flecti non posset, Romam armatus intrat, Pontificem in fugam vertit, Clerum Populumque Romanum juramento adstringit, nunquam sine Imperatoris assensu Pontificem electuros: & denique coactâ Italiæ & aliquot Germaniæ Episcoporum Synodo, præter Clerum Romanum, Joannem Pontificem sacrilegii, incæstûs, Simoniæ aliorumque criminum turpissimè reum vocari curat, nec comparentem, Papatu exuit, & ex Concilii sententia Leonem subrogat, Octavum posteà dictum. (a)

Joannes paullo post extinctus est, quem Luitprandus in adulterio à dæmone occisum scribit. Circa hanc Joannis XII. depositionem observandum est, malè aliquos hujus exemplo uti, ut probent Papam criminosum à Concilio Universali deponi posse: nimis enim hoc argumentum probat; cùm enim Concilium à quo Joannes exauctoratus est, particulare, & ex Episcopis Italiæ præter pauciissimos Germaniæ conflatum fuerit; sequeretur contra omnium sententiam, etiam Synodum particularem, cui ne quidem Episcopi abdicandi potestas est, supra Pontificem Romanum esse: Deinde quidquid in prima illa Synodo Romana contra Joannem statutum est, alia Synodus æque Romana damnavit, in qua conclamatum à Patribus est, primam illam fuisse prostibulum favens adultero, invasori scilicet alienæ sponsæ, nempe Leoni intruso. Et Joanne posteà extincto, Cleri Romani & Cardinalium voto Benedictus V. Papa renuntiatus est, nec prius à Romanis desertus, quàm armis Ottonis Augusti Româ iterum captâ: refertque Dietmarus Episcopus Merseburgius *l. 2. Chronici.* ob injurias Benedicto

(a) Vide Luitpr. c. 8. l. 6.

dicto illatas Ottonis exercitum peste gravissimâ conflictatum, qua magna illius pars consumpta est. Idem Dietmarus, qui tempore Ottonis scribebat, de eodem Benedicto hæc scribit: *Romanorum præpotens Imperator Otto secundus, valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum Benedictum, quem nullus absque Deo judicare potuit, injustè, ùt spero accusatum, & quod utinam non feciſſet, exilio in Hamaburg relegari præcepit.* Sed hæc omnia sint nulla: fueritque Joannes XII. in Synodo Romana legitimè judicatus damnatusq;, nihil illius exemplo convincitur, Joannem enim fuisse metu, & largitionibus intrusum, & ab Ecclesia toleratum non electum, jam supra diximus; nulla est verò consequentia à Pontifice intruso ad Pontificem legitimè electum: intrusio enim inficit electionem, redditque nullam: de quo *vide §. 14.*

Cùm ergo depositio Joannis XII. ex tot capitibus evadat ad minimum dubia, nihil facit ad Concilii superioritatem probandam; cùm principium dubium non sit idoneum medium veritatis demonstrandæ: priùs ergo certi aliquid in medium afferant, tum à nobis assensum petant; neque enim tam mali rerum æstimatores sumus, ut rebus dubiis fidem addicamus nos, tot ex sacris litteris, Concilis, sanctisque Patribus ex adverso instructi, edoctiq;. Otto Frisinganus *l. 6. c. 23.* de hac ipsa Joannis depositione sic loquitur: *Quæ omnia utrùm licitè, an secus acta sint, dicere præsentis non est operis; res enim gestas scribere, non item reram gestarum reddere rationem proposuimus.*

Ad Gregorium VI. *respondemus,* aut non fuisse illum Pontificem legitimum; tres enim eo tempore sibi Pontificatum vindicabant, & unus in Vaticano, alter ad S. Mariam, tertius in Palatio Lateranensi sedebant: aut quod verius est, legitimus quidem Pontifex Gregorius fuit, sed cùm videret armatum ex una parte Henricum Regem, eumque implacabilem: ex altera verò imminens Ecclesiæ schisma, sponte Papatu abiit. (a)

Ergo ut hunc §. concludamus: exempla hactenus allegata, cùm sint de Pontificibus aut intrusis, aut dubiis, aut sponte cedentibus, aut per tyrannidem ejectis, nihil probant; nec enim quid vi aut per injuriam factum sit quærimus, sed quid Jure, & ex legum præscripto fieri possit debeatque.

(a) V. Platinam in vita, & Otton. Frisingens. in Chron. l. 6. c. 32.

§. XIX.

Respondetur ad alias rationes, quæ Pontificibus opponuntur.

Summaria.

1. *Melius Ecclesiæ consultum esse, summâ potestate in Pontifice potius, quàm Conciliis collocatâ.*
2. *Pontificem non Ecclesiæ, sed Christi Vicarium & Ministrum esse, non ergo Concilio, aut Ecclesiâ inferiorem.*
3. *Ecclesiam à Papa, hoc est, Capite separatam errare posse.*
4. *Papam membrum Ecclesiæ esse, potestatem verò ipsam Papalem non ex parte tantum, sed plenariè Pontificis esse.*
5. *Ex Matth. 18. absurdè deduci Papam judicio Concilii subjacere.*
6. *An in Ecclesia ùt distincta à Pontifice, reperire sit supremam & Papalem auctoritatem?*
7. *Quid de Pontifice mortuo, deportato, amente? &c.*
8. *Quid de Papa hæretico?*
9. *Ex jure defensionis, quo contra Pontificem Ecclesia gaudet, malè deduci jus majoritatis & jurisdictionis.*
10. *Non tamen frustra esse Concilia, quia Pontifici subsunt.*
11. *An expediat curando corpori caput truncare?*

I.

Objicitur 15. Deus Ecclesiæ suæ optimè providit, multoque meliùs, quam Synagogæ, cui dicitur: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Isa. 5.* Sed Ecclesiæ pessimè consultum foret, si omni remedio careret, quo Pontificem

ficem Ecclesiæ inutilem, immo noxium, vitaque & moribus omnia corrumpentem, qualis Joannes XII. fuit, amovere non posset: sicut enim corruptio optimi est pessima: ita corruptus & malus Pontifex est pessimum Ecclesiæ malum: quis autem credat Deum pessimo malo, nullum remedium, quo sanaretur, opposuisse? nec verò remedium ullum est, si Pontifex malus & incorrigibilis judicari potest à nemine: quemadmodum nec ægroto ullum remedium est, si nulli medico subdatur, qui corruptum infectumque membrum ferro secet. Aut verò Deus Ecclesiam necessariis remediis in pessimo morbo destituit, aut Pontificem malum, & corrigi nolentem alicui medico subdidit; cui verò si non Concilio universali?

R. Ad ipsam Dei providentiam, & maximum Ecclesiæ bonum pertinere, quòd summam Potestatem in Pontifice, non Concilio collocaverit, & hoc illi subjectum voluerit: si enim optimè consultum est navi, quæ unius imperio ducitur: exercitui, qui unico paret, non pluribus: corpori, cujus summa & tota facultas gubernandi regendique in capite non membris est: quis propterea Ecclesiam dicat minùs providè instructam, quòd illi unum caput Deus, unùmque Ducem præfecerit, illique summam rerum, non multitudini crediderit; immo malè Deus Ecclesiæ providisset, Pontifice Conciliis subjecto, & frænis non aurigæ, sed equo commissis. Magnum malum fatemur Princeps malus, sed pejus, multitudo dominans. Nec enim tantum periculi est ex malo Pontifice, quantum ex schismate, & discordiis: hæ siquidem malos juxta bonosque involvunt, aut ignorantiâ videlicet, aut indiscretâ pietate: sunt diuturnæ: tollunt pacem mutuamque charitatem, hoc est, animam Reipubl. impunitatem flagitiis & licentiam tribuunt, & tandem in hæreses desinunt. Hæc omnia ex discordiis; nec discordiæ umquam defuturæ, summâ rerum in Concilium collatâ. Legantur Acta Conciliorum & Basileensis præsertim; quid non illic mali, ambitionis, discordiarum, scandali, latrocinii denique reperias secessione semel à Pontifice factâ, usurpatâque in hunc potestate? Et docuit exemplum Eugenii IV. nullum fore tam innocentem sanctumque Pontificem, & tanto fastigio parem, cui non timendum sit à Concilio naufragium, semel hoc ad clavum sedente, ut me-

ritò B. Gregorius Nazianzenus *epist. 55. ad Procopium* scripserit: *Numquam sine periculo ac offensione sacerdotum haberi conventus.* Quod verissimum est, ubi non uni parent, à quo ducantur; ubi enim plures sunt mentes ac plura corda, ibi semper aliqua inest opinionum & affectuum discordia: hæc contentionem parit, & contentio seu pugna ùt in corporis, sic animi temperamento corruptionis origo est. Patet ergo Ecclesiam optimè à Deo curatam esse, cùm unum qui regeret, non plures præfecit. Nec propterea vitia Pontificum sine remedio sunt: rogari enim, monerique potest, nec à Concilio tantùm, sed etiam à Principibus Christianis: & hoc præsertim tempore, quo tanta honoris & decoris ratio in aulis habetur, ut vix aliquem Pontificem futurum credamus, tam pudoris expertem, qui hoc, quo diximus, modo, aut non correcturus sit vitia, aut saltem ne oculos feriant velaturus; & quod monuit Politicus: *Semotis saltem arbitris, turpis futurus.* Quod si Ecclesiam invadat, aut aliena usurpet; resisti illi potest, & quævis honesta defensio opponi. Hæc si non prosint: Oratio adhibenda, quæ inter media à Deo præparata, efficacissimum est, & si ritè fiat, non potest non exaudiri, juxta illud Joann. 14. *Quodcumque petieritis Patrem meum in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio.* Et pulchrè docet S. Th. 3. *contra Gent. c. 95 & 96.* Nec propterea dicendum est, Ecclesiam absque remedio esse, quia remedium à solo Deo exspectat: immo tanto fortius est remedium, quanto propinquius & immediatius à Deo est, & ordini ab ejus providentia statuto accommodatius: est vero divinæ Providentiæ ordo, ut quæ in aliquo genere suprema sunt, nullis inferiorum subdantur: in corpore humano quia cor est primum mobile, à se ipso, non alio vibratur: Sol in genere lucidorum est primum lucens, & ideò omnia illuminat, ipsum à nullo alio, præter Deum illuminatur: Principia demonstrationum, sunt prima in genere intelligibilium, & ideò per alia principia non demonstrantur: Linea in genere rectorum est prima figura, & ideò judex & regula omnis obliqui, ipsa verò ab alia non rectificatur: Denique primum mobile est mensura motûs, & temporis, & ideò tempori non subjacet: nec propterea timendum est, ne ista juxta terminos à Deo impositos præfixosque deficiant, quia immediatè à Deo gubernantur. Cùm ergo ex Dei institutione Papa sit fundamentum,

tum, Pastor caputque, hoc est, primum movens, & gubernans in Christi Ecclesia, Ecclesiæ non subjacet, sed Deo soli; nec propterea timendum est, ut in fide & doctrina deficiat; & Ecclesiam absque; remedio relinquat, cui Deus hunc ordinem imposuit, & cui, ne pereat, curæ est, reservato sibi tamen Vicarii sui judicio, juxta illud *Ezech. 34. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciã eos, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam.*

II. *Objicitur 16.* Papa est Minister Ecclesiæ *1. ad Corint. 4.* & *Matth. 20.* & ideò S. Thom. *2. 2. q. 100. 1. expr.* docet *Papam non esse Dominum, sed Dispensatorem rerum Ecclesiæ.* Nec Ecclesia est propter Papam, sed Papa propter Ecclesiam, ad cujus ædificationem, non destructionem claves & potestatem accepit. *2. ad Corinth 13.* Si Papa est Minister & Dispensator Ecclesiæ, ergo est infra Ecclesiam & infra Concilium, quòd illam repræsentat.

R. Papam esse Ministrum ac Vicarium Christi, & etiam Ministrum Ecclesiæ. Ministrum Christi, quia hujus Vicarius, & ab hoc potestatem in Ecclesiam accepit, & administrationem bonorum ipsius Christi, & ideò *1. ad Corinth. 4.* Apostolus dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Est etiam Minister Ecclesiæ, quia in hujus bonum & ædificationem Christus Papatum instituit: sed hoc ministerii genus non infert subjectionem, & inferioritatem: nam & Angeli dicuntur missi in ministerium propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis *ad Hebr. 1.* nec tamen Angelus infra hominem est, sed infra Deum, cujus propriè ministrum agit. Immo hoc ipsum bonum, pax & unitas Ecclesiæ, ad quam ordinatur Papatus, exigit, ut Ecclesia sit infra, non supra Papam; quemadmodùm & Dux est propter exercitum, & Gubernator est propter navigantes; non tamen in exercitu ducendo, regendaque navi, aut nauta navigantibus subjacet, aut Dux exercitui; quia hoc ipsum in malum potiùs & militibus & navigantibus cederet. Licet ergo Deus plus Ecclesiam dilexerit, quàm solum Papam, voluit tamen eam Papæ subjectam, quia magis illi expedit uni, quàm pluribus subesse; & obedire, quàm imperare: quando ergo ipsa subjectio est majus bonum, quàm non subjectio, non valet consequen-

quentia ; Papa est propter Ecclesiam; ergo Ecclesia non Papæ est subjecta, sed Papa Ecclesiæ, quemadmodum non sequitur, pater magis diligit filium quàm tutorem; & tutor est propter filium; ergo filius non est tutori subjectus, nec minoris auctoritatis, quàm tutor: immo quia pater magis filium dilexit , quàm tutorem, oportuit majorem huic, quàm illi auctoritatem dare, cùm melius sit filio subesse, quàm non subesse.

Et denique cùm dicitur, Papam esse propter Ecclesiam: & Ecclesiam plus à Deo, quàm solùm Papam diligi ; verùm non est de Ecclesia à capite suo separata, illique opposita, nec obtemperare volente, quale Concilium Basileense : talis enim Ecclesia Vicario Christi non subjecta, & in eum insurgens, cùm alienam Potestatem sibi usurpet, dissolvatque ordinem a Deo institutum, & in schisma deflectat, non potest Deo placere, cui confusio, schisma, & ambitio nunquam placuerunt, nec placere possunt.

III. *Objicitur* 17. Ecclesia errare & deficere non potest, cùm ipsa sit columna & firmamentum veritatis *1. ad Timoth. 3.* Papa verò & errare & deficere potest, immo in hæresin incidere *c. si Papa d. 40.* ergo judicium Ecclesiæ firmius certiusque est, consequenter prævalet judicio Papæ.

R. Si Ecclesiam à Pontifice separatam, nec ab illa directam consideres, eam omnino errare posse, ùt patuit in Conciliis Ephesino 2. & Basileensi, & nos suprà docuimus ; sicut enim corpus capite minutum, aut aliàs à capite non directum, impingit, caditque: sic Ecclesia & Concilium, auctoritate , & gubernatione Pontificis destitutum. In ipsum Pontificem, ùt privata quædam Persona, error quidem personalis cadere potest, & in illum facilius, quàm in Concilium; proniùs enim est unum, quàm plures decipi: sed non si Papa ex auctoritate Pontificia sibi à Christo communicata, & ex cathedra sententiam ferat, & in fide aliquid definiat : tunc enim non ipse, sed Spiritus sanctus per illum loquitur, teste Christo Domino *Marci 13. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus S. qui loquitur in vobis.* Cùm ergo ad Pontificem spectet, quæ sunt fidei determinare, illique Ecclesia obedire teneatur, ùt docet sanctus Thomas *2.2. q 1. a. ult. & contra errores Græcor. c. 37. & habetur in c. quoties 24 q. 1.* Error Pontificis totius Ecclesiæ, hoc est, capitis & membro-

membrorum error esset, cùm tamen certum sit, Ecclesiam in rebus fidei erroris expertem esse. Et de hoc plura in sequenti Propositione. Sed demus Pontificem errare posse in materia fidei; adhuc non sequitur esse Concilium supra Papam. Nam vel error in fide est vincibilis, & tunc Pontifex vincibiliter errans hæreticus est, in quo casu concedimus Concilio subesse: Vel error invincibilis est, & tunc Pontifex veritatem à Concilio docendus est, ùt habetur *in c. Paulus 2 q. 7.* Cui nisi acquiescat, error invincibilis evadit, & hæreticalis.

IV. *Objicitur 18.* Omne totum est majus suâ parte; sed Papa est pars & membrum Ecclesiæ, & hæc est totum corpus mysticum; huic ergo Papa subjacebit.

℟. Ecclesiam ùt à Papa distinctam, & huic oppositam non esse integrum corpus, sed truncum & acephalum. Et quamvis Papa ùt homo Christianus sit membrum Ecclesiæ præcipuum, & maximæ dignitatis: ipsa tamen auctoritas, jurisdictio, & potestas Papalis non est pars aliqua, sed tota, & plena, & retundans jurisdictio, cui omnem Ecclesiam (cujus jurisdictio est pars tantum aliqua & delibatio Pontificiæ potestatis) Christus subjecit; quemadmodùm in corpore humano, licèt caput sit membrum corporis, ipse tamen influxus directivus & gubernativus, qui per sensus, intellectum, voluntatem & diffusionem spirituum animalium exercetur, non est particulariter, sed totaliter in capite, à quo velut fonte in reliquum corpus derivatur. Sic omnino plenitudo Ecclesiasticæ potestatis in Papa à Christo collocata est, & per Papam in Episcopos deducitur, ùt habetur *in c. sacrosancta d 22. c. omnes d. ead. c. qui se scit 2. q. 6. c. decreto 6. q. 6. Et Basileenses in epist. Synodali ad* Eugenium IV. *Vid. de hoc argumento prolixè differentem Salmer. Tomo 12. à Tract 64.*

V. *Objicitur 19.* Ecclesia ex Christi ordinatione constituta est judex Papæ, per illa verba Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Aut ergo Papa frater non est, nec eundem cum reliquis Christianis Patrem Deum habet, eandemque Matrem Ecclesiam: aut si frater est, ab Ecclesia judicari potest, & si Ecclesiam non audit, Ethnici & Publicani instar habendus.

R. Ad hunc Matthæi locum jam supra respondimus, eumque explicavimus: sed quia in hoc textu velut arce tutissima opinionis suæ spem omnem Adversarii statuunt, aliquid adhuc dicemus, ut pateat, quàm infirmum sit hoc illorum præsidium.

Aut ergo volunt Adversarii hunc Matthæi locum de fratre Ecclesiæ subjecto intelligendum esse, aut de fratre etiam non subjecto, qualem non dicimus Pontificem esse? Si de fratre non subjecto: hoc absurdum est, & impossibile, cùm non subjectus deferri & puniri à judice non possit, quem non habet. Si de fratre subjecto: oportet priùs demonstrent Papam Ecclesiæ subjectum esse, quàm posse ab ea puniri: aut si hoc supponunt, supponunt planè, quod probandum erat. Quæ ergo est hæc demonstrandi ratio, supponere quod probandum est, & idem per idem, hoc est, ensem per gladium, & nigrum per atrum explicare? est equidem frater Christianorum, sed etiam Princeps Ecclesiæ, de quo Christus non loquitur. Deinde mille sunt scripturæ textus, qui in sensu accommodo & possibili sunt intelligendi; sicut etiam in hoc ipso Matthæi loco; non omne peccatum (v.g. occultum, quodque probari non potest) deferendum est Judici, & per testes probandum: sicut ergo non omne peccatum deferri debet, sed illa, quæ possunt probari, & à judice puniri; ita nec omnis persona deferenda est, sed quæ judicem habet, plectique potest: & si tu omnem Christianum judicem habere, punirique posse, etiam Papam, supponas: hoc priùs probandum est, & tum denique locus Matthæi applicandus. Denique cùm Papam ab Ecclesia judicandum puniendumque esse dicis, quam tu Ecclesiam intelligis? Papæ conjunctam, aut ab hoc separatam? si conjunctam: ergo non probas ex hoc Matthæi loco Concilium, ut à Papa distinctum, esse Papa superiorem: si verò à Papa separatam intelligis: negamus Ecclesiam aut Concilium universale dici posse, cui pars optima & maxima, hoc est, caput abest, quemadmodum nec integram domum dixeris, quæ fundamento, nec integrum exercitum, qui Duce caret. Vides ergo quot morbis argumentum laboret, quod putabas insuperabile?

VI. *Objicitur* 2o. Potestas Papalis non tantùm est in solo Romano Pontifice: sed multò principalius in tota Ecclesia, & Concilio Ecclesiam repræsentante: si enim Ecclesia Papalem auctoritatem

tem non habet, cur eligit Papam; cur eo defuncto omnia, quæ Pontificis sunt, præstat? Fac perpetuo carcere aut amentiâ Pontificem teneri, cujus erit de rebus fidei infallibilem, & expertem erroris sententiam ferre?

℟. Hoc argumentum probari Concilium non esse supra Papam, sed paris ejusdemque potestatis, & consequenter, nihil in Pontificem posse, cùm par in parem potestatem non habeat. Deinde si hanc potestatem Papalem Concilium habet, à quo habet? à se, an à Christo? Non à se; quia est supernaturalis, quæ non habetur, si non datur: Non à Christo; quia numquam & nullibi legimus in sacris Paginis Ecclesiæ aut Concilio dictum: *Tibi dabo claves Regni cœlorum: Super te ædificabo Ecclesiam meam: Pasce oves meas. &c.* Quid autem turpius, minusq; consentaneum rationi, quàm dicere Christum potestatem tantam, tam magnam Concilio dedisse, nec tamen posse ostendere quando, ubi, quibusve verbis? Si Provinciam tibi à Cæsare donatam diceres, nec tabulas aut testes donationis proferres, quis tibi fidem commodaret? & tamen hoc Adversarii faciunt, dum Regnum Cœlorum Conciliis commissum esse à Christo dicunt, nec tamen toties interpellati tabulas & chirographum Commissionis ostendunt: aut ergo nimis simplices illi, qui fidem nihil probantibus præstant, aut nimis ipsi præfidentes, qui fidem petunt nunquam promeritam conductamque. Si totum jus & fastigium Papale in solo Concilio est, ergo in Ecclesia duæ supremæque erunt potestates, hoc est, in uno Regno duo, parique potentiâ Reges: in uno Cœlo duo soles: in uno corpore duæ animæ, duo capita: hoc est, monstrum Regiminis, & à quo semper bene instituta Respublica abhorruit. Et si Concilio par est Pontificia auctoritas, cur ergo Papali eget confirmatione; & ideò eget, ut sine ista Concilium sit planè nullum, per apertissimos textus à nobis suprà citatos: superflua planè hæc esset confirmatio, si totum jus Papale in Concilio reperiretur: nec enim à pari confirmatio petitur. Ex quo etiam confutantur, qui dicunt: supremam potestatem in Papa non principaliter esse, sed tanquam in ministro Ecclesiæ & Concilii; & ita, quod est absurdissimum, petere Concilium à ministro confirmationem. Nec verum esset, quod in Concilio Constantiensi definitum est *Sess. 8. Papam esse immediatum*

Vicarium Chriſti : eſſet enim potiùs Vicarius Concilii, & Eccleſiæ.

Nec bene colligitur eſſe in Concilio aut Eccleſia poteſtas Papalis, quia Eccleſia Papam eligit; ſicut non ſequitur in Capitulo, à quo Epiſcopus eligitur, eſſe poteſtatem Epiſopalem : ipſa enim eligendi forma, ipſique electores ſubjacent legibus Pontificum, qui modum & formam eligendi præſcripſerunt : nec conferunt eligendo poteſtatem Papalem, ſed nominant perſonam, cui poteſtas immediatè à Deo confertur: nemo enim alius Vicarium Principi dat, quam ipſe Princeps : & in Concilio Conſtant. *Seſſ.8.* definitur, Papam immediatum eſſe Vicarium Chriſti. Quid autem mortuo Pontifice; aut in perpetuam amentiam lapſo, Concilium poſſit aut non poſſit; nolumus definire, cùm ipſa Eccleſiæ praxis, quid fieri in ſimilibus caſibus debeat, ſatis oſtendat : nos verò non de hoc caſu loquimur, ſed de Pontifice vivente, & ex Pontificia auctoritate aliqua decernente, quem ſupra Concilium eſſe dicimus. Videatur tamen Cajetan. *in opuſc. de auctoritate Papæ & Conc cap.16.* ubi docet, Pontifice capto aut relegato, cujus conveniendi nulla ſpes ſit, non propterea alium Pontificem eligi poſſe; ſed imitatione Eccleſiæ primitivæ, cùm Petrus ab Herode captus eſſet, orationem ſine intermiſſione ad Deum fundandam eſſe, ut Eccleſiæ ſubveniat. In caſu verò perpetuæ amentiæ, & cujus curandæ ex medicorum conſenſu ſpes nulla affulgeat ; Papam haberi pro mortuo quoad vitam rationalem & intellectualem, non tantùm in actu, ùt in dormiente, ebrio aut phrenetico contingit, ſed etiam in potentia naturali. Videatur etiam Suar. *de fide d.10. ſ.6.* Advertendum tamen eſt circa omnes hos caſus & hypotheſes, quæ fieri ſolent: pertinere ad Dei providentiam, qui Eccleſiam & Papatum cum ſuprema poteſtate inſtituit; ne hujuſmodi caſus evenire permittat, quos quidem abſolutè non repugnat evenire; ſi tamen evenirent, ordinem à Deo impoſitum confunderent, & ideò repugnantiam habent reſpectivam & conſequentem, hoc eſt, ex ſuppoſitione divinæ voluntatis & Providentiæ, decernentis rem hoc, & non alio modo fieri : v.g. fieri quidem abſolutè poteſt Clementem VIII. non eſſe validè baptizatum, & conſequenter, nec verum Pontificem, & ea quæ circa fidem & canonizationem Sanctorum ab illo ſtatuta ſunt, æquè invalida fuiſſe, ſed ſuppoſitâ Dei providentiâ,

dentiâ, quâ voluit Ecclesiæ visibili caput visibile præponi, & quæ ad fidem spectant, certa & indubitata esse: repugnat tale & occultum impedimentum à Deo permitti, sed ad Dei curam pertinet cavere, ne contingat. Eodem modo non implicat absolutè Sacros Codices, quibus Ecclesia Catholica utitur, in rebus fidei, aut malitiâ, aut ignorantiâ, aut ineuriâ librariorum, aut etiam injuriâ temporum corrumpi; sed quia voluit Deus fidem & Religionem ex Verbo Dei scripto, & tradito pendere, ipsius omnipotentiæ & sapientiæ est, ne corrumpantur curare. *Quis ergo sumus nos, qui statuamus tempus & modum miserationis Domini, & in arbitrium nostrum diem & terminum constituamus ei? exspectemus ergo humiles consolationem ejus. Judith. 4.*

Et ideò S. Thom. *1. 2. q. 100. a. 8.* Ea quæ sunt jure Divino ab ipso Deo determinata, non solùm in communi ratione justitiæ, sed etiam quantùm ad determinationem ad singulos actus, non esse ab Ecclesia dispensabilia docet, sed à solo Deo: nec in illis habere locum epiikiam aut gnomen, sicut in legibus humanis, in quibus non potest Legislator humanus singulos actus particulares prævidere iisque providere: & ideò fornicatio v.g. sive accessus ad non suam, etiam ex intentione maximi alicujus boni & utilitatis, nunquam permissa est.

VII. *Objicitur 21.* Potest Ecclesia etiam invito, aut non consentiente Pontifice Concilium congregare, v.g. Papâ mortuo, aut relegato, aut amentiâ correpto, aut si ipse nolit Concilium congregare, cùm tamen oporteret, &c. Felin *in c. super litter. de Rescript.* Alex. *in Canon. synod. 17.* ergo videtur non tantùm in Papa, sed etiam in ipsa Ecclesia potestatem Papalem residere.

℟. Certissimum esse, potestatem congregandi Concilia ordinariam solius Pontificis esse. *distinct. 17. per totum.* Et *cap significâsti de elect.* Quemadmodùm solius Principis est convocare status generales, quod si alius moliatur, perduellionis in Principem suspectus est. In casibus particularibus, & extraordinariis potest ab Ecclesia hoc ipsum fieri; quæ tamen potestas nullo modo Papalis est, cùm non sit universalis, nec se extendat ad ordinandam Ecclesiam universalem, sed tantùm particularem illum casum & necessitatem: Papalis autem potestas ordinaria, perpetua, & universalis est: & hæc Ecclesiæ non communicatur, alio-

quin ipsa Ecclesia esset Vicaria Christi; Pontifex verò esset Vicarius Vicarii, & consequenter non immediatus Christi Vicarius, quod est absurdum, immo hæreticum ex Conc. Const. *sess. 8.*

VIII. *Objicitur 22.* Papa deponi à Concilio potest propter hæresin, *c. si Papa d. 40.* ergo est subjectus Concilio, & inferior: qui enim subjectus non est, ob nullum crimen judicari condemnative potest, cùm judicium & sententia jurisdictionem supponant, & hæc subjectionem. Rursus, Si Papa hæreticus judicari, & puniri potest à Concilio, cur non æquè publicus usurarius, simoniacus, blasphemus, perjurus, adulter, tyrannus, & qui palam Deum odio habet? hæc enim peccata partim hæresi graviora sunt, partim bono, pacique Ecclesiæ magis incommodant, quàm privata aliqua hæresis, v.g Spiritum sanctum à Filio non procedere: nec in sacris Scripturis reperies Papam magis ob hæresin, quàm aliud crimen publicum, offensivum publici, & incorrigibile deponi posse: cur ergo tacente sacro textu, hæresin excipis, & si excipis hæresin, cur solam?

Rr. Magnam esse inter hæresin, & alia Pontificis delicta differentiam. Hæresis enim per se, & ex sua natura prorumpit in falsam doctrinam, tollitque omne fundamentum gratiæ, & salutis, & velut in sua radice omne meritum & virtutem venenat: salvâ enim fide, omni peccato est suum remedium, quo sanetur: extinctâ fide, omnia simul remedia sublata sunt, cùm omnia fidem supponant: & ideò B. Apostolus dicit: *Justum ex fide vivere.* Quia sicut vita necessaria est, ut medicinæ; ita fides, ut Sacramenta aliquid operentur. Et ideo in sacris litteris jubemur Prælatis, etiam dyscolis & peccatoribus obedire. *Matth. 23. 1. Petri. 2. & Lucæ 12.* Ab hæreticis verò & infidelibus omnino separari, & consequenter nec pro Pastoribus habere, *Num. 16. ad Galat. 1. & 2. ad Thessal 3. & 2. ad Cor. 6. & 2. Joann. 2. & c. verbum d. 1. de Pœnit. c. Novatianus 7. q. 1. & c. didicimus 24. q. 1. c. si Papa d. 40. & c. oves 2. q. 7.* An verò Papa hæreticus ipso facto amittat Papalem dignitatem perinde ac mortuus, an verò deponendus sit ab Ecclesia, aut etiam à Deo præcedente sententiâ, hæresis declaratoriâ, videri potest Cajetan. *Tr. de auctor. Papæ & Concilii c. 17.* & Suar. *de fide in Tr. de S. Pontif. d. 10. s. 6.* Nec refert, etiamsi concedamus Papam in hoc casu à Concilio judicari: quia

hic est

hic est casus in sacris litteris toties exceptus: nec tam Concilium judicat, quàm potiùs declarat, Papam incurrisse sententiam ab ipso Deo latam, promulgatamque, juxta illud Joann. *Qui non credit: jam judicatus est.*

IX. *Objicitur 23.* Si Papa gladio aliquem appetat, aut rem domesticam & facultates invadat, aut alio modo injuriam paret: licebit utique gladium invadenti extorquere, eumque quâvis aliâ ratione compescere, imo etiam jure defensionis, si aliter non possis, occidere: quanto ergo magis si beneficia vendat, immeritos promoveat, ipsamque Ecclesiam perverso exemplo, injustisque legibus opprimat, (juxta illud *ad Galat. 2.* junctâ Gl. *Cogis gentes judaizare exemplo malæ conversationis*) licebit Pontifici obsistere, & si aliter cohiberi, aut corrigi non possit, Pontificatu pellere?

R. Aliud esse Jurisdictionem in Papam exercere, aliud defensione uti: hæc non Concilio tantùm universali, sed cuilibet etiam privato permissa est: illa ad Superiores tantùm pertinet: & quamvis invadentem jure defensionis, & servato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere etiam possis; non tamen auctoritativè sententiam mortis in illum dicere, quia hoc est Superioris, & jurisdictionis, quam nullam Conciliis in Pontificem esse jam suprà ostendimus. Immo potestas Pontificem exauctorandi non tam ad Ecclesiæ defensionem, quam majorem offensionem pertinet, propter periculum schismatis, aliorumque malorum, quæ suprà numeravimus; esset que hoc remedium pejus ipso malo, perinde ac si dolorem dentium truncato capite curatum velles: & ideò licet Christus monuerit: *Si pes, manus, vel oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*: nunquam tamen in Evangelio dixit: si caput tuum scandalizat te, amputa illud, & projice abs te. Morbus ergo capitis insecti & inficientis soli Deo reservatur.

Objicitur 24. Potest Papa renuntiare, & renuntiando ab Ecclesiæ regimine discedere, ergo etiam Ecclesia ex causa boni publici à Papa separari, & sibi alium eligere.

R. Negando consequentiam: cùm enim Ecclesia Papæ sit subjecta, non Papa Ecclesiæ; ista minus, ille plus potest: quemadmodum, quia vir est caput uxoris, non uxor viri; vir poterat uxori libellum repudii dare, non econtra, ùt colligitur ex Deuter. *c. 24.*

Et tra-

Et tradit Josephus *l.15.c.11.* Deinde ex Pontificis renuntiatione non sequuntur illa mala, quæ docuit experientia sequi, cùm se à Pontificis obedientia Ecclesia subducit,& alium eligit.

X. *Objicitur 25.* Si Papæ auctoritas est supra Concilium,& solus potest res fidei decidere,ejusq; judicium est infallibile, incorrigibile, inappellabile, quid ergo Conciliis opus est? & tamen fuisse necessaria,praxis Ecclesiæ docuit.

℟. Non sequi, ut quidquid agitur, semper necessariò agatur; cùm multa fiant,non quia necessaria, sed quia commodiora. Concilia enim simpliciter necessaria non esse, patuit in Ecclesia primitiva, in qua licèt trecentis & suprà annis nulla Concilia Generalia indicta fuerint, in tanta nihilominus persecutionum, & hæresum agitatione nunquam magis Ecclesia, fidesque floruit: immo exemplis omnium ferè Conciliorum constat, vix ullam hæresin fuisse, quæ Concilio cesserit,& ideò extincta fuerit, quia in Synodo à Patribus damnata: adeò, ut B. Gregorius Nazianzenus non dubitaverit pronuntiare, nullius Synodi successum prosperè à se visum. Incendium Arianum tantùm abest, ut post Concilium Nicænum resederit,ut tunc maximè grassatum fuerit, Orientem, Occidentem, Africam,Hispaniam, Italiamque complexum: Idem in Conciliis Chalcedonensi, Ephesino, aliisque evenit: & si totam Ecclesiasticam historiam percurras,vix aliquem reperies, qui Romano Pontifici pertinaciter obluctatus, non æquè Synodos contempserit, aut à Synodo absolutus fuerit,quem Pontifex damnavarat. Quia tamen in Concilium Patres ex toto orbe conveniunt, negari haud potest, majorem in Conciliis sapientiam, experientiam rerum hominumque notitiam, pietatem, apud vulgus majorem venerationem, amorem fidemque reperiri, quàm in solo Pontifice; quæ causa est, ut auctoritas Conciliorum semper maximi habita fuerit, & medium efficacissimum obstinatissimis etiam animis expugnandis, capiendâque informatione multarum rerum, in quibus falli posse Pontifices ultro fatemur.

XI. *Objicitur 26.* Juris naturæ est, ut membra, quæ totum corpus inficiunt, amputentur: si ergo Papa exemplo maloque regimine inficiat Ecclesiam, amputari poterit, suâque privari dignitate.

℟. Novum

82. Novum esse inauditumque curandi genus, nec ab ullo Medicorum præscriptum, ut sanando corpori, caput amputetur: quod non in Physicis tantùm, sed etiam politicis locum habet, propter gravissima & certissima incommoda, schismatis præsertim, quæ admissâ hâc potestate Papam judicandi, amovendique sequerentur, ùt suprà ostendimus. Ne tamen Ecclesia remedio careret, Orationem Deus Ecclesiæ tradidit, promisitque se illam, cùm expedit, certissimò exauditurum; orando igitur potest Ecclesia Pontificem deponere: qui modus potentissimus est, quietissimus, erroris expers, (Deo semper quæ meliora sunt concedente) tutissimus, & denique Ecclesiæ convenientissimus, quæ non tam humanâ, quàm divinâ providentiâ regitur; quæque sicut oratione cœpit (*Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Psalmo 109.*) oratione conservatur: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Lucæ 22.* ita oratione defendenda est: cùm alia remedia humana, si coactiva sint, multo pluribus damnis, periculisque exponant, quam Pontificis mores etiam perditissimi; sicut enim in corpore humano, ita in politico nihil membris ipsa divisione nocentius est, ex qua corruptio sequitur. Nocet, inquis, Ecclesiæ Pontifex adulter, Simoniacus, prodigus, injustus. Omnino: sed rari sunt, hoc præsertim tempore, immo jam nulli. Fac tamen aliquem esse, eúmque per vim extirpandum; quantum Ecclesiæ nocebunt bella, discordiæ, schismata, ambitus tot capitum ad tiaram aspirantium, tumultus & confusio nescientium, quem pro legitimo habeant, & denique omnium licentia, & impunitas flagitiorum, nullo judice certo, & omnibus, ut amicos indulgentia parent, conniventibus? ergo Pontifex malus, magnum Ecclesiæ malum: sed schisma longè majus, quo si Ecclesiam curatum eas, perinde feceris, ac si domum incendas, ut eam ab aura insalubri purges, aut navim subducturus tempestati, ad scopulum impellas.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER III.

PROPOSITIO III.

IN fidei quæstionibus, & præcipuæ sunt Pontificis Romani partes: & quæ ab illo etiam extra Concilium, è cathedra tamen, definita sunt, errorem omnem ac dubium excludunt: non quia hominis voces sunt, sed quia Dei per os Vicarii sui loquentis: & ideò non eâ ratione Pontificis sententiæ certæ firmæque sunt, quia illas Ecclesia credit, acceptatque: sed ideò Ecclesia credit, acceptatque, quia veræ certæque sunt. Sic canones loquuntur, sic Patres testantur, sic ipsa Concilia profitentur, sic usus omnium Ecclesiarum semper obtinuit: & quod omnia superat, sic divinæ scripturæ locutæ sunt.

§. I.

Quid sit Pontificem è Cathedra docere.

Summaria.

1. *Papam considerari, ùt summum Ecclesiæ caput, & privatum Doctorem posse, ex utroque Testamento, ex SS. Doctoribus, variisq; exemplis ostenditur.*
2. *Quid requiratur, ut docere ex Cathedra Pontifex dici possit?*

I.

EA distinctio, quâ Pontificem Romanum consideramus, vel *ùt privatam Personam*, vel *ùt Publicam & solemniter, auctoritativè, ex Pontificia potestate, ac è cathedra docentem*; non est nova, sed antiquissima; nam in veteri lege celebre illud Oraculum Urim, & Thummim, quod in ambiguis obscurisque rebus summum sacerdotem edocebat, atque ab eodem ad pectus gestabatur, non privatæ & domesticæ vesti, sed Pontificali & solemni inscriptum erat *Exodi 28.* Deo hâc ratione ostendente, munus Ecclesiam instruendi, & in causis ambiguis judicandi, ad summum quidem sacerdotem pertinere; non tamen semper & ubique, sed cùm Pontificem agit; tunc enim, & non aliàs, eum cælitùs, ne fallat, aut fallatur, illustrari. Hæc causa fuit, ut sacerdotes nunquam ad consulendum Oraculum accederent, ab eoque responsum acciperent, nisi priùs Ephod induissent, ùt patet *1. Regum 23. & 30.* Quæ vestis erat auro texta, variisque ex serico coloribus distincta, & cui Oraculum insertum erat.

Sic *Matthæi 23.* jubet Christus scribas & Pharisæos audiri, eorumque doctrinam observari, quia super cathedram Mosis & Prophetarum sederunt: quasi tota radix & origo eorum in docendo

auctoritatis cathedræ adstricta esset, quam publicè docentes insedebant: alioquin privatas opiniones & sententias quod attinet, certum est multa Pharisæos docuisse, impia, legique divinæ & naturali omnino contraria, ùt habetur *Matth.23.*

Sic etiam sexta Synodus Constantinopolitana sub Agathone PP. epistolam ejusdem Agathonis approbat, summisque laudibus extollit, & in illa non tam Agathonem, quàm Petrum locutum fuisse dicit. *Sess.8.& sess.18.* agnoscitque Cathedram Petri, ejusque successores omnis hæresis expertes esse: & tamen *Sess.13.* Honorium I. Romanum Pontificem hæreticum fuisse dicit eumq; damnat: ubi manifeste Concilium differentiam indicat inter Pontificem è Cathedra ac sententialiter, & ex privata tantum opinione docentem; & in hoc casu errare posse, nam in primo non admittit.

Sæpe etiam S. Augustinus contra Donatistas disputans, cathedram à persona, hoc est, *errorem personalem à cathedrali* distinguit, hunc negat in Petri successores cadere; illum concedit. (a)

Immo B. Apostolus, & ex illo symbolum nostræ Religionis Ecclesiam Catholicam, sine ruga & macula, & sanctam esse profitentur; cùm tamen major pars Ecclesiæ sint peccatores; immo qui dicit se absque peccato esse, mendax sit *1. Joann.1.* Quomodo ergo Ecclesia est sine ruga & macula, sed tota pulchra? nisi quia non tam privatæ personæ, quæ Ecclesiam Catholicam componunt, attendendæ sunt, quàm publica illius forma, quæque ad omnes pertinet, hoc est, leges, doctrina, & Sacramenta, quæ omnia sancta sunt, omnemque maculam peccati excludunt.

Sic ergo cùm in hoc libro dicemus, Romani Pontificis judicium in rebus fidei, esse ultimum, infallibile, irreformabile; de Romano Pontifice loquimur, non ùt privata persona est, & aliorum Doctorum instar scribit, docetque: sed ùt Pontifex est, & ex Pontificali auctoritate Ecclesiam universalem docet, ac rebus maturè discussis, causam aliquam definit, & quæ definivit, jubet tamquam fidei veritatem haberi, & qui non habent, credunt-que, hæreticos pronuntiat. Hoc ergo est Pontificem agere, & è cathedra loqui, quod nulli Doctorum, aut Episcoporum convenit. Sicut ergo in antiquo Testamento non omne Pontificis responsum

(a) V. Ejusdem B. August. epistolam 165.

ſponſum Oraculum fuit: & in Chriſto Domino non omnis actio divina, ſed etiam humana, & mixta, ſeu theandrica: nec omnis in eodem Chriſto ſcientia infuſa, & increata, ſed etiam creata, & acquiſita, & capax incrementi, immo imperfecta, & aliquid habens neſcientiæ *Marci 13 n.31. De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neq; Filius niſi Pater.* Eodem modo non omnis actio ab anima rationali procedens, eſt rationalis: nec omnis notitia, quam de cauſa aliqua judex habet, eſt publica & judicialis, & ideò communiter & Theologi & Juriſperiti docent, teneri judicem ſententiam proferre non exprivata, ſed publica ſcientia *c.28. de Offic. Jud. Deleg.* Sic etiam non omnis actio & doctrina Pontificis, eſt Pontificia, ſed ſicut in Beatis viſio beatifica & matutina non abſorbet viſionem veſpertinam; ita & Pontifex aliqua facit, ùt homo, aliqua ùt Princeps, aliqua ùt Doctor, aliqua ùt Papa, hoc eſt, ùt Caput & fundamentum Eccleſiæ: & his ſolis actionibus privilegium infallibilitatis adſcribimus: alias humanæ conditioni relinquimus: ſicut ergo non omnis actio Papæ eſt Papalis, ita non omnis actio Papæ Papali privilegio gaudet.

II. Ceterum, ut dicatur Papa ex cathedra, & conſequenter abſque ullo errandi periculo aliquid definiviſſe, non oportet illum certo alicui medio, aut conſultationi alligare: fruſtra enim alioquin & inefficax foret in Papa talis auctoritas, nam cujus error damnatus eſſet, prætendere ſemper poſſet, ſe illegitimè damnatum eſſe, quòd Papa paucos concilio adhibuiſſet, aut imperitos rerum, aut odio ductos, aut denique præconceptâ opinione occupatos, & partium ſtudiis addictos, quæ omnia hæretici noſtri temporis Tridentino Concilio objecerunt. Modò ergo non conſtet Romanum Pontificem in rebus fidei decidendis temerè proceſſiſſe, omnino illius judicio ſtandum eſt, Deoque curæ erit, non permittere, ut abſque ſufficienti examine & prudentia ſententia feratur; ejus enim eſt, qui finem conſtituit, etiam media fini neceſſaria curare: fruſtra alioquin *Deut. 17. Matth. 23. & 18. & Luca 10* Eccleſiæ & Sacerdotis imperio obtemperari etiam ſub pœna mortis juberet, quibus ſemper à ſubditis opponi poſſet, ſine ſufficienti examine, & imprudenter imperatum eſſe. Et ideò in Tridentino Concilio *ſeſſ. 25. de Reform. c. ult. in fine*, Romani Pontificis prudentiæ & diſcre-

tioni committitur, quem in rebus ambiguis definiendis, industriæ modum adhibere velit. Verba Concilii sunt: *Quod si in his recipiendis difficultas aliqua oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem aut definitionem postulant; præter alia remedia in hoc Concilio instituta confidit S. Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta est, iis quos eodē negotio tractando viderit expedire: vel etiam Concilii Generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quâcunque ratione ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.*

§. II.

Summi Pontificis è Cathedra, quamvis extra Concilium, docentis indubiam & infallibilem auctoritatem esse, sacris Paginis docetur.

Summaria.

1. *Expenditur locus Deuter. 17. & ex illo argumentum ducitur.*
2. *Et Lucæ 22. adjunctâ SS. Patrum interpretatione.*
3. *Et Matthæi 16. ac Ioann. ult.*
4. *Adversarios Concilii prætextu id agere, ut S. Pontificis sententias non Concilio tantùm, sed cuilibet Episcopo, privatóque Doctori submittant; sublatâ interim obsequendi necessitate.*

1.

Satis quidem ex iis, quæ in secunda propositione disputavimus, Pontificis Romani auctoritatem in rebus fidei decidendis supremam esse, omnique periculo errandi exemptam constat; si enim Concilium à Papa non confirmatum, ùt ostendimus, errare potest, nec ullam in Pontificem

tificem corrigendi, judicandi, recipiendique appellationes potestatem habet; oportet ergo, aut Pontificis judicium, quod ultimum est, infallibile esse; aut omnia in Ecclesia fluctuare, nullo Judice certo, qui nascentes fidei controversias ita dirimat, ut omne dubium absolvat. Utcumentes tanto clarior evadat, quanto pluries illustrata: expendemus etiam pro hac tertia propositione, ea Scripturæ loca, quæ pro Secunda jam supra expendimus; sunt enim ferè eadem.

Primò locum habemus *Deuter 17.* ubi: *Si difficile atq; ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causã & causam, lepram & leprã judicum intra portas tuas verba videris variare: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur.* Ad hunc locum *Deut.* respiciens Josaphat Rex *Paralipom. 2 cap. 18.* Sacerdotes sic alloquitur: *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, ubicunq; quæstio est de Lege, & de mandato, de ceremoniis, de justificationibus, ostendetis eis, ut non peccent in Dominum: Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.*

Et Ecclesiast. 12. *Verba Sapientum sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His amplius fili mi ne requiras.*

Ad majorem intelligentiam horum sacræ Sctipturæ textuum nota: Legales causas fuisse duplices, Primò erant sacræ & ceremoniales, hoc est, de Religione, de Fide, Sacrificiis, lepra, &c. hæ ad Sacerdotale judicium pertinebant. Aliæ judiciales erant, videl. de homicidio, de sanguine, &c. istas Magistratus laicus dirimebat, qui in singulis urbibus habitabat, & in portis jus dicebat, ut ab ommbus etiam exteris tanto liberiùs adiri posset. *Deuter. 16. v. 8.* Si vero lis tam esset ambigua, ut ab inferiori & obvio hoc Magistratu definiri non posset, ea Hierosolymam deferenda, & à Concilio Sacerdotum, præsertim summo Pontifice definienda erat. Omnes enim causæ etiam judiciales ex lege explicabantur; legis autem interpres erat Pontifex, cui in hoc casu non sacræ tantùm, sed etiam civiles causæ committebantur, ùt patet *ex Deuter. 21. v. 5. Ezech. 44. v. 24.* Josepho *l. 2.*

contra.

contra Apionem. Et Philone *lib.3.de Vita Moysis.* Pronuntiatâ verò à summo Pontifice sententiâ, judex sæcularis eandem exequebatur, & ex hujus decreto, qui nollent Pontificis imperio obtemperare, extremo supplicio multabantur, ùt hìc dicitur, explicantque Cajetanus, Lyranus, Oleaster Sigonius, & ex istis Cornelius in hunc locum.

Ex hoc Deuteron. textu argumentari sic licet: Vel summi Sacerdotis sententia infallibilis & irreformabilis erat, vel non erat? Si erat? hoc ipsum est, quod volumus, quodque probare intendimus; nec enim privilegium & assistentia Synagogæ concessa, Ecclesiæ neganda est longè nobiliori, quamque plures hæreses impugnant, utpote toto orbe diffusam: & proinde uno & infallibili judice magis indiget, qui finem discordiis imponat. Si verò summi Sacerdotis sententia infallibilis & irreformabilis non erat? cur ab illa non admittitur appellatio, & qui non acquiescit, mori jubetur? planè dignus morte non est, qui in rebus fidei dubiam incertamque sententiam non admittit, cùm fidem oporteat indubiam esse, certamque: nec unquam, nisi injustè, ultimo supplicio affectus est, qui à judice & sententia appellavit, à qua appellare potuit, quæque ultima non est.

Dices, Pontificis sententiam fuisse quidem certam, sed à Pontifice in Concilio, & ex Concilii suffragiis latam, ùt patet ex verbis sacri textûs, qui non de uno Pontifice, sed de pluribus loquitur; & ideò Hebræi & Sigonius *l.6. de Republ. Hebr.c.7.* explicavit de magno Concilio Sanhedrim, quod 70. viris constabat; non ergo potest ex hoc textu deduci summi Pontificis sententiam, etiam extra Concilium docentis, ultimam esse, & irrefragabilem.

℟. Sanhedrim non fuisse Concilium generale, cùm 70. tantùm viris constaret, quorum multi Sacerdotes non erant; non ergo potest ex hoc loco argumentum pro Concilio generali adduci. Deinde esto generale fuerit, illi tamen Pontificis Max. sententia adstricta non erat: de solo enim summo Sacerdote dicitur: *Qui autem superbiens noluerit obedire imperio Sacerdotis, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, morte morietur.* Et ideò solus Pont. Max. Rationale & Oraculũ Urim Vethũmim ad pectus gestabat, cũ inscriptione: *Judicium & Veritas*: solus etiam & sine Concilio Oraculum consulebat in rebus dubiis *1. Reg. 23. & 30.* Et esto concedamus, in veteri

teri testamento, ubi vix angulum Orbis Synagoga occupabat, Pontificis ultimam sententiam fuisse Concilio alligatam; hoc tamen de Ecclesia Christi dici non potest, quæ cùm toto terrarum orbe diffusa sit, Concilium generale convocari rarissimè potest, & tunc etiam cum gravissimis Ecclesiæ incommodis; & propterea non in Concilium, sed in solum Petrum curam & gubernationem suæ Ecclesiæ transtulit Christus, multásque hæreses sine Concilio voluit à solo Pontifice confutari, & qui non illi adhæreret, pro hæretico æstimari, ùt expressè testantur S. Augustinus *epist. 162. & in Psalm. contra partem Donati.* Et S. Leo *epist. 87. ad Episcop. Viennensis Provinciæ*, quæ verbatim testimonia infrà recitabimus, & ipsa Ecclesiæ praxis plùs satis demonstrat.

II. Secundus scripturæ locus habetur *Lucæ 22.* Ubi Christus pro Petro ejúsque successoribus rogâsse se dicit, ne unquam illorum fides deficiat: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Nota, hæc Christi verba specialiter ad Petrum dirigi; quamvis enim Sathan omnes Apostolos expetiverit, non tamen dicit Christus: *Ego pro vobis rogavi:* sed *pro te*: innuens se privilegium aliquod speciale Petro postulâsse: nec Petro tantùm, sed illius etiam successoribus: semper enim Ecclesia, ùt impetitur à Sathana, ita confirmari debet: & sicut ex omnium Catholicorum sententia aliæ promissiones Petro factæ ad ejus successores pertinent, sic etiam ista; nec aliter Concilia ipsa & Patres hunc locum intellexerunt, ut planè temerarium sit, non ita intelligere: quamvis enim etiam pro perseverantia Petri in gratia, & pro ipsa Ecclesia Christus oraverit; specialiter tamen pro Petro ejúsque successoribus, ne in fide deficerent, aliquid contra ipsam docendo, orâsse; sicque speciale aliquod privilegium Petro & successoribus impetrâsse, tum ipsa per se verba, tum omnium Patrum consensus habet. Ii sunt: Patres sextæ Universalis Synodi Constantinopolit. *Act. 4.* S. Augustt. *l. de corrept. & grat. 18.* S. Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* Theophylactus *in c. 22. Lucæ.* S. Lucius Papa & M. *epist. 1. ad Episcopos Gall. & Hisp.* S. Leo *serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontif.* S. Nicolaus I. *epist. ad Michaëlem Imperat.* S. Leo IX. *epist. ad Petrum Antioch.*

S. Bernardus *epist. 190. ad Innoc.* S. Gregorius M. *l. 6. epist. 37. ad Eulogium.* S. Thom. *2. 2. quæst. 1. a. ult.* Innocentius III. *in epist. ad Episc. A. relat. & habetur c. Majores de Bapt.* Joannes Constantinopolit. *epist. ad Hormisd. Papam.* Theodorus Studites *epist. ad Paschalem PP.* S. Bernard. *serm. de privileg. B. Joann. Bapt.* Et denique omnium elegantiss. B. Agatho PP. *epist. ad Augustos*, quæ recitata, recepta, summisque laudibus affecta est à Patribus 6. Occumenicæ Synodi *Act. 4. & 5.* & habetur *Tomo 3. Conciliorum.*

Jam ex hoc Lucæ textu, junctâ explicatione & interpretatione omnium ferè SS. Patrum, sic argumentamur: Si Romani Pontificis è Cathedra docentis sententia in materia fidei non est infallibilis, ergo potest illi error fidei subesse; ergo ejus fides potest deficere: non ergo verum est privilegium illi à Christo speciale impetratum esse, ne illius in docendo fides deficiat.

Dices 1. Hoc privilegium Petro impetratum à Christo ad ejus successores extendendum non esse.

℟. Hoc imprimis militare contra explicationem omnium Patrum, qui hanc Christi promissionem non Petro tantùm, sed ejus Sedi, & consequenter successoribus factam esse dicunt. Idque ex Christi verbis colligitur, qui hoc donum perpetuæ & indefectibilis fidei in utilitatem Ecclesiæ Petro contulit, ut is videlicet eam confirmaret contra Sathanæ insultus: quæ ratio non pro Petro solùm, sed pro ejus successoribus æquè multóque magis militat: quando videlicet Ecclesia & multo magis impugnatur, & multo magis, ut confirmetur, opus habet. Quòd si hoc privilegium ad solum Petrum restringas: idem dicendum erit de aliis *Matth. 16.* & *Joann. ult.* Petro concessis: quod si semel admittas; imprimis contra totam Ecclesiam sentis: deinde quomodo contra hæreticos primatum & potestatem Pontificis Romani probabis?

Dices 2. Promissionem Petro factam principaliter in Ecclesiam dirigi, quæ à Concilio Generali repræsentatur.

℟. Hoc vix responso aliquo dignum esse: tam enim clara sunt Christi verba, tam apertè in solum Petrum diriguntur, & adeò nulla Ecclesiæ, aut Concilii fit mentio, ut videantur adversarii nostri non tam suam opinionem ad scripturam accommodare voluisse, quàm potiùs scripturam, volentem nolentémque, in suas

partes

partes trahere, ut non tam ipsi quod scriptura, quàm scriptura quod ipsi sentiret.

Quòd si velint, donum & privilegium Petro & Successoribus collatum, mediatè ipsi etiam Ecclesiæ collatum esse, quæ cùm à Petro gubernari se patitur, errare non potest; quemadmodùm quidquid boni natura capiti concessit, illud totum in bonum, & directionem corporis redundat; id quidem verissimum est, & sensui SS. Patrum omnino consentaneum: sed sententiam nostram confirmat potiùs, quàm evertit.

Dices 3. Ex eo Evangelii textu non haberi, quòd Pontificis judicium etiam extra Concilium docentis, infallibile sit.

R. Cùm Christus nullam omnino Concilii mentionem faciat, multóque minùs infallibilitatem Petri illi adstringat; gratis & sine fundamento hac limitationem ab iis opponi, qui dolent Scripturam aliter loqui, quam ipsi velint. Si Petri fides à Concilii directione, & non econtrà Concilii fides à Petro penderet; non tam Petrus fratres suos confirmaret, quàm ipse à fratribus confirmaretur.

III. Faciunt ad hoc ipsum probandum, quæ *Matth. 16. & Joann. ult.* habentur, ubi ex omnium Catholicorum sententia Petro, ejúsque successoribus dicitur, eos esse *Petram & fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferni non prævalebunt*: illis, tanquam totius Ecclesiæ Pastoribus, omnium Christi ovium cura & regimen per ea verba committitur: *Petre amas me? pasce oves meas.* Quænam istorum verborum sententia sit, jam suprà explicavimus: nunc ex illis hoc argumentum ducimus. Si Petrus ejúsque successor est fidei Petra, oportet illum, cùm Ecclesiam publicè, & cum potestate docet, (tunc enim maximè officio suo fungitur, & Petram agit,) concuti in fide non posse, multo minùs frangi; aliàs non tam Petra, quam arena esset: & quid plus aliis Doctoribus & Episcopis Petrus accepisset, quâve ratione Petræ titulum magis meritus esset, si æquè ac illi posset in fidem impingere evertíque, & errores docere? Si Petri omniúmque Episcoporum in credendo, docendóque, quæ sunt fidei, par est conditio, omnes pariter erunt petræ, nec majori titulo Petrus, quàm illi: si verò Petri, & aliorum Episcoporum non est in fide par conditio, oportet plus Petro ejúsque successori-

bus, quàm aliis Episcopis tribui : & quid hoc aliud ? nisi quòd cadere illi omnes in errores possint ; immo pleræque hæreses ab Episcopis aut natæ, aut nutritæ : Petrus solus ejúsque successores non possint ; & ideò Petro, non aliis dictum esse : *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Rursus : si Petrus, ejúsque successores sunt fundamentum Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt, hoc est, quæ nunquam corruet, nunquam errabit, aut deficiet, multo magis oportet fundamentum corruere & deficere non posse : quid enim hoc portenti, ut stante domo fundamentum cadat ? Aut ergo fundamentum Ecclesiæ non est Petrus : aut si est, eo cadente, cadet Ecclesia, & Ecclesiâ non cadente, nec ipsum cadere potest.

Quòd si dicas, Petrum Ecclesiam repræsentâsse, & ita hanc promissionem non tam Petro, quam Ecclesiæ factam. Id verum est, si velis firmitatem & constantiam fidei Petro promissam, etiam ad Ecclesiam pertinere, immo propter Ecclesiam factam esse, quemadmodum soliditas fundamenti est soliditas ædificii, & hoc ipsum Patres voluerunt ; sicut enim caput totum hominem repræsentat, ita Pontifex Max. Ecclesiam toto orbe diffusam ; in cujus rei figuram summus apud Hebræos Sacerdos totum orbem terrarum vesti Pontificiæ inscriptum gestabat, juxta illud *Sapientiæ 18. In veste poderis totus erat orbis terrarum.* Et teste Epiphanio *l. de lapidib. & gemmis :* Idem Pontifex tempore Salomonis Regis, præludens velut illi Constantiæ & petrinæ firmitati, quam Christus Vicario suo promisit, præter gemmas Rationalis, adamantem, binis Smaragdis incinctum, ad pectus gestabat ; qui Deo placato, serenâ luce perfundebatur, irato verò & accincto vindictæ, sanguineus micabat. Si verò sic Petrum Ecclesiam repræsentâsse dicas, ut tota firmitas, & indeficientia veræ fidei ad Ecclesiam pertineat, excluso Petro ; imprimis nihil potest dici, quod magis Evangelio repugnet, ejúsque sententiæ : cùm sole clarius sit, Christum ad Petrum loqui, illi fidem polliceri, ejus confessionem præmio afficere, & denique multis modis & velut anxiè laborare, ut Petrum ab aliis distinguat, eumque solum, non alios designet, nullâ Concilii mentione, nullâ Ecclesiæ factâ, nisi quòd hanc dicat se Petro inædificaturum. Deinde si hoc modo, quo Adversarii volunt, Evangelium

lium intelligas, sensus evadit planè absurdissimus, hic enim erit: Tu es Petrus: & super Ecclesiam, quam repræsentas, ædificabo Ecclesiam meam. Aut ergo Ecclesia sibi ipsi fundamentum est: aut duæ sunt Ecclesiæ, quarum una fundamentum est alterius: aut Petrus est Ecclesiæ fundamentum: & si est, quærimus quî fieri possit, ut hujus fides & doctrina deficiat stante Ecclesiâ? Quòd si ad alios sensus hæc Evangelii verba detorqueas, quasi fundamentum Ecclesiæ non sit Petrus, sed fides Divinitatis Christi, quam professus est: inprimis Evangelio vim facis, cujus tam antecedentia, quàm subsequentia verba omnino ad Petrum diriguntur, occasione ex illius confessione captatâ. Deinde Petri & Pontificis Romani primatum, hoc est, arcem Religionis Catholicæ evertis: hoc enim Evangelii loco aut sublato, aut in alienos sensus exposito, nihil amplius supereſt, quo adversùs Calvinistas, & Lutheranos Primatum defendas.

Ex illo Joannis ult. *Pasce oves meas* (cujus, quæ sit sententia, jam suprà vidimus,) hoc argumentum deducitur. Per hæc verba Petrus, ejúsque successores constituti sunt Doctores & Pastores totius Ecclesiæ; aut ergo docentes illos, præsertim quæ sunt fidei, tenetur Ecclesia audire, aut non tenetur? si tenetur, ergo illi cùm docent, errare non possunt: nam si possent, erraret etiam Ecclesia, quæ illorum doctrinæ tenetur acquiescere. Si verò Ecclesia non tenetur ea credere, quæ summus Pontifex ex verbo Dei credenda esse definit, non tam Petrus, quàm ipsa Ecclesia erit sibi Pastor, immo ipsa Petrum pascet, quia ipsa errantem Pontificem corriget, ipsa ducet, ipsa an Petri sententia cum Verbo Dei conveniat, an secus, judicabit, discernétque, hoc est, quod nunquam factum, nunquam auditum fuit, non ipse Pontifex confirmabit, reprobabítque fidem Concilii, sed Concilium fidem Pontificis: sicque malè Christus Petro dixerit: *Pasce oves meas:* cùm potiùs ovibus & Ecclesiæ dicere debuisset: Si me amatis, pascite Petrum & Vicarium meum: errare hic potest, & in abrupta deferri, & falsa pro veris docere: vos Pastori Pastores este, & cadentem sublevate, hoc est, discipuli Magistrum docete, & oves Pastorem ducite.

Et ne credas nostra tantùm hæc esse argumenta, non verò Sanctorum Patrum, ipsos audi in hanc ipsam sententiam loquentes.

S. Leo Papa *ad Episcopos Viennenses epist. 78. Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset se à Petri soliditate dividere.*

S. Augustinus *serm. de Cathedra: Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, eò quòd primus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat.*

Origenes *in hunc Matth. Locum: Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec adversùs Petrum, nec adversùs Ecclesiam porta prævalere potuerunt inferorum: nam si prævalerent adversùs Petram, in qua fundata Ecclesia erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent.*

Plures in sequentibus paragraphis dabimus.

IV. Observandum interim est, si adversarii Conciliorum auctoritatem Pontificiæ ita præferrent, ut tunc solùm Pontificis sententias & definitiones in dubium vocarent, cùm à Concilio improbantur; tolerari utcúmque possent: sed ipsi nullius Concilii exspectatâ sententiâ, sibi judicium arrogant, admittuntque aut excludunt, quæ placent displicéntve, ùt experientia ostendit, eo solùm prætextu, quòd Papa extra Concilium errare possit: sicque non Concilio tantùm Papam submittunt, sed cujuslibet Episcopi privatique Doctoris censuræ, ab affectu plerúmque dictatæ: quo satis ostendunt, non tam sibi veritatis, & Conciliorum, quàm privatam causam cordi esse, ut interim agant, quod lubet, Concilii obtentu dilatâ, aut etiam extinctâ obsequendi necessitate.

§. III.

Eadem Papæ Ecclesiam docentis infallibilitas è sacris Canonibus asserta.

Summaria.

1. *Doctrinam SS. Canonibus contrariam, necessariò falsam esse.*
2. *Variis multisque Canonibus demonstratur Constitutiones Papales in materia fidei certissimas esse.*
3. *Argumentum ex allatis textibus deductum.*
4. *Respondetur ad objecta.*

I.

SUmmam, nisi fallimur, sacris Canonibus deberi auctoritatem, nemo nisi temerarius negabit. Cùm enim illos summi Patres ediderint, hoc est, Magistri Catholicæ Ecclesiæ, doctrinâ, pietate, omniumque veneratione insignes: cùm illos Ecclesia non receperit tantùm, sed etiam velut regulas quasdam, & axiomata veræ incorruptæque doctrinæ fidelibus tradiderit: cùm illos Galli præsertim, adeò sanctos, inviolatósque voluerint, ut in nuperis propositionibus ne quidem summo Pontifici eos egrediendi potestatem faciant: quid aliud esset contra Canonum præscriptum aliquid docere, quàm supra sanctos Patres & Ecclesiæ Magistros sapere velle, sibíque, quod Pontifici non permittitur, usurpare? immo Ecclesiam ipsam corrigere, & quos ipsa limites fixit, refigere? nec discipulos nos sacrorum Canonum, sed Magistros profiteri?

Quòd si oratio contra regulas Rhetoricæ, aut Grammaticæ necessariò est babara incultáque: propositio contra regulas Logicæ falsa: navigatio contra regulas Hydrographiæ temeraria, ac naufragio proxima: & denique quidquid contra regulas artis agitur

agitur, rude, impolitúmque & erroris plenum; sic omnis opinio contra sacras regulas, hoc est, Canones concepta, necessariò est falsa: si enim Canon est regula, & regula semper est recta; oportet & rectum non esse, quod à regula discedit, quemadmodum quod à linea discedit, necessariò est curvum. Aut ergo Canon non est Canon, aut doctrina, quæ à Canonibus discedit, vera non est. Videamus ergo, quid de nostra, & Adversariorũ doctrina Canones sentiant, & confecta res erit.

S. Leo I. *Ad Episcopos Viennenses epist. 87 in c. ita Dominus d. 19. & habetur Tomo 2. Conciliorum: Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritatis, quæ anteà Legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem Universitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit; ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo principaliter collocaret: ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet; ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hâc Ecclesiam suam corroborans firmitate, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc Petræ istius sacratissimam firmitatem, Domino, ùt diximus, ædificante, constructam, nimis impius vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id, quod accepit à veteribus, non sequendo.*

Nota, summum Pontificem non loqui de solâ Petri personâ, sed etiam de successoribus Petri, ùt patet ex toto Epistolæ contextu, & qui Petri & successorum decretis resistunt, exortes dicere mysterii divini.

S. Hieronymus *in c. hæc est fides 24. q. 1. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamq; semper tenuimus, & tenemus: in quâ si minus peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicam, non me*

non me hæreticum comprobabit. Item *Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino providente, & beato Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit, sine illa hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.*

Idem S. Hieronymus *in c. quoniam 24. q. 1. Quoniam vetusto oriens inter se populorum furore collisus in discissam Domini tunicam, & desuper textam per frusta discerpit; & Christi vineam vulpes exterminant, ut inter lacus contritos, qui non habent aquam, difficilè, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi; ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.*

Venerabilis Beda *c. quicumq; eodem. Quicumq; ab unitate fidei, vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni cælestis ingredi.*

Pelagius PP. *in c. schisma 24. q. 1. Idipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt: quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam Sedem temerè credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse beatus denuntiat Augustinus, dicens de talibus: adversùs auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica Sede epistolas accipere meruerunt, temerè credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.* Ergo teste Pelagio & Augustino, qui non credit, quod Pontifex Rom. credendum proponit, schismaticus est: ergo Pontifex errare in fide non potest; nam si posset, schismaticus non esset, qui cum illo errante non sentiret.

Neque dicas Pontificem errare non posse, si juxta Verbum Dei doceat, secus si contra. Ridicula exceptio! nec enim speciale Pontificis privilegium hoc est, sed cujuslibet Episcopi, & Doctoris, immo cerdonis, textorisque, ut si doceat juxta Dei Verbum, non erret: tam ergo schismaticus aut hæreticus esset, qui contra textorem, quàm qui contra Papam sentitet. Et Papa, & qui contra hujus decreta disputat, dicent se Verbo Dei fulciri; quis judicabit interim, quis absolvet, damnabitque?

Concilium, *inquis:* at Pelagius & Augustinus, non dicunt schismaticum esse, qui Concilio, sed qui Papæ repugnant. Et dum Concilium Patresque conveniunt, quid credam interim, quid scribam, dicamque? quod placet? omnino, lite me inter & Papam pendente: magno scil. Ecclesiæ, pacis, & unitatis bono.

S. Lucius PP. *ad Episc. Galliæ in Hispan. in c. à recta 24. q. 1. Hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia: quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probatur: nec hæreticis novitatibus depravata succumbit: sed, ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata sinetenus manet.*

Sixtus PP. II. *in c. memor sum 24. q. 1. Memor sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cujus à Domino Jesu Christo est confessio glorificata: & cujus fides nullam hæresim unquam fovit, sed omnes quidem hæreses destruit.*

Innocentius PP. *in c. quoties 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.*

Calixtus PP. *in c. non decet. d. 12. Non decet a capite membra discedere; sed juxta sacræ scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quòd Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, à cujus vos regulis nullatenus convenit deviare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem Patris; sic & vos voluntatem vestræ impleatis Matris, quæ est Ecclesia: cujus caput, ut prædictum est, Romana existit Ecclesia. Quidquid ergo sine discretione justitiæ contra hujus disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.*

Gregorius IV. Papa *in c. præceptis d. 12. Præceptis Apostolicis non durâ superbiâ resistatur; sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia, & Apostolica auctoritate jussa sunt, salutiferè impleantur; si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communione habere desideratis.*

Nicolaus PP. *c. si Romanorum. d. 19. Si Romanorum Pontificum decreto, ceterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur: ita aut, quod Sedis Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum: quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potiùs, quæ ipsa pro Catholica fide profanis dogmatibus, pro variis, & multifaris Ecclesiæ necessitatibus & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore praferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus, discretione, vel dispensatione magistrâ, reverenter assumi.*

Agatho PP. *in c. sic omnes d. 19. Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.*

Stephanus

Stephanus PP. *in c. enimverò d. 19. Enimverò, quia in speculum, & exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, proposita est; ab omnibus quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò, & irrefragabiliter observandum est.*

Nicolaus I. *in epist. ad Photium c. si decreta d. 20. Si Decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atq; incuria estis arguendi. Si verò habetis, & nō observatis, de temeritate estis corripiēdi, & increpandi.*

Idem Nicolaus I. PP. *in c. omnes d. 22. Qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cùm ille vocetur injustus, hic est procul dubio dicendus hæreticus.*

Paschalis Papa. *in c. significâsti de de elect. Ajunt in Conciliis statutum non inveniri; quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Cùm igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à B. Petri tantùm corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum Beato Petro tanquam de membro habere, & Catholici capitis unitatem servare declarant.*

Innocentius IV. Papa *in c. majores de Bapt. Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorâsse, ne deficiat fides ejus.*

Lucius III. Papa *in c. ad abolvendam de hæret. Universos, qui de Sacramento corporis & sanguinis D. N. JESU Christi, ut de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Rom. Eccles. vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio Clericorum, vel Clerici ipsi sede vacante cum Consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint: vinculo perpetui anathematis innodamus.*

Et denique Hadrianus Papa *in c. generali 25. q. 1. Generali Decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud Deum existat, quicumq; Regum, seu Episcoporum vel Potentum deinceps Romanorum decretorum censuram in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.*

III. Ex allegatis Canonicis textibus argumentari sic licet: Vel Adversarii sacros Canones admittunt, vel non admittunt? si non admittunt; illorum ergo doctrina canonica non est, sed irregularis ac exorbitans, & consequenter erronea, nec à Spiritu S. profecta, juxta gravem censuram S. Damasi Papæ *in c. violatores 25. q. 1.* Si verò Canones admittunt, ergo eâdem ratione summ. Pontificum statuta & Decreta tenentur admittere, hoc enim Canones jubent, nec possunt eo prætextu rejicere, quòd Pontifices statuendo erraverint: si enim hoc est, frustra Pontifices statuunt, frustra illis obedire Canones jubent: quia semper, qui obedire non vult, Pontificem errare potuisse dicet; nec unquam, ùt in rebus omnibus, ita in Pontificum Decretis causæ deerunt, & rationes tergiversandi, nodúmque in scirpo quærendi, quod nimiùm experientia ostendit. Deinde sacri Canones eos, qui semel à Pontifice Romano definita non recipiunt, schismaticis & hæreticis adscribunt, eósque salutis & fidei expertes dicunt: oportet ergo Pontificum definitiones certas omnino esse, nec errori subjectas: nec enim hæreticus aut schismaticus est, qui non recipit incerta, qui dubia non credit, quique probabili doctrinæ adhæret. Tandem certum est ex præfatis Canonibus, esse summo Pontifici auctoritatem in aliquo saltem casu aliqua definiendi, ita ut fideles teneantur definitioni acquiescere, & nisi acquiescant, iis censuris, quas diximus, perstringantur: in quo ergo casu hanc definiendi potestatem Papæ concedunt? an tunc solùm, cùm de re definienda palàm & clarissimè omnibus constat, quæque à nullo negatur? at hoc ridiculum & otiosum est: res enim, de qua constat, quæquem aperto, & apud omnes in confesso est, definitione non eget, nam Solem lucere, ardere ignem, sine Bulla, & plumbo & diplomate videmus. Ergo hæc potestas definiendi, quam Canones in Pontifice agnoscunt, obsequendique necessitas, locum in re dubia habebit, quámque alii negant, alíque affirmant: tunc Pontificis partes sunt nodum truncare litémque finire: nostræ verò, credere, obsequi, nec ampliùs causam jam pacatam turbare. Si ita est, nemo ergo salvis Canonibus in dubium vocare potest, multóque minùs negare, Pontificiam auctoritatem, cùm Ecclesiam docet, & de fide pronuntiat, infallibilem esse, errorisque immunem: hanc enim quæstionem olim ambiguam, Pontifices è Cathedra definiverunt, Clemens videl. V. *in Concilio Viennensi. Clement. de S. Trinit.* Eugenius IV. *sess. ult.*

sess. ult. Concilii Florentini. Leo X. *sess 11. Concilii Lateran.* Sixtus IV. *in Concilio Complutensi contra Petrum Oximensem.* (a)

Rursus: si, ùt ex allegatis Canonibus evicimus, in re dubia & utrimque disputata, sententia Pontificis Romani necessariò tenenda est: cùm semper hujusmodi Pontificum sententiæ & definitiones sint de re priùs dubia, & disputata; necessariò tenendæ erunt, dubiúmque omne absolvent, & qui illis obloquitur, in Canonum censuras incurret.

IV. *Dices 1.* Non esse standum Papæ definitionibus & doctrinâ, quando cum verbo & doctrina Dei pugnant: tunc enim magis Deo quàm hominibus obediendum est.

℟. Hypothesin fingi impossibilem, ut Papæ videl. è cathedra docentis sententia, cum veritate & fide pugnet: sed demus hanc hypothesin impossibilem, qualis fuit illa B. Pauli *ad Galat. 1. Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Si ergo Papa contrarium aliquid scripturæ pro cathedra doceret, idque constaret, credendum utique non esset: sed quamdiu non constat, (ùt planè numquam constabit:) ejus definitiones, qui non accipit, certásque habet, multóque magis, qui oppugnat, ex Canonum sententia, profanus, naufragus, Spiritui S. infestus, schismati & hæresi innexus est, sic enim Canones loquuntur.

Dices 2. Canones quos produximus, summorum Pontificum esse, qui eum in propria causa loquantur, fidei suspectæ sunt.

℟. Non hîc summorum Pontificum, sed Ecclesiæ & fidei causam agi, in qua ex sacrorum Canonum sententia, Prælatus non testis tantùm, sed judex esse potest. Et quis summorum Principum lites, nisi ipsi, decîdunt, qui superiorem non habent. Immo hæc ipsa exceptio non Pontificem tantùm, sed Episcopos, Conciliúmque excludit, de quorum æquè causa & potestate agitur. Deinde non soli sunt Pontifices, qui pro se dicunt; sed & Concilia, & Patres, & praxis Ecclesiæ, & ferè Doctores omnes, ùt posteà dicemus: immo si soli Pontifices essent, ii tamen, plerique & sancta & Martyres sunt, in quos nulla cadit mendacii, ambitionis,

(a) Vide Raynaldum ad annum MCDLXXIX. n. 32. & Bullarium in Sixto IV. Constitut. 17.

vanitatis, usurpatique juris alieni suspicio, quique meritò cum Christo dicere possunt: *Et si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est.*

§. IV.

Pontificis Maximi in rebus fidei discernendis infallibilitati Concilia suffragantur.

Summaria.

1. *Testimonium Concilii Nicæni.*
2. *Et Alexandrini sub S. Athanasio.*
3. *Et Carthaginensis.*
4. *Et Ephesini.*
5. *Et Chalcedonensis.*
6. *Et Constantinopolitani sub Agathone.*
7. *Et quintæ ac septimæ Oecumenicæ Synodi.*
8. *Et Concilii Generalis Romæ sub Nicolao II.*
9. *Et Conciliorum primi & secundi Lugdunensis: professio Ecclesiæ Græcæ.*
10. *Et Concilii Lateranensis ultimi, cui & Rex & Ecclesia Gallicana adhærere professa est.*
11. *Respondetur ad objecta.*

I.

IN Concilio Nicæno quod Anno CCCXXV. celebratum est *c. 18.* hæc leguntur: *Omnes Episcopi in gravioribus causis liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas Apostolorum auctoritas reservavit.* Citat hunc Canonem

Canonem ex Concilio Nicæno S. Julius I. *in epist. 2. contra Orientales pro Athanasio, & habetur Tomo 1. Conciliorum post Concilium Nicænum:* idemq; habet Pelagius II. *in c. multis d. 17.* & de Canonibus Concilii Nicæni jam supra *Lib. 2.* diximus. Si ergo majores & difficiliores causæ, inter quas sunt utique causæ fidei, Apostolicæ sedi reservantur; oportet hujus sententias esse infallibilis auctoritatis: alioquin non Pontifici reservandæ forent, sed Concilio: & sicut fides certa est, nec ullum admittit dubium, ita sententia cui reservantur causæ fidei, debet esse certa, & dubii expers; ubi enim sententia non est certa, etiam id quod per sententiam pronuntiatum est, non est certum; & si certum non est, non potest esse dogma & objectum fidei.

II. In Synodo Alexandrina Præside M. Athanasio Episcopi Ægypti, Thebaidos, Libyæque ad S. Felicem II. Papam & M. circa annum CCCLIX. quorum Epistola *Tomo 1. Conciliorum* habetur, hæc scribunt: *Ideò Pater beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra sancta Apostolica Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnovimus, præfatam Apostolicam & summam expetimus juxta Canonum decreta Sedem, ut inde auxilium capiamus, unde prædecessores nostri ordinationes & dogmata* (NB.) *ceperunt.* Et infrà. *Similiter à supradictis Patribus Concilii Nicæni est definitum consonanter, ut si quisquam Episcoporum judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet Sedem, cui ab ipso Domino potestas ligandi ac solvendi speciali privilegio super alios concessa. Ipsa enim firmamentum à Deo fixum & immobile percepit, quoniam ipsam formam universorum lucidissimam Dominus Jesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est etiam sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, relevantur: tu profanarum hæresum atque omnium infestantium depositor, ut princeps & Doctor, Caputque omnium Orthodoxæ doctrinæ & immaculatæ fidei existis, &c.* Hæc Athanasius, & cum illo Synodus Alexandrina: ex quorum sententia, si Papa dogmata condit, si est firmamentum à Deo fixum & immobile, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur & sustentantur; si omnium hæresum profligator; si Princeps, Doctor, Caputque omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei; planè sequitur, infallibilem esse, & quæ ab illo definita sunt, eo prætextu, quòd errare possit, repelli haud posse: alioquin omnia illa Athanasii encomia adulationes sunt, & verba sensu vacua, captandæ gratiæ tantùm adornata.

III. De

III. De Concilio Carthaginensi circa annum CCCCII. hoc habet S. Innocentius I. PP. *in epist. ad Concilium Carthag.* quæ habetur *Tomo I. Conciliorum: Antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm anteà cùm pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbâstis esse judicium, scientes quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes, tam malè jam damnare novimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quòd Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ: ut quicquid quamvis de disjunctis, remotisq; Provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate (justa quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeq; sumerent cetera Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aqua cunctæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent:) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundi digna corporibus unda vitaret.*

Vides hîc iterum testari Innocentium, ultimam fidei definitionem ad Papam spectare, ab hoc velut natali fonte sanam sincerámque doctrinam fluere: ab hoc alios Episcopos, Ecclesiásque omnes discere, quos absolvere, quos damnare hæresis oportet: quæ omnia falsissima sunt, si Pontifex Ecclesiam docens errare potest, tunc enim ab aliis corrigi & doceri debet: nec illius sententia, utpote incerta, fidei quæstiones finire potest, sed ad aliud forum, aliúmve doctrinæ fontem recurrendum erit.

IV. In Concilio Ephesino *Anno CCCCXXXI.* Cœlestinus Papa, cùm hæresin Nestorianam ipse in Romana Synodo prædamnâsset, Legatos quidem Ephesum ad Concilium misit, sic tamen, ut sententiam Romæ datam exsequerentur, certamque Patribus Regulam præfigerent, juxta quam Nestoriũ contumaciter erroribus insistentem damnarent: sic enim habetur *T. 1. Concilior. in Actis Concilii Ephesini Tomo 2. c. 15.* Evagrio *l. 1. histor. c. 4. Epist. synodali Cœlestini in versione Crescon iana apud Baron. ad annum CCCCXXXI. & Spondan. ibid. n. 4.*

Si ergo Papa hæreses ante Concilium damnat, & quos damnavit à tota Ecclesia pro hæreticis damnari jubet: si Conciliis sententiam, quâ teneantur, præscribit; ergo minùs quàm ipsa Conci-

Concilia errare potest: alioquin non ipse Conciliis, sed hæc Pontifici credenda præscriberent: quod enim hoc paradoxum, ut qui eget doctrinâ doceat, qui non egent doceantur? quique errare à via potest, eos ducat, qui errare non possunt, hoc est, cæcus, confuso rerum ordine, à vidente, magister à discipulo discat, & fons à rivulo bibat?

In Concilio Carthaginensi sub Damaso Papa, qui Anno CCCLXVII. electus est & CCCLXXXIV. mortuus; Stephanus Archiepiscopus, & tria Africæ Concilia *in epist. ad S. Damasum, quæ habetur Tom. 1. Concilior.* & Damasus in responsoria ad eosdem Episcopos, apertè profitentur: *sedi Romanæ Episcoporum judicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, & sententiam de divinis rebus reservatam esse. Apostolicam hanc sedem firmamentum esse à Deo fixum & immobile omniumque verticem Ecclesiarum.*

V. In Concilio Chalcedonensi Anno CCCCLI. prout citat S. Thomas *in opusc. contra errores Græcorum*: *si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad Beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum petram refugii, & ipsi soli liberâ potestate loco Dei sit jus discernendi secundùm claves à Domino sibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam à Vicario Apostolici throni.* Et in condemnatione Dioscori Patres sic acclamârunt: *Sanctissimus Archiepiscopus Magnæ Romæ unà cum ter beatissimo Petro, qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ & ille, qui est rectæ fidei fundamentum (NB.) nudavit eum Episcopatûs dignitate.* Et *in epistola Synodali ad Leonem* gratulantur Patres: *Quòd tantum Antistitem Apostolicæ sedi, unde Religionis nostræ fons & origo manat, Dominus dederit.* Et *in epist. Synodali ad Patres Concilii* Leo Papa negat *dogma fidei à se contra Eutychen & Dioscorum semel declaratæ, in dubium aut disputationem vocari debere: neq; Legatos à se mitti, qui rem decisam definitámque in litteris ad Flavianum datis, examini iterum subdi permittant, sed qui definita exequantur.* Hæc omnia evincunt Papam in causis fidei errare non posse, nam si potest, cur non liceat ejus sententias à Concilio examinari, emendaríque? sed audi ipsum Leonem: *Neque enim abjuncta est à vobis mea præsentia, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum fidei Catholicæ prædicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiam. Unde, fratres charissimi, rejectâ penitùs audaciâ disputandi contra fidem divinitùs inspiratam, vana errantium*

tium infidelitas conquiescat: cùm non liceat defendi, quod non liceat credi, cùm secundùm evangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamq; doctrinam, plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.

VI. In sexta generali Synodo, anno DCLXXXI. quæ habetur *Tomo 3. Conciliorum*, S. Agatho Papa *in epist. ad Constantinum Augustum* non permittit Concilio, *ut aliter in causa fidei pronuntient, quam suis Legatis Pontifex injunxerat, suæq; definitioni nihil addi, nihil minui, sed juxta traditionem Apostolicæ Sedis ut à Prædecessoribus suis conservata est, omnia definiri.*

Hæc utique supponunt Pontificem Romanum non tantùm errare non posse, sed ejus etiam Officii esse regulam credendi, docendique, Concilio præscribere. Sed hanc Pontificis infallibilitatem in eadem epist. (quam summis laudibus extulit, approbavitque eadem sacra & generalis Synodus *Act. 4. & 18.*) adeò clarè Agatho expressit, ut nihil clariùs dici potuerit; sic enim loquitur: *Cujus admitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia, nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est. Cujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutæ sunt, omnesq; venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, &c. & sancti quidem Doctores orthodoxi, venerati atque sequuti sunt: hæretici autem falsis criminationum odiis insecuti, &c.*

Hæc Apostolica Christi Ecclesia, per Omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fecit: Petre inquiens, ecce Sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaq; vestra clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, qui fidelis est, & fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres admonuit.

Ex Conciliis Africanis, quæ anno DCXLVI. quatuor Primates Africæ in subjectis sibi Provinciis convocârunt, data est Synodalis ad Theodo-

Theodorum PP. epistola, in qua, inter alia: *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel longinquo positis ageretur provinciis, non priùs tractandum esset, nisi ad notitiam Almæ Sedis Apostolicæ fuisset deductum, ut ejus auctoritate justâ quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeq; sumerent cetera Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.* Videatur Spondanus *ad hunc annum &c.* & Acta Synodi Lateranensis, *sub Martino Papa.*

VII. In quinta Generali Synodo anno DLIII. *Act. 4.* in sententia, quam contra Anthymum Mennas Patriarcha Constantinopolit. pronuntiavit, hæc habentur. *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, sicut charitas vestra scit, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.*

In septima Synodo *Act. 2.* lecta & approbata est epistola Adriani II. Ad Tharasium Patriarcham, ubi expressissimum Pontificiæ infallibilitatis testimonium extat, sic enim inter alia habet:

Cujus etiam Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumq; Ecclesiarum Dei caput existit. Unde & ipse Beatus Petrus Apostolus, Dei jussu Ecclesiam pascens nihil omnino prætermisit, sed ubiq; Principatum obtinuit & obtinet: cui etiam & nostræ beatæ & Apostolicæ Sedi, quæ est omnium Ecclesiarũ Dei caput, velim beata vestra sanctitas ex sincera mente & toto corde agglutinetur, utpote, quæ revera sit rectè sentiens, & pietatis incorruptæ conservatrix. Hoc sacrificium primùm omnipotenti Deo exhibeatur. Vestraq; beatitudo magnos & piissimos nostros Imperatores supplicibus verbis admonebit, ut Ecclesiæ nostræ vestigia sequentes, coram Deo & horribili ejus judicio, venerandas imagines in regia civitate, & omni loco in antiquum statum restituendas curent, jubeantq;: nimirum servantes traditionem hujus sanctissimæ nostræ Romanæ Ecclesiæ.

VIII. In Concilio Generali Romæ habito anno MLIX. sub Nicolao II. inter alios canones, hic etiam fuit: *Si quis dogmata vel decreta pro Catholica fide, aut Ecclesiastica disciplina à Sedis Apostolicæ Præsule promulgatas contempserit, anathema sit.* Habetur hic Canon *in c. si quis. 25. q. 2. & c. ad abolendam. de hæretic.*

IX. Concilium Lugdun. primum anno MCCXLV. sub Innocentio IV. *in c. un. de homicidio in 6. Pro humani redemptione generis, de summis Cœlorum ad ima mundi descendens, & mortẽ tandem subiens*

temporalem Dei filius Jesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus, post resurrectionem ad Patrem, absq; Pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo (ut suæ stabilitate fidei, ceteros in Christiana Religione firmaret, eorúmque mentes ad salutis opera sua accenderet devotionis ardore,) commisit.

Concilium Lugdunense 2. sub Gregorio X. anno MCCLXXIV. *inc. unico de summa Trinit. in 6. Fideli ac devotâ professione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno Principio: non duabus spirationibus, sed unicâ spiratione, procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia: mater omnium fidelium & magistra.*

In eodem Lugdunensi Concilio Michaëlis Palæologi Imperatoris & Orientalis Ecclesiæ Legati Professionem fidei orthodoxæ ediderunt, quæ & à Synodo Lugdunensi recepta est, & infallibilitati Pontificiæ apertissimum suffragium dedit: videri ea potest apud Raynaldum *ad annum MCCLXXIV. n. 24.* & inter alia hæc habet: *Ipsa quoq; S. Romana Ecclesia summum & plenum primatum, & principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint, quæstiones, suo debent judicio definiri.*

Concilium Lateranense sub Innocentio III. *Anno MCCXV. in c. damnamus de summa Trinitate: Maximè cùm ipse Joachim omnia sua scripta nobis assignari mandaverit Apostolicæ sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans Epistolam, quam propriâ manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra. Reprobamus etiam, & condemnamus perversissimum dogma impii Amarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus Doctrina non tam hæretica, quàm insana sit censenda.*

X. Concilium denique Lateranense sub Julio II. & Leone X. cui Germania, Hispania, Anglia, Dania, Norvegia, Scotia, Italia, & Hungaria amplissimis Legationibus missis adhæserunt, ùt videre est apud Raynaldum *ad annum MDXII. n. 53.* Et Ludovicus Galliæ Rex per suos Oratores acta Concilii Pisani damnans, hoc ipsum

ipsum Lateranense pro legitimo & Oecumenico agnovit, eique se adhærere professus est, ùt habetur in actis ejusdem Concilii *sess. 8. Tomo 5. Conciliorum, Venetæ edit.*

Idem à Galliæ Prælatis factum, qui & ipsi Pisanum Conciliabulum execrati, professi sunt se, & adhærere, & semper adhæsuros Concilio Lateranensi, ùt videre est in actis Concilii *sess. 9.* In hoc ergo Concilio à Gallis, ùt diximus, etiam recepto *sess. 11.* ex professo definita est suprema Pontificis Romani supra Concilium auctoritas, & consequenter omnimoda infallibilitas. In eadem *sess. 11.* rescissa est fatalis illa & Pragmatica sanctio, quæ Carolo VII. Rege in Bituricensi Conventu, vigente Basileensi schismate adversùs Romanorum Pontificum auctoritatem lata fuerat, quámque jam dudum anno videlicet MCDLXII. sub Pio II. Ludovic. XI. in publico Cardinalium Senatu revocaverat.

XI. Hactenus Conciliorum testimonia: Ad objecta jam transeamus.

Dices 1. Quæ hactenus ex Conciliis producta sunt, tantùm probare, summi Pontificis judicium in fidei quæstionibus irreformabile esse, quando Ecclesiæ consensus accessit, non verò, si Ecclesiæ consensus nondum accessit: Ecclesiam enim errare non posse, & ab hujus acceptatione pendere, quam firmitatem Pontificum decreta habeant, vel non habeant.

R. Hujus restrictionis falsitatem ex multis convinci posse. *Primò.* Quia, ut vidimus, Concilia hanc ùt maximam & specialissimam prærogativam Pontifici Romano uni & soli concedunt, fundántque super illa Christi promissione: *Super hanc Petram fundabo Ecclesiam meam, &c. Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, &c.* At verò Decreta condere, doctrinámque aliquam proferre, quæ tunc primùm sit certa, & extra suspicionem erroris, cùm ab Ecclesia recipitur; non est solius Pontificis Rom. prærogativa, sed cujuslibet Episcopi, immò privati Doctoris, cujus opinionem & sententiam aliquam si Ecclesia recipiat, evadet utique certa, & dubii expers; sed hæc certitudo non ad Doctoris ipsius, sed Ecclesiæ privilegium spectat; at verò Concilia de Privilegio Pontifici & soli concesso loquuntur. *Secundò.* Si Pontificis de fide sententia certa non est, nisi post Ecclesiæ consensum: ergo ante consensum erat incerta ac errori obnoxia, ergo recipi poterat, aut re-

pelli, sed Concilia eos, qui Pontificum Decreta non recipiunt, pro schismaticis, naufragis in fide, perditisque habent; ergo supponunt jam antè firma, & certa esse, quàm ab Ecclesia recipiantur, immo recipi debere. *Tertiò.* Certum est ex Conciliis citatis, Pontificem Romanum esse Pastorem, Doctorem & Magistrum Ecclesiæ universalis, ùt expressè habetur in Concilio Constantiensi *sess. ult.* Florent. *sess. ult.* Lugdun. *c. ult. de S. Trinit. in 6.* Lateranensi sub Innocent. III. *c. damnamus de S. Trinit.* Si ergo discipuli partes ad Ecclesiam spectant, Magistri & Doctoris ad Papam; quilibet animo secum reputet, possitne credi divinam providentiam, quæ omnia suaviter, & ad singulorum naturam accommodè disponit, voluisse plus doctrinæ, certitudinis, ac lucis Discipulo affundere, quàm Magistro: & Magistri doctrinam, à doctrina discipuli pendere: & quod discipulus probaret, ratum fixumque esse, quod Magister, dubium, anceps, & in lubrico positum. Denique aut errat providentia, quæ Discipulo plus tribuit, quàm Magistro: aut errant Concilia, quæ Pontificum Decretis omnem certitudinem, parendique necessitatem adscribunt: aut errant illi ipsi, qui hæc omnia Pontifici adimunt.

Dices 2. Concilia non omnimodam infallibilitatem Pontificum decretis asserere, sed primas tantùm in rebus fidei partes, magnamque auctoritatem, non tamen necessariam.

R. Hoc ipso quod Concilia pro *schismaticis*, pro *naufragis*, pro *anathemate dignis*, pro *ejectis ab Ecclesia Catholica* habent, qui Pontificum decreta non recipiunt, suamq; fidem illis accomodant; omnino sequi Pontificis auctoritatem infallibilem esse; nulla enim est auctoritas tam magna, cui si certa non est, sine hæresis aut schismatis nota contradicere non liceat, ùt eleganter docet S. Augustinus *epist. 19. ad Hieronymum*: & passim *tota d. 9.* Et esto sine hæresi Pontificum de fide sententias impugnare possis, non potes tamen, si Conciliis credi debet, sine temeritate, sine periculo: quæ ergo aut imprudentia est, aut cæcus animi impetus, malle temeritatis notari, exponique fidei naufragio, quàm obsequi? Et tandem Concilia non solùm dicunt Pontificis Romani sententias in causis fidei magnæ auctoritatis, sed etiam *definitivas* esse, quæque *litem omnem absolvant, ac dubiis finem imponant*: & quibus *Concilia nihil addere possint, nihil detrahere*; quæ omnia absolutissimam & omnimodam infallibilitatem arguunt, multóque majorem, quàm ipsis Conciliis insit.

§. V.

§. V.

Patrum pro eadem Pontificis infallibilitate consensus unanimis.

Summaria.

1. *Catholicorum est nota cum SS. Patribus sentire, hæreticorum ab illis deficere.*
2. *Testimonia SS. Irenæi, Cypriani, Ambrosii, Augustini, & Innocentii.*
3. *Alia SS. Hieronymi, Cyrilli, Theodoreti, Ioannis Patriarchæ, Tertulliani, Flaviani Patriarchæ, Patrumq; Tarraconensium.*
4. *Alia SS. Fulgentii, Agapeti, Gregorii M. Sophronii Patriarchæ, Theodori Studitæ, Ignatii Patriarchæ, Patrum Concilii Milevitani, Episcoporum Dardaniæ, & Lucii PP. & M.*
5. *Alia SS. Leonis IX. Gelasii, Cyrilli, Anselmi Cantuariensis, Ruperti Tuitiensis, Bernardini, Bernardi, Thomæ Aquinatis, & Stanislai, Hosii.*
6. *Omniumque ferè totius Orbis Christiani Doctorum, paucissimis exceptis, præsertim Patrum Societatis Iesu, etiam in Gallia.*
7. *Quid de Parisiensibus Doctoribus dicendum?*
8. *Brevis anacephalæosis, & repetitio eorum, quæ à SS. Patribus dicta sunt.*

I.

Conciliis Patres subjungimus. Et istorum enim in rebus ad Religionem & fidem pertinentibus summa est, & invicta auctoritas, cùm conspirant: fuitque semper hæc nota, & character hæreticorum, ut à communi patrum

trum doctrina deficerent, novámque, proscriptâ antiquitate proferrent: sicut ex adverso idem semper fuit, Catholicè, & cum Patribus sentire; cùm enim Catholica Ecclesia, hoc est, fidelium multitudo, semper id crediderit, quod à Patribus audiebat, legebátque (quî enim aliter crederet sacrarum litterarum majori ex parte imperita?) necessariò sequitur, eandem fuisse Patrum & Ecclesiæ sententiam fidémque; de quo argumento vide eleganter Melchiorem Canum *de locis Theologicis l. 7.* S. Clementem *in c. relatum.* S. Bernardum *in epist. 190.* ubi inter alia hæc scribit: *Habemus in Francia novum de veteri Magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte dialectica lusit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quàm aliena suscitare conatur, insuper & nova addit. Qui dum omnium, quæ sunt in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum, nescio quid, nescire dignatur, ponit in cœlum os suum, & scrutatur alta Dei, rediensq; ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.*

Et infrà: *Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? omnes, inquit, sic: sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum jactas? quod præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtivas & panes absconditos puto apponet nobis iste. Dic tamen, dic quidquid illud est, quod tibi videtur & nulli alteri. An quòd filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc planè nemini te excepto videtur; tu videris, ubi videris. Non enim hoc à sapiente, non à Propheta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magister omnium suam Doctrinam fatetur non esse suam: Non enim, ait, a me ipso loquor, tu verò de tuo nobis tradis, quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt.*

Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Evangelio secundùm Petrum. Tu nobis novum condis Evangelium? quintum Ecclesia Evangelistam non recipit. Quid lex, quid Propheta, quid Apostoli, quid Apostolici viri nobis aliud evangelizant, quàm quod solus tu negas, Deum videlicet factum hominem, ut hominem liberaret? Et si Angelus de cœlo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit, sed qui venerunt post Apostolos Doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti. Deniq; non erubescis dicere, quòd adversùm te omnes sentiant, cùm ab invicem non dissentiant. Frustra proinde illorum tibi fidem doctrinamq; proponerem, quos jam proscripsisti.

Si ergo

Si ergo ostenderimus sententiam, quam defendimus, omnium Patrum esse; sequetur, aut Patres omnes, & cum illis errâsse Ecclesiam; aut errare illos, qui aliud quàm Patres, quàm Ecclesia sentiunt.

II. S. Irenæus *l. 3. c. 3.* adversùs hæreses: *Quoniam igitur*, inquit, *valde longum esset omnium hîc Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, ac ab omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo fundatæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis & annuntiatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum ad nos usq; pervenientem judicantes confundimus omnes, qui quoquo modo, vel per sui placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & sententiam malam, præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem Principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt ubiq; fideles, in qua ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis traditio.* Nota Irenæum dicere: oportere omnem Ecclesiam in rebus fidei cum Ecclesia & sede Romana convenire: per fidem & doctrinam successorum Petri confundi omnes hæreticos: in hac eadem sede conservatam semper fuisse Apostolicam fidem & traditionẽ, quæ omnino infallibilitatem arguunt Romanæ Cathedræ.

S. Cyprianus *l. 1. epist. 3. Post ista adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto navigare audent, & ad Petri cathedram, atq; ad Ecclesiam Principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est,) ad quos perfidia non possit habere accessum.* Et *l. 4. epist. 8. Nos singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos esse, ut Ecclesia Catholica radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.*

S. Ambrosius *orat. funebri de excessu fratris sui Satyri: Advocavit ad se Satyrus Episcopum, nec ullam veram putavit, nisi veræ fidei gratiam, per contatúsque est ex eo, utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret.*

Idem S. Ambrosius *epist. 11. ad Ageruchiam: In omnibus Romanæ Ecclesiæ formam, & typum sequimur.*

S. Augustinus *contra Julianum Pelagianum l. 1. c. 4. Puto eam tibi partem orbis sufficere debere, in qua primũ Apostolorum suorũ voluit Dominus Glorioſissimo Martyrio coronare. Ecclesiæ præsidentem Beat. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosã juventutem tuam Pelagianis laqueis*

exuisses. Nihil enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quòd antiquitus Apostolica sedes & Romana, cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia. Huic vide quid respondeas, qui cum Irenæo, Cypriano, Hilario, Ambrosio considet, etsi posterior tempore, prior loco.

Idem S. Augustinus *epist. 157. In verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua atq; fundata certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.*

Et *l. 2. contra Pelagium & Cælest. c. 7. Cælestius B. Papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere, immo se omnia, quæ illa sedes damnaret, damnaturum esse promisit.*

Et *l. 2. c. 3. contra duas epistolas Pelagianorum: Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totóque Orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac litteris Innocentii tota de hac re dubitatio sublata est.*

S. Innocentius I. PP. cujus in modò allegatis locis S. Augustinus meminit *in epistola responsoria ad Legationem Patrum Africanorum: Patres olim non humanâ, sed divinâ decrevêre sententiâ, ut quidquid in disjunctis remotisq; Provinciis ageretur, non priùs ducerent definiendum, quàm ad illius sedis notitiam perveniret, ubi tota ejus auctoritate, juxta quæ fuerit pronuntiatio, confirmaretur.*

Scientes, quòd per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur: quod arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.

III. S. Hieronymus *epistola 57. ad Damasum PP. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione censocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine disterminat, nec possum sanctum Domini, interjacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere: ideò hîc collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumq; tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

Idem *epistola 8. ad Demetriadem c. 9. Et quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud*

te pio

te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentij, qui Apostolicæ Cathedræ, & suprà dicti viri successor, & filius est, teneas fidem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidáque videaris, doctrinam recipias.

Idem contra Ruffinum *l. 3. c. 5.* Et tamem miror, quomodo probaverit Italia, quod Roma contempsit: Episcopi susceperint, quod sedes Apostolica condemnavit. Et *c. 6.* Innocentem te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit: absentem, qui accusatus respondere non audes, & tantùm Romanæ urbis judicium fugis, ut magis obsidionem Barbaricam, quàm pacatæ Urbis velis sententiam sustinere. Et *l. 3. Apologiæ:* Scito Romanam fidem Apostolico ore laudatam ejusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annuntiet, quàm semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.

Idem *epistola 58. ad Damasum Papam:* Si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere: Non negamus, sed mihi credite, venenum sub melle latet.

Idem *epistola 77.* Sabellianæ hæresis & impietatis arguor, inquit, tres subsistentes, veras, integras, perfectásq; Personas indefessâ voce pronuntians. Si ab Arianis! meritò. Si ab Orthodoxis! qui hujusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt. Aut si eis placet, hæreticum me cum occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petróque condemnent. Quid unum hominem, exceptis sociis criminantur? si rivus denuiter fluit! non est alvei culpa, sed fontis.

S. Cyrillus Alexandrinus *epistola ad Cœlestinum Papam:* Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hîc sentias, declarare; quò liquidò nobis constet, communicarénе nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat.

Theodoretus Cyri Episcopus *epist. ad Leonem Papam:* Est enim ipsa sedes Romana amplissima, splendidissima, & orbi præsidet. Præterea ipsa principatum Imperatorium profudit, ac nomen suum, id est, Romanum, cum iis, qui in ditione ejus sunt, communicavit. Fides verò præcipuè eam ornat: testis est Paulus, qui clarissima voce ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo, &c. Ego verò suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro átq; obsecro sanctitatem vestram, ut ea me, tribunal vestrum justum, ac rectum appellantem, defendat, ac protegat, jubeátq;, ut ad vos accurram, & doctrinam meam vestigiis Apostolicis insistentem ostendam;

vestram sententiam expecto: quòd si sententiæ eorum, qui condemnârunt, acquiescere jusseritis, acquiescam, nulli deinceps futurus molestus. Quin potiùs, expectabo incorruptum Dei & Salvatoris nostri tribunal.

Idem *epistolâ ad Renatum Presbyterum: Quamobrem deprecor te, ut sanctissimo Archiepiscopo (Leoni Papæ) suadeas, ut Apostolicâ auctoritate utatur, jubeátq; ad vestrum Concilium adire. Tenet enim sancta ista sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum, cum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris experi mansit, nec ullus unquam, qui contrarium sentiret, in ea sedit: quin potiùs Apostolicam gratiam puram custodivit. Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumque erunt, judicii vestri integritate consisi, amplectemur.*

Joannes Patriarcha Constantinpolit. *epist. ad Hormisdam PP. Prima salus recta fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur religio.*

Theodoretus *exempl. ex V. lege: Quòd si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritûs, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis, qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso adferret solutionem, multo magis hi, qui abjecti sunt & pusilli, ad Apostolicam Sedem debent accurrere, ut Ecclesiarum ulceribus medicinam à Petri successore accipiant.*

Maximianus Constantinopolit. Patriarcha: *Omnes fines terræ, quæ Dominum syncere receperunt, & ubiq; terrarum Catholici veram fidem confidentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò, quia Petrus legitur primè perfectam fidem esse confessus, Domino revelante, cùm dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, &c. Decebat tantæ dignitatis & sapientiæ virum non ab alio cœlestis mysterij arcana requirere, nisi ab eo potissimùm, quem non potuit caro & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Barjona, &c. Hunc enim de ceteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedram magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit, ut quisquis divinum aliquid aut profundum nôsse desiderat, ad hujus præceptionis oraculum, doctrinamq; recurrat: ne illi humiliter referre, quod solvendum est, erubescat, etiamsi ipse, quod quæritur, non ignoret.*

Tertullianus *de præscript. Inde à Romana Sede nobis auctoritas præstò est:*

est: hæc enim felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.

S. Cyprianus *l. 1. epist. 8. Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, Romam navigare audent; & ad Petri cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.*

S. Flavianus *epist. ad Leonem PP. Causa enim eget solummodò vestro solatio atque defensione, quâ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Si enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubiq; sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.*

Patres Tarraconenses *in epist. ad Hilarium PP. Leonis successorem: Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam: inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totiũ deliberatione præcipitur.*

S. Gelasius Papa *in epist. ad Episcopos per Lucaniam, Siciliam, &c. Indignum est quemquam Pontificum hanc observantiam refutare, quam Beati Petri Sedem & sequi videat & docere; satisq; conveniens est, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum.*

IV. S. Fulgentius *in libro de Incarnat. Verbi, & Gratia ac libero arb. Id enim quod duorum magnorum luminarium Petri scilicet Pauliq; verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorúmque decorata corporibus, Romana, quæ mundi caput est, tenet & docet Ecclesia; totus cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

S. Agapetus *in epist. ad Patres Carthagine congregatos: Constituentes, ut si quis Catholicæ nostræ fidei contraire tentaverit, quam pro submovenda hæreticorum suspicione paternis regulis consentaneam præsenti definitione firmamus, sanctæ communionis efficiatur extraneus.*

S. Gregorius Magnus *l. 4. epist. 52. Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine, judicio sedis Apostolicæ indigeat; examinatâ diligentiùs veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat*

congruâ sine dubio sententiâ terminari. Idem habet *l. 7. epist. 31. & 32.*

Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus *epistolâ ad Stephanum Episcopum: De finibus terræ usq; ad terminos ejus ambula, donec ad Apostolicam sedem, ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias.*

S. Theodorus Studita *epist. ad Paschalem Papam: Audi Apostolicum caput, pastor ovium Christi à Deo electe, claviger Regni Cœlorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica, &c. Huc ades, ab Occidente exurge, & ne repellas in finem. Tibi namq; dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Idem *epist. ad Michaëlem Imperatorem: Si verò aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra divina Magnificentia, ejus rei explicatio à Pontifice piè est postulanda: magna & à Deo firmata manus vestra, ut publica cupida utilitatis, jubeat à veteri Roma capere declarationem, ut à principio à Patribus nostris est traditum. Ea, ô Christi imitator, inter omnes Ecclesias Dei summum & supremum obtinet locum: cujus Petrus tenuit primam sedem, ad quem dicit Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Idem *epistolâ ad Naucratium: Testor nunc coram Deo & hominibus, divisi sunt à corpore Christi, & à suprema sede, apud quam Christus deposuit claves fidei, adversùs quam portæ inferi à seculo non prævaluerunt, nec prævalebunt usque ad consummationem ejus, hæreticorum videlicet effrænata ora, secundùm promissionem veracis Domini.*

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolit. *epist. ad Nicolaum Papam, quæ habetur in Actis octavæ synodi Act. 3.*

Patres Concilii Milevitani *epistolâ ad Innocent.* cujus meminit S. Augustinus *epist. 92. Multo plures, qui Pelagij sensus diligentiùs indagare potuerunt, adversùs eum pro Christi gratia, & Catholica fidei veritate confligunt, præcipuè S. Filius tuus frater & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adjuvante misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, qui te regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati Sanctitatis tuæ, de sanctarum scripturarum auctoritate deprompta, faciliùs eos (qui tam perversa & pernicioſa sentiunt) esse cessuros.*

S. Petrus Chrysologus *epist. ad Eutychen: In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis præscripta sunt, obedienter attẽdas: quoniam B. Petro, quia in propria sede & vivit, & præsi-*

& præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas non possumus.

Episcopi Dardaniæ ad Gelasium PP. Desiderij enim & voti nostri est, jussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedi Apostolicæ, quæ vitæ & meritis vestris delata est, intemerata servare, atque religionem Orthodoxam, cujus estis prædicatores, fide & inculpatâ devotione, prout rusticitatis sensus patitur, custodire, &c. Si quis fortè pravâ intentione (quod néque arbitramur, néque optamus) à sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur: quoniam, ùt dictum est, Patrum in omnibus custodientes præcepta, & inviolabilia sanctorum Canonum instituta sectantes, Apostolicæ & singulari illi sedi vestræ communi fide & devotione parere contendimus.

S. Lucius PP. & Mart. in epist. ad Episcop. Hispaniæ & Galliæ *quæ habetur*, Tom. 1. Conciliorum: Hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus depravanda succubuit: sed, ùt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evangeliis: Petre, inquiens, ecce sathanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

V. *S. Leo IX.* epist. ad Petrum Antiochenum, *quæ habetur* Tomo 4. Conciliorum: Siquidem ab Apostolica tua sede nostram Apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deviare à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordi decreto, quo inviolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Ecclesiis, sancta Romana & Apostolica sedes caput præponitur, ad quam majores & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur, sicut omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse sanctus sanctorum, & Dominus Dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præful-

„ præfulgeat, & præcellat, ubi ipse vertex atque Cardo Apostolorum „ Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die exspectat. „ Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus & „ Salvator asserit se rogâsse, dicens: Simon, Simon, ecce Sathanas expe- „ tivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non „ deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. „ Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri „ non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum „ sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei pericli- „ tationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.

„ *S. Gelasius PP.* epistolâ ad Athanasium Imperat. *quæ habetur* T. „ 2. Conciliorum: Hoc est quod sedes Apostolica magnopere cavet, ut „ quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nullâ rimâ pravita- „ tis, nullâ prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, „ quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cui- „ quam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus „ posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse „ pace componi, quod nos de totius orbis terrarum sumus universitate „ facturi, si (quod absit) nostra fuerit prævaricatione deceptus?

„ *S. Cyrillus* apud S. Thomam in catena Lucæ 22. Secundùm hanc „ Christi promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, „ & hæretica circumventione manet immaculata.

„ *S. Anselmus Episcopus Cantuariensis* c. 1. de Incarnat. verbi: Do- „ mino & Patri universæ Ecclesiæ in terra pugnantis, summo Pontifici „ Urbano. Divina providentia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, „ & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam „ committeret. Ad nullum itaque alium rectiùs refertur, si quid contra „ Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur, „ nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut „ ejus prudentiâ examinetur.

„ *B. Rupertus Tuitiensis* l. 2. de divinis offic. c. 22. Tantis hære- „ sibus fermentata est Græcia, ut mirum videri non debeat hoc, quòd „ de fermento immolat. Tantæ è contrario synceritatis semper fuit „ Romana Ecclesia, ut cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi „ facultas, sola illi de azymo contra Græcos sufficere debeat ejus aucto- „ ritas. Nam Constantinopolitana non solùm hæreticos, sed & hæresi-

archas

archas protulit multos: Romana verò Ecclesia, super Apostolicæ fidei " Petram altiùs fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ quàm totius orbis " hæreticos semper confutavit, & de excelso fidei tribunali datâ sententiâ " judivicavit. "

S. Bernardinus Senensis p. 3. serm. 3. Cùm Papa sit Christi Vicari- " us, & gerat vicem Dei in terris, sequitur, quòd habet plenitudinem po- " testatis, & illud quod facit, præsumitur facere auctoritate Dei. Ideò " ipso approbante aliquid, & nos approbare debemus, immo ipsius sen- " tentiæ est magis standum, quàm totius mundi sententiæ. "

S. Bernardus epist. 190. ad Innoc. PP. Oportet ad vestrum referri " Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno DEI, " ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror " ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defe- " ctum. Hæc quippe hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquan- " do dictum est: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Er- " go quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conver- " sus confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium. Tempus est, " ut vestrum agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis ze- " lum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus " tenetis & sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confir- " matis, si vestrâ auctoritate conteritis fidei corruptores. "

S. Thomas Doctor Angelicus 2. 2. q. 1. a. 10. *Et* ibid. ad 3. *Item* in " opusc. 1. contra errores Græcorum. *Idem* opusc. in symbol. Apost. "

Stanislaus Hosius in confessione Catholicæ fidei c. 38. Sola Ro- " mana Ecclesia, quam ab exordio fidei Christianæ normam ac- " cepit, in ea semper illibata permansit. Defecit Hierosolymitana " Ecclesia, cui præsedit Jacobus: defecit Achaja, ubi Andreas: " defecit Asia, ubi Joannes: defecit India, ubi Thomas: defe- " cit Persis, ubi Judas: defecit Æthiopia, ubi Matthæus: defecit " Phrygia, ubi Philippus: defecit Græcia, ubi Paulus. Sola fuit, & est " Romana Ecclesia, ad quam, sicut præclarè scribit Cyprianus, nun- " quam accessum habere potuit perfidia: quæ mille jam quingentis & " ampliùs annis ita est Catholica semper & Apostolica habita, nun- " quam ut ullâ fuerit hæreseos labe maculata. In qua videre et- " iamnum licet viros & vitæ sanctimoniâ, & doctrinâ præstantissimos. "

„ Neque enim existimandum est, si quando ad Petri cathedram de causis „ majoribus refertur, solum esse Paulum, aut Julium Pontificem, qui de „ illis judicet. Habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctiss. „ mos, quibus ipse minimè doctrinâ secundus præsidet, de quorum con„ silio de rebus gravioribus pronuntiat. Quamobrem ferendi non sunt, „ qui Pontifici se dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo, aut „ Julio, sibique hoc arrogant, suum ut esse velint judicium, quando ut „ Pontifex, quando ut Julius decernat. Quæ si semel admissæ fuerint „ captiones, omnis erit è terris obedientia sublata.

VI. Denique Theologi omnes, si paucissimos excipias, hanc ipsam de Pontificis infallibilitate sententiam docuerunt, præsertim verò Patres Societatis: immo isti acerrimis censuris contrariam opinionem fixerunt, ùt videre est apud Suarez *de fide d. 5. n. 8.* Salmer. *ad finem Tomi 12.* Layman, *de fide c. 7.* Amicum *de fide d. 7.* Eóque ardor Religionis & observantiæ Patres Societatis provexit, ut Parisiis in Collegio Claremontano *Anno MDCLXI. die 12. Decembris*, contra hæreses & Schisma sæculi decimi hanc thesin publico soli exposuerint, immo & defenderint: *Datur in Ecclesia Romana Controversiarum fidei judex infallibilis etiam extra Concilium generale; tum in quæstionibus juris, tum facti; unde post Innocentij X. & Alexandri VII. constitutiones fide divinâ credi potest librum, cui titulus Augustinus Jansenij, esse hæreticum, & quinq; propositiones ex eo decerptas esse Jansenij, & in sensu Jansenij damnatas.*

Hanc eandem sententiam de infallibilitate Pontificis in facti quæstionibus docet P. Richardus Archdekin *p. 1. Tr. 1. q. 3.* & opinionem contrariam acerbè pulsat.

VII. Doctores Parisienses quod attinet, enimverò nostrum non est, quid illi scribant, dicere, multóque minùs quid sentiant, hoc enim nimis occultum est, illud nimis apertum: maximè cùm sæpe alia sit mentis, alia calami sententia, & tunc præsertim, ubi tutiùs aliqua cogitantur, quàm scribuntur. Quia tamen Parisienses Doctores nobis objiciuntur, multósque tanti nominis auctoritas movet, credúntque illis ducibus, non impunè tantùm, sed etiam gloriosè errari posse; nos, ut veritas omni ex parte in tuto sit, quid Parisienses hac in re sentiant, aliorum verbis, non nostris, nec enim suspicione vel minimâ tangi volumus, expromemus.

P. Augu-

P. Augustinus à Virgine Maria strictioris observantiæ Carmelita Gallus Provinciæ Turonensis *in anno tertio Cursûs Theologici Tr. de fide d. 10. q. 3.* hæc scribit: *Dicuntur communiter, & contra nos esse Doctores Parisienses: quo titulo tamen id adeò universim de ipsis dicatur, vix possum certò agnoscere; & præter paucos jam citatos, hucúsque alios ex illa facultate probatos Auctores non habemus, qui typis defendant sententiam nostræ oppositam. Immo Du-Vallius insignis Sorbonæ Doctor, & Cathedrarius, in quadripartita disputatione de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate part. 2. acriter propugnat hanc infallibilitatem Papæ: ubi & testatur hanc esse consuetudinem Academiæ Parisiensis, ut Baccalaurei de quæstionibus Theologicis solemniter responsuri, protestationes præmittant, se nolle quidquam contra decreta sanctæ sedis Apostolicæ & Romanæ asserere, aut defendere. Et præfatum librum cum præclaro encomio approbârunt duo Sorbonici Doctores.* Idem in fine *q. 4.* testatur: *Quòd nihil quidquam à facultate Parisiensi contra Pontificis infallibilitatem unquam sit definitum: unde præter D. Thomam citatum, refert idem pro nostra sententia Doctores Parisienses, Divum Bonaventuram, Hervæum, Armonium, Henricum de Gandavo socium Sorbonicum, Joannem de Cellaja socium item Sorbonicum; ac tandem Tractatum illum in fine Magistri sententiarum impressum, in quo errores Joannis refutantur, & prima conclusio est, quòd ad S. sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali supremâ, circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire. Et probatur: quia fides ejus nunquam deficit: Rogavi pro te, ut non deficiat, &c. Quidam verò alii quæstionis decisionem refugiunt, ùt Gammachæus hîc quæst. 1. cap. 12. Ysambertus tractatu de Judice controversiarum, disputatione ult. De aliis autem, qui suas opiniones typis non mandant, etsi non tam audacter nostram sententiam non tam publicè velint sustinere; audio tamen non paucos eam intra privatos parietes prorsus amplecti.*

Richardus Archdekinus Hibernus S. J. Theologus *in sua Theologia tripartita p. 1. tract. 1. q. 1. Postremò hîc extorquendum est telum quibusdam, qui hoc tempore in partibus hæreticorum se vocant Missionarios Apostolicos, nec dubitant tamen, ut evehant potestatem Principum sæcularium, Apostolicæ sedis auctoritatem infra Concilium deprimere: ac confidenter asserere, hanc esse Ecclesiæ Gallicanæ certam & indubitatam doctrinam.*

Verùm in hoc produnt crassam rerum Gallicarum ignorantiam, dum suam & paucorum labem omnibus Galliæ Theologis affricare nituntur. Testatur id mecum celebris scholæ Sorbonicæ Doctor Andreas Duvallius agens de ea sententia, quæ asserit Pontificem esse supra Concilium generale. Tract. de Rom. Pontificis potestate p. 4. q. 7. Totus, inquit, orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam (sententiam) amplectitur, & rationibus validissimis, cùm ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmatur. Atq; idem Doctor luculenter ostendit in Aateloquio, §. quo pacto: Concilium Basileense, in hoc puncto Pontificiæ auctoritati inimicum, ab universa Ecclesia explosum semper rejectúmque fuisse, nec aliam in hoc esse fidem Gallia, quàm universalis Ecclesiæ. Hujus rei præclarum præbuêre argumentum Episcopi Galliæ, & Doctores Sorbonæ, quando Parisiis Anno MDCXI. prodiit libellus Anonymus de Ecclesiastica, & politica potestate, qui cùm in hac quæstione videretur Pontificis auctoritati adversari, Cardinalis Perronius, unâ cum Episcopis Provinciæ Senonensis, & posteà Aquensis Provinciæ Antistites gravi censurâ libellum notârunt, ac suo decreto condemnârunt. Quorum sententiam ipse Auctor libelli posteà amplexus est, suumq; errorem debitè retractavit. Abeant jam inanes fabellæ, de Ecclesia Gallicana universa in hoc dogmate Pontifici contraria; faceſſat quoque credula animis talium Missionariorum impudentia, qui, ut cupiditatibus suis velificentur, à veritate auditum avertunt, & ad tales fabulas convertuntur. Hæc Archdekin.

VIII. Et hactenus quidem Patrum Doctorúmque omnis ætatis testimonia, quæ legi, audiríque à nullo possunt, qui non continuò persuasum habeat, omnes illos in rebus fidei, supremum judicium, certámque sententiam Romano Pontifici tribuisse. Volunt lite aliquâ de rebus fidei exortâ, Romam ad judicium iri: volunt sententiam illic datam Oraculum esse, cui nisi obtemperes, hæresin oleas, aut ab Ecclesia defectionem: volunt quod Papa definierit finitum esse, nec ampliùs in dubium vocari posse. Hieronymus tres hypostases in Trinitate agnoscet, si Damasus jubeat. Augustinus hæresin Pelagianam, toties victam, toties pugnæ restitutam, tunc demum profligatam esse dicit, ubi Pontifex de prælio miscuit, eamque truncatam voluit: Patres Nicæni Concilii tam certam habent Pontificis Romani sententiam, ut majora Ecclesiæ negotia illi reservata velint. S. Athanasius Patrésque Africani hanc unam sedem adeò erroris expertem dicit, ut ab illa dogmata fidei majores sui,

& velut

& velut à matre lac synceræ doctrinæ acceperint. S. Cyrillus non priùs audet Nestorium inter hæreticos censere, quàm à Cœlestino Papa damnatum. S. Cyprianus non posse perfidiam habere ad Petri cathedram accessum. S. Fulgentius adò, quæ à Pontifice Romano decernuntur, certa esse, ut quod ille tenet, docetque, totus Christianus orbis nihil hæsitans credat. S. Agatho & cum illo Patres 6. Oecumenicæ Synodi nullum omnino errorem nullámque hæresin Petri cathedram insedisse, nec unquam deinceps futurum, ut Petri successores, pro quibus tam serió Christus oravit, à vera fide deficiant. Denique omnium ferè Patrum, Græcæ, Latinæque Ecclesiæ est una, constansque sententia, non posse in rebus fidei decernendis Pontificem errare. Huic tantâ pietate, doctrinâ, rebusque pro Ecclesia gestis illustrium virorum choro, si tu Gersonem, Almainum, & Ochamum opponas, qui contrarium docuerunt: quid amabò aliud facies, quàm ut paucos aliquot, & gregarios milites cum castris Heroum conferas, tenuesque radios cum ingenti sole componas? magnus fatemur Gerson, sed quis ille, ut Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Athanasio, Gregorio, totique Oecumenicæ Synodo præferatur? Et quæ ratio, aut æquitas postulat, ut uni mille: non sancto, tot sanctos: Cancellario Parisiensi, Doctores Ecclesiæ, immo ipsam Ecclesiam, quæ ex illorum sententia pendet, cedere oporteat? tu ergo Gersoni fidem habes, non habes Hieronymo, non Athanasio, non Fulgentio, non Augustino, ad quorum vestigia, si Gerson viveret, pronus lubensque accideret? At Patres non clarè loquuntur: immo tam clarè, ut clariùs non possint: quid enim tam clarum, quàm illud Fulgentij: *Quod Romana, quæ mundi cacumen est, tenet, & docet Ecclesia, totus cum ea Christianus orbis nihil hæsitans credit.* Et illud Augustini: *Quid potuit vir ille S. Innocentius Papa Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia.* Et illud Hieronymi: *Ego Beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ Petri communione consocior: quicumq; extra hanc domum comederit, profanus est, quicumq; tecum non colligit, spargit. Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas.* Et illud Agathonis Papæ, sextæque Synodi: *Sedes Romana à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erravit, & in ea veræ fidei lumen nullâ hæretici erroris, nec falsitatis nebulâ fuit confœdata, sed illibata finetenus permanet juxta pollicitationem Petro factam:*

Pro te rogavi, ut non deficiat fides, &c. Hæc planè & alia plura sanctorum Patrum testimonia tam clara & perspicua sunt, ut ad ea intelligenda, nec face, nec glossâ opus sit, sed oculo tantùm sano purgatóque, nec privatis affectibus tincto; alioquin ægris infectisque oculis, ne sol quidem sine umbra & maculis est.

§. VI.

Praxis, ususque Ecclesiæ pro eadem infallibilitate Pontificis Romani.

Summaria.

1. *Praxis Ecclesiæ ex modo loquendi apud scriptores Ecclesiasticos.*
2. *Qui à Pontifice Romano definitis non acquiesceret, pro schismatico haberi solitus.*
3. *Nota Catholicorum, damnare, quæ Romana Ecclesia damnat; approbare, quæ approbat.*
4. *Lites in causa fidei ex sententia Romani Pontificis finiri solitæ.*
5. *Multæ hæreses à Romano Pontifice extrà Concilium damnatæ.*
6. *Responsiones ad objecta.*

1.

SI Legum Christi interpres nullus sanior est, quàm perpetuus Ecclesiæ usus, erit, speramus, omnibus numeris confecta demonstratio, ubi ostenderimus Canonum, Conciliorum, Patrúmq; de Romani Pontificis infallibilitate sententias, non imaginarias tantùm, & intra calamum chartámq; stetisse, sed perpetuo Ecclesiæ usu confirmatas:

firmatas: hunc autem Ecclesiæ morem usumque ex multis capitibus colligere licet.

Primò. Quòd passim in historia Ecclesiastica, sacris Conciliis, & Patrum Commentariis multi loquendi modi occurrant, qui hanc ipsam, de qua agimus, infallibilitatem ostendunt, quales sunt: *Quòd Romana sedes sit fidei fundamentum: quòd inde Religionis nostræ fons & origo manat: quòd, quæ illa damnat, omnes damnent, quæ approbat, omnes approbent: quòd semper ejus doctrinam omnis Catholica Christi Ecclesia, universales Synodi, sanctiq; Patres fuerint secuti: quòd omnium fidelium & Ecclesiarum disponente Domino existat Magistra.* Hæc, ùt diximus, legenti passim & ubique occurrunt, nec dici omnino possunt, nisi de doctrina planè infallibili, & ab omni errore aliena.

II. *Secundò.* Quòd, qui aliquid à Romana sede definitum non reciperent, schismatici haberentur, & cum illis nemo communicaret; quod manifestissimo argumento est, Romanæ sedis in rebus fidei sententias certissimas esse, nec enim schismaticus aut hæreticus est, nisi qui certæ compertæque veritati se opponit: quæ enim incerta & dubia sunt, ac intra opinionem consistunt, recipi pro arbitrio possunt, repellive: nec propterea, qui hoc facit, hæreticus aut schismaticus est. Sed testes hujus veritatis producamus. Pelagius Papa, & apud illum Augustinus *in c. schisma 24. q. 1. Idipsum enim magis est, propter quod schismatici sunt: quia non eos diversa sentiendi judicium, sed quædam apud se delata, sibi tamen incognita metuentes, & contra Apostolicam sedem temerè credentes pessima divisit opinio. Quod schisma specialiter esse, beatus denuntiat Augustinus, dicens de talibus, adversùs auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica sede epistolas accipere meruerunt, & temerè credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

S. Cyrillus Alexand. *epist. ad Cœlestinum Papam: Quamvis hæc ita se habeant, non priùs tamen Nestorij communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Dignêris proinde, quid hîc sentias, declarare; quò liquidò nobis constet, communicarene nos cum Nestorio oporteat, an verò liberè eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat.*

S. Hieronymus *epist. ad Damasum: Hîc in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat; ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atq; Paulinus tibi hærere se dicunt: possem credere,*

credere, si hoc unus assereret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Et in alia ad eundem Damasum epistola: *Ego Beatitudini tua, hoc est, cathedræ Petri communione consocior: non novi Vitalem, Meletium nescio, quicumq; tecum non colligit, spargit.* S. Leo *epist. 87. ad Episcopos Viennensis Ecclesiæ: Prædicationis Evangelii Sacramentum ita Dominus ad omnes Apostolos pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summe principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii esse divini intelligeret, quisquis ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* S. Cyprianus *l. 4. epist. 8. de cathedra Petri loquens: Scimus hortatos nos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent, & tenerent.* S. Ambrosius *Orat. de obitu Satyri: Rogavit si cum Episcopus Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia consentiret.*

Dices: Eos tantùm à SS. Patribus notari, qui se à communione, & fide sedis Romanæ, quoad omnia separant, non verò in una tantùm alteráve causa.

Resp. Patres, ùt ex adductis testimoniis patet, de causis tantùm particularibus loqui, eósque arguere, qui semel à Pontifice definitis non acquiescunt; & meritò: sicut enim fides Catholica partes non recipit, & qui vel unum non credit, nihil credit, estque hæreticus: ita qui vel in uno dogmate semel definito cum Romano Pontifice non communicat, in nullo communicat, negátque illi, quod maximum & præcipuum habet, privilegium videl. summi Pastoris, fundamenti, Petræ, & Magistri Ecclesiæ, sicque non contentus ramum aliquem aut florem carpere, ipsas radices sacræ illius dignitatis incîdit.

III. *Tertiò.* Patres exortâ aliquâ fidei dubitatione, ut ab hæreticis certâ notâ distinguerentur, certique ipsi essent veritatis, se id credere profitebantur, quod crederet sedes Petri, suamque fidem illius judicio submittere, & quod damnaret se quoque damnare; hoc verò supponit Romanæ Sedis doctrinam veram omnino esse & certissimam, incapacemq; erroris: cùm enim fides certissima sit, nullumq; dubium admittat, oportet fidei quoque regulam certissimam esse; alioquin fides dubio principio nixa, & ipsa dubium reciperet, quod fieri nequit: si ergo doctrina Pontificis Romani sanctis illis Patribus regula credendi fuit, in quam fidem suam tutò reponebant; oportet quoque & illam fixam omnino, & immobilem esse, & si non est, sanctos illos Patres, velut anchoris, quibus tenerentur, perditis, fluctuâsse potiùs, quàm credidisse,

didisse. Sed ipsos audiamus. S. Ambrosius *epist. 11. ad Ageruchiam: In omnibus Romanæ Ecclesiæ formam & typum sequimur.* S. Basilius *epist. 77. Cùm ad hunc modum habeant res nostræ, debebant continuè à vestra dilectione ex sinceris fratribus aliqui mitti, qui nos afflictos & oppressos invisérent, & multo crebriùs amicæ ad nos vestræ destinari litteræ, quibus vel in proposito confirmaremur, vel, si qua in re offendamus, corrigeremur. Non enim negamus, innumeris nos obnoxios erroribus esse, cùm homines simus, & in carne vivamus: parati hac in re vestram institutionem amplecti.*

Ruffinus *in symboli explanat. Siquid parùm cautè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes.* Theodoret. *epist. ad Renatum Presbyterum: Quare quæ ab isto vestro tribunali proficiscentur, qualiacumq; erunt judicii vestri integritate confisi amplectemur.* S. Hieronymus *epist. ad Damasum de tribus hypostasibus: Idcirco obtestor beatitudinem tuam, per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi: ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria communicare debeam, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. Discernite obsecro: non timebo tres hypostases dicere, si jubetis. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam, per Crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

Theodoretus *l. 5. hist. c. 2. Gratianus toto Imperio potius, scripsit legem, quâ jubebat sanctas Ecclesias tradi his, qui Damasi, (is erat Episcopus Romanus) communionem amplexarentur.*

Abbas Joachimus, ut ex Concilio Lateranensi *in c. 1. de Summa Trinit.* refertur: *Confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino cunctarum Mater est & Magistra.*

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus in chirographo, quod jam moriens scripsit, hoc suæ fidei monumentum reliquit, *ut sess. ult. circa finem Concilij Florentini habetur: Joseph miseratione divinâ Constantinopolis, & Novæ Romæ Archiepiscopus, ac Oecumenicus Patriarcha. Quoniam ad extremum vitæ meæ perveni, idcirco pro meo munere dilectis filiis benignitate Dei meam sententiam his litteris palàm facio. Nam quæ Domini Jesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ Veteris sentiat ac celebret, omnia me quoq; sentire, credereq; profiteor, ac ipsis plurimùm acquiesco. Beatissimum autem Patrum patrem, ac summum Pontificem, Romæq; Veteris Papam, Domini Nostri Jesu Christi Vicarium esse concedere, atq; animarum Purgatorium esse non inficior. Datum Florentiæ, die Octavâ mensis Junij, millesimo quadringentesimo trigesimo nono.*

IV. *Quartò.* Natâ hæresi aliquâ, quæ Ecclesiam turbâsset, non priùs etiam apud Catholicos dubitandi disputandique finis erat, quàm pronuntiata à S. Pontifice sententia; tunc enim verò dato velut signo finis inter Catholicos certandi erat, & hæresis conclamata; quod evidens signum est, persuasum fidelibus fuisse, sententias Romani Pontificis in quæstionibus fidei certissimas esse, nec errori subjectas; alioquin non poterat illos sententia incerta certos reddere, dubia indubios, & errori exposita, ab omni errandi periculo liberos. Testes hujus veritatis sunt Sozomenus *l. 6. c. 22. Qua de controversia,* inquit, *Romanus Pontifex certior factus, scripsit ad Ecclesias Orientis litteras, ut unà cum sacerdotibus & Episcopis Occidentis, Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloriâ æqualem existimarent. Quo facto, singuli rebus ab Ecclesia Romana semel judicatis, acquieverunt, hæcq; controversia finem habere visa est.*

S. Prosper *contra Collatorem, & in Chronico: Tunc Pelagianorum Machinæ fractæ, quando B. Memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit.*

S. Augustinus *l. 2. contra Pelagium & Cœlestium c. 7. Cœlestius B. Papæ Innocentij non est ausus litteris obsistere, immo se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.* S. Augustinus *l. 1. c. 1. ad Bonifacium PP. Concilio apud Carthaginem habito 217. Episcoporum, ad Pontificem Zozimum synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum hæresis Ariana damnata est.* Patres Milevitani *epist. ad Innoc. l. Arbitramur, adjuvante misericordiâ Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis Tuæ de sanctarum scripturarum auctoritate deprompta, facilius eos, qui tam perversa sentiunt, esse cessuros.*

S. Cyrillus *epist. ad Cœlestinum Papam de hæresi Nestorij: Porrò Tua integritatis mens, & super hac re scientia, non modo religiosissimis Deoq; pissimis devotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoq; Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectæq; Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.*

Constantinus Magnus in edicto cui initium: *Ea quæ Salvator noster, &c.* (habetur hoc edictum in codice Conciliorum quatuor Generalium Coloniæ edito Anno MDXXX.) *fol. 58.* hæc habet: *Et Pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Princeps*

ceps cunctis Sacerdotibus totius mundi existat, & ejus judicio quæq; ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procurandam fuerint, disponantur; justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatûs, ubi sanctarum legum institutor Salvator noster beatum Petrum Apostolatûs obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens, beatissimum mortis sumpsit poculum, suiq; Magistri & Domini imitator apparuit.

Hieronymus de Irenæo Romam misso *in catalogo*: *Omnium doctrinarum curiosissimus explorator, non moles ædificiorum Urbem circumeundo contemplabatur, sed Apostolicæ Ecclesiæ fidem, ritus, mores, ac disciplinam, quam illi Petrus & Paulus Apostolorum Principes tradidissent, perscrutabatur, nactusq; ibi Apostolicas traditiones integras & illibatas, ut ab Apostolis traditæ fuerant, vigilantissimè custoditas & integerrimè conservatas, ad eas omnes, quos scriptis exagitat, exinde provocavit hæreticos, quos sciret eo solo tam patenti testimonio (si quæ in eis reliqua esset ratio veritatis) posse convinci.*

V. *Quintò denique.* Multæ hæreses à solo Romano Pontifice extra Concilium damnatæ sunt, extinctæque, quod fieri non poterat, nisi ab auctoritate infallibili & errare nescia: sicut enim fides est de re certa, & cui falsum subesse non potest, ùt eleganter declarat S. Bernhardus *epist. 190. ad Innocent.* ita hæresis est rei certò falsæ, & cui verum subesse non potest: ergo sententia Pontificis, quâ declarat opinionem aliquam esse hæreticam, omnino est certa & infallibilis; alioquin nec declaratio erit certa, utpote ab auctoritate incerta profecta: nec id quod declaratum est, certò ad hæresin pertinebit, cùm fieri non possit, ut à principio incerto deducatur conclusio certa, quemadmodum si non est certum te aquâ elementari baptizatum esse, ita nec erit certum te verè baptizatum, & Christianum esse. Fuisse verò quamplures hæreses auctoritate solius Pontificis extra Concilium generale damnatas, dubium non est. Nam hæresin Nestorianam damnavit Cœlestinus Papa anno CCCCXXX. & quamvis eam S. Cyrillus priùs jam confutasset, nunquam tamen ante Pontificis sententiam ausus est Nestorium pro hæretico habere, uti patet ex ejusdem Cyrilli *ad Cœlest. epist. quæ habetur tomo 1. Concilior. Venetæ editionis.* Et licèt Cœlestinus in eadem Nestorij causa Concilium generale indixerit, id tamen fecit, ut turbæ in Ecclesia natæ sopirentur, atq; ut Nestorij fautoribus, quos plurimos habebat, & præpotentes, omnis calúmniandi tergiversandiúque occasio tolleretur, ut in eo Concilio non

hæresi à Cœlestino prædamnatæ venia daretur, sed Nestorio tantùm, si resipiscceret. Hæresis Joviniani, & Pelagii damnata est Romæ à Syricio Papa anno CCCXC. ejusdemque auctoritate à S. Ambrosio in Concilio Mediolanensi testibus S. Prospero *carm. de ingratis.* S. Hieronymo *contra Pelagium l. 2. & præfat. in Jerem. lib. 4.* Hæresis Monothelitarum, & Ecthesis Heraclij Imperatoris damnata est à Severino Papa anno DCXXXIX. ùt habetur *in Synodo Lateranensi*, sub Martino Papa *secret. 1. & 2.* & probat Baronius *ad eumdem annum.* Propositiones hæreticæ Gilberti Pictavienſis Episcopi damnatæ sunt ab Eugenio III. anno MCXLVIII. Denique ut alia omittamus, propositiones Jansenij in eo sensu, quem verba exhibent anno MDCLII. & MDCLVI. ab Innocentio & Alexandro Papa, ùt hæreticæ damnatæ sunt, & ùt tales à Gallis proscriptæ, immo ùt refert Archdekinus *in Theolog. tripart. p. 1. tr. 1. q. 5. in fine. Ex Regis Christianissimi, & Episcoporum Galliæ desiderio, Alexander VII. decrevit, ut universus ordo Ecclesiasticus huic professioni cum juramento subscriberet: Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datæ die 31. Maji MDCLIII. & Constitutioni Alexandri VII. date 16. Octobris MDCLVI. summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelij Jansenij libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Agnovit ergo Gallia totúsque Ordo Ecclesiasticus, tam certam esse Pontificis Romani sententiam, ut quæ ille damnat, & pro hæreticis habet, damnari debeant, haberique pro talibus, & damnationis sententia juramento confirmari; quod fieri non posset, si damnatio certa & indubia non esset; nemo enim jurare posset, propositionem aliquam damnabilem, aut hæreticam esse, nisi certò id credat, alioquin juramentum exponeret periculo falsi, docéntque omnes tum Theologi, tum Jurisperiti.

VI. *Dices:* Tunc modò Pontificum sententias opinionem aliquam damnantium, certitudinem adeptas esse, cùm ab Ecclesia universim receptæ sunt; & quando ipsa Ecclesia hujusmodi damnatas opiniones pro hæreticis habuit.

Respondimus jam suprà ad hanc objectionem, & ea quàm sit inanis, demonstravimus: Ideò enim Ecclesia hujusmodi Pontificum sententias

sententias recepit, non quia jam certa veritatis, & ut illis certitudinem commodaret, sed quia certas credidit, & tales, ut meritò dubium omne, quo priùs Ecclesia jactabatur, excluderent: dubitabat ante Pontificis sententiam Ecclesia: post illam omni dubio solvebatur; non ergo certitudinem Pontifici dabat, sed accipiebat. Deinde qui pronuntianti Papæ non acquiescerent, pro hæreticis habebantur, non ergo liberum erat ab eo definita aut repellere, aut acceptare, & acceptando certa efficere: immo ipsi Pontifices acceptari jubebant, & qui obsisterent, anathemate dirisque feriebantur. Denique cùm dicis à Pontifice definita non esse certa, sed consensu Ecclesiæ certa fieri, quid tu intelligis nomine Ecclesiæ? Concilium generale? at jam ostendimus ex ipsis Conciliis, ex Patribus, praxique Orbis Catholici etiam extra Concilium errare Pontificem non posse. Nec ullus est in Ecclesiastica historia vel leviter tinctus, qui nesciat, trecentis & ultrà annis gravissimas multasque hæreses sine ullo Generali Concilio damnatas proscriptasque esse. Totam omnino fidelium societatem? ergo nunquam me Pontificis definita obstringent, quia nunquam constare mihi potest omnes omnino fideles in ea consensisse, & assensu firmâsse, sine quo, ùt dicis, certa non sunt: quis enim tibi nuntius aquilâ aut Pegaso vectus ad aures pertulit omnes in India, in Africa, in Asia, in Hispania, Germania, Italia, Polonia, Americaque Alexandro Pontifici subscripsisse, cùm Jansenium damnavit? immo quî potuerunt omnes consentire, re non ad omnes perlatâ, nulloque conventu habito, nunquam capitibus collatis? Quòd si nomine Ecclesiæ majorem fidelium partem intelligis, de eadem redit quæstio, quomodo constare tibi possit, majorem illorum partem in sententiam contra Jansenium latam, v. g. consensisse? maximè cùm non semper illa pars sit melior, quæ est major: absurdum igitur est sententias & decreta Pontificum in rebus fidei tunc primùm necessarias certasque esse, cùm à tota Ecclesia recipiuntur: antequam recipiantur incertas, nec animum obligare.

§. VII.

Rationes pro Romani Pontificis infallibilitate.

SUMMARIA.

1. *Prima ratio ex necessitate judicis controversiarum.*
2. *Ex conciliorum certitudine.*
3. *Ex confirmatione Pontificis, sine qua Concilia plenam auctoritatem non habent.*
4. *Ex ordine Divinæ Providentiæ.*
5. *Ab experientia.*
6. *Ex Ecclesiæ ipsius infallibilitate.*
7. *Ab absurdis.*
8. *Resp. Ad objecta.*

I.

PRimè animadvertit S. Thomas *3. p. q. 1. a. 3. Ea quæ ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne debitum naturæ, nobis innotescere non posse, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Cùm ergo privilegium infallibilitatis Romano Pontifici concessum, non tantùm naturæ debitum superet, sed etiam sit contra hominis naturam semper in errores præcipitem, maximè verò circa res divinas, quæ stellarum more, quanto sunt à nobis remotiores, tanto magis oculum aut fugiunt, aut fallunt, tutiore semper silentio, quàm sermone; sufficisset inquam illam ipsam infallibilitatem, seu, ùt Græci vocant, *anamartisian* ex sacris litteris probâsse, ex Conciliorum, Patrúmque testimoniis, ipsóque perpetuo Ecclesiæ usu. Quia tamen Deus, qui est summa & prima omnium Ratio, nihil potuit aut sine ratione, aut rationi dissentaneum efficere, & homo Christianus, quamvis fide ducatur, hanc ipsam tamen fidem

tanto

tantò proniùs amplectitur, quanto magis ratione, nativo velut pondere, in illam rapitur; nostrarum erit partium argumenta expendere, quæ hanc ipsam infallibilitatem nobis persuadeant.

Prima igitur *ratio* est, quia negatâ hâc infallibilitate in rebus fidei decidendis, sequitur Ecclesiam omni Judice controversiarum destitutam esse, sicque velut navim in fluctibus, sine clavo, & gubernatore, incertam vagari, & vel nunquam esse certam veritatis, vel omnes sacras controversias ex sententia instinctûs & enthusiasmi privati dirimendas esse, quæ est hæresis Lutheranorum: Concilia enim & difficillimè multóque temporis defluxu convocantur, & sæpissimè convocari non possunt, ùt in primitiva Ecclesia trecentis ferè annis contigit: & si convocentur, multa iterum occurrant, ob quæ vocari in dubium potest, an sint universalia, an legitimè celebrata, an quæ illic decernuntur, fuerint conciliariter, hoc est, præmisso examine & diligenti inquisitione, & pluribus votis decreta, & denique an fuerint à S. Pontifice confirmata: immo Prælatis unius nationis Catholicæ aut venire ad Concilium recusantibus, aut subitò à Concilio abscedentibus, idque allegatis causis, quæ nunquam desunt, quæque legitimæ sint an secus, pauciſſimis constare potest, generalitas Concilij semper impugnari poterit. Tota ergo Conciliorum auctoritas & certitudo ex hisce omnibus pendet, quorum si vel unum absit, aut saltem dubitetur an abfuerit, Concilij definitio evadit incerta, ùt experientiâ multorum Conciliorum constat, videlicet Francofordiensis sub Carolo M. Pisani, Constantiensis, Basileensis, Florentini, Lateranensis, &c. Quid ergo fiet Concilio aut impedito, aut discordiis soluto, aut de quo non constat, an universale & legitimum sit, ac à Pontifice confirmatum? Quis tunc finem controversiis imponet? quis partibus sententiam dicet, si Papa errare potest? & denique me in fide nutantem quis confirmabit? Expectetur *dices* Concilium. At nimis tardum, nimis incertum est hoc remedium animis interim discordiâ divisis, & falsâ opinione infectis, quam diu animo retentam vix deponent, Concilio posteà jubente: sunt enim falsæ corruptæque doctrinæ venenorum instar, quibus festinata remedia subveniunt, sed tarda multumque dilata, ac malo jam in præcordia recepto, frustra sunt, & inutilia. Deinde Concilia,

cilia, ùt diximus, tam multis opus habent, ut vix aliquod sit, quod repelli aut eludi non possit hâc præsertim tempestate, quando opinandi licentia tam latè dominatur, ut nihil sit, quod in dubium & problema vocari non possit, Doctoribus passim novitate gaudentibus, omnique industriâ ea probantibus, quæ probari non possunt, ut ex difficultate ingenium ostentent, & ex ingenio palmam & plausum apud eos mereantur, qui plus arti tribuunt quàm veritati.

II. *Secundo Ratio.* Negatâ Pontifici Romano infallibilitate, cùm è cathedra pronuntiat, ne quidem ipsis Conciliis eorumque decretis certa & indubitata auctoritas & fides constat: Concilia enim, nisi sint legitima, & universalia, nihil in fide statuere possunt, ùt patet de Concilio Ariminensi, Ephesino 2. aliisque: at legitima & universalia esse unde constat? Quia Papa confirmavit, testaturque legitima esse? At secundùm te errare potest Papa, & tunc maximè, cùm facti quæstio vertitur, qualis est illa: an Concilium fuerit Generale, legitimum, & legitimè processerit. Quia Ecclesia tecepit? At non tenetur Ecclesia recipere, nisi constet legitimum & universale esse, quis hoc dixit Ecclesiæ, & cui tutò credere Ecclesia potuit, lubrico Papæ testimonio & casui exposito? Vides eâdem ratione præcipitari Concilium, quâ nimiùm attollitur.

III. *Tertia Ratio.* Si Papa errare potest, Concilium non potest, ergo non oportebit acta Concilii à Papa confirmari, sed potiùs acta Pontificis à Concilio confirmanda erunt, quod tamen est contra expressissimam doctrinam sanctorum Patrum, *in d. 17.* & perpetuam Ecclesiæ praxin. Quid verò magis contra rectum ordinem rectamque rationem, quàm ab eo, qui errare potest, necessariò illius sententias confirmari, qui errare non potest, hoc est, videntem à cæco duci, & solem à stellis radiari?

IV. *Quarta Ratio.* Certum est Deum, quantumvis rerum omnium primam & potentissimam causam, quæque nullius consortio aut præsidio indiget, accommodatè ad rerum omnium causam operari, per ignem videl. non per aquam calefacere: per lucem, non per sonos aërem illustrare: coloribus oculos pascere, non saporibus: pernicitatem aquilis, non testudini dare: & denique quæ singulorum naturis congruunt, non quæ adversantur, tribuere: & hanc esse

esse divinæ Providentiæ indolem, à sacris paginis toties commendatam, omnia videlicet *In ordine, pondere, & mensura* molientis, *disponentisque suaviter*, hoc est, juxta non contra rerum naturas ac propensiones. Cùm ergo Deus Pontificem Romanum constituerit Caput, Pastorem & Magistrum, non tantùm Ecclesiarum omnium in particulari, verùm etiam ipsius Ecclesiæ universalis (ùt definitum est in Concilio Constantiensi *sess. 8. art. 37. sess. 15. sess. ult.* & Concilio Florent. *sess. ult.* Lateranensi *sess. 11.* & Lugdun. primo *c. unico. de homic.* Lugdunensi 2. *c. unico de summa Trinit. in 6.*) oportet infallibilitatem, de qua agimus, aut Ecclesiæ tribuere, aut Pontifici, aut utrique, aut neutri. Si neutri: nihil ergo in Ecclesia certi habebimus, fide in opinionem mutatâ. Si & Pontifici & Ecclesiæ: est ergo Pontifex infallibilis. Si soli Ecclesiæ & Concilio, non verò Pontifici: ergo Deus plus doctrinæ, & certitudinis in discipulum, quàm in Magistrum contulit, & qui oves noluit errare posse, voluit pastorem posse: & domum voluit firmiùs quàm fundamentum stare, hoc frangi & cadere, illam non posse: quid amabò magis contra naturam fundamenti, contra ordinem capitis, contra rationem Magistri, contra conditionem Pastoris? Si tibi hinc rupem, hinc arenam ostenderem, quam tu pro fundamento eligeres, quæ subsidere, & moveri potest, aut quæ non potest? Si duos tibi ad magisterium offerrem, alterum tam copiosâ doctrinâ instructum, ut falsi docendo non posset, alterum mediocriter tinctum, & sæpe prolapsum: quem tu Magistrum diceres? in errores expositum, an securum veritatis & nunquam erraturum? Eâdem ergo ratione, si Ecclesia falli non potest, sed Papa potest, Ecclesiæ dicendum erat, non Papæ: *Pasce oves meas: Pro te oravi, ut non deficiat fides tua: Super te ædificabo Vicarium meum:* & denique Ecclesia Magistra Papæ, Ecclesia Vicaria Christi, Ecclesia ovium & ipsius etiam Pontificis pastor; quæ omnia & per se sunt absurda, & apud nullos Patres, in nullis Conciliis audita.

V. *Quinta Ratio* deducitur ab experientia; quæ enim fieri possunt, aliquando facta sunt, nec ullam aut in cœlis aut in terris potentiam reperies, quæ aliquando in actum non eruperit: potest ignis calefacere, & ideò nullum reperies, qui non aliquando calefecerit: potest vitis vinum proferre, & ideò nulla vitis est, quæ

non aliquando protulerit, aut si non protulerit, ideò est, quia non potuit: potest homo in sanctum evadere, & ideò aliquos saltem inter homines reperies, qui evaserunt: sicut ex adverso, quæ nunquam in aliqua specie facta sunt, creduntur fieri non posse: quemadmodum quia nunquam duo phœnices visi sunt, nunquam boves alati, nunquam aquilæ cornigeræ, nunquam ignes frigidi: ideò & optimo quidem jure negamus ea fieri posse; alioquin frustra aliquid natura faceret, hoc est, potentiam sterilem, & nunquam in actum aliquem prodeuntem: ex quo etiam principio Philosophi docent cœlum incorruptibilis naturæ esse, quia nulla in cœlis corruptio à tot sæculis observata est. Eodem modo cùm ab Ecclesia condita nunquam è cathedra Petri hæresis aliqua prodierit, ùt in solutione objectionum dicetur, aut nimis imprudens est, qui dicit fieri posse, quæ nunquam facta sunt; aut nimis timidus, qui timet, ne aliquando contingant, quæ nunquam contigerunt, maximè ubi tot alia adminicula in consultum hunc, & panicum timorem absolvunt. In cathedra Constantinopolitana Macedonius, Nestorius, Sergius, hæresiarchæ sederunt. In Alexandrina Gregorius & Lucius Ariani, Dioscorus Eutychianus, Cyrus Monothelita. In Antiochena Paulus Samosatenus, Petrus Eutychianus, Macarius Monothelita. In Hierosolymitana Joannes Origenista, Irenæus & Hilarius Ariani. Romanam verò sedem nulla hæresis occupavit, ùt suprà ostendimus, quam propterea S. Hieronymus *epist. ad Damasum, Fontem signatum vocat, hortumq; conclusum, & apud quam solam incorrupta Patrum servatur hæreditas:* & planè admiratione omnino dignum est, hanc solam à Paganis, ab hæreticis, à schismaticis, dolis, armis, suppliciisque & certatim appetitam stetisse, semper invictam, nec invictam tantùm, sed etiam invulneratam, cadentibus interim, à quibus infestabatur, hostibus, totóque Orbe pro hæreticis & perduellibus, qui cum illa non sentirent, conclamatis. Quid Wandalus, quid Gothus, quid Græcus, quid Constantius, quid Valens non egit? nam Neronos & Diocletianos tacemus, ut hanc virginem corrumperent, fædarentque, toto penè Orbe, in unam & inermem armato? vicit tamen illa, floremque Religionis tam illibatum servavit, quàm accepit, ostenditque verum fuisse illud sui sponsi vaticinium: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs illam.* Et illud *Isaiæ 50. Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret; ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem, & fugas*

ſuges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis, & ſcies quia ego Dominus ſalvans te, & Redemptor tuus: & venient ad te curvi filij eorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini. Cùm ergo fides Romanæ Sedis tunc non defecerit, cùm aliæ omnes defecerunt, maximéq; timeri poterat, ne hæreſi aliquâ corrumperetur; planè dicendum eſt deficere eam non poſſe, nam ſi poſſet, jam defeciſſet.

VI. *Sexta Ratio.* Hoc privilegium infallibilis doctrinæ, quod Pontifici aſſerimus, ex duobus capitibus, aut negari ſummo Pontifici, aut concedi debet; ex voluntate videlicet Dei per ſcripturas declarata, & ex bono Eccleſiæ regimine; ſed utroque titulo cogimur hanc infallibilitatem Pontifici aſſerere; Scriptura enim ſacra iisdem verbis, quibus dicit Eccleſiam errare non poſſe, iisdem de Pontifice hoc dicit: ſi enim Eccleſia ideò errare non poteſt, quia 1. *ad Timotheum 3.* dicitur *columna & firmamentum veritatis:* Et *Qui Eccleſiam non audit, eſt inſtar Ethnici & Publicani habendus:* idem parique jure de Petro dicendum erit, qui *fundamentum Eccleſiæ appellatur, cui claves Regni cœlorum traduntur, pro cujus fide, ne deficiat, Chriſtus orat: & cui ſoli, ac tertiò præcipit: Si amas me, paſce oves meas.* Aut ergo verba ſcripturæ Eccleſiæ infallibilitatem non probant, aut probant etiam Petri ejúsque ſucceſſorum. Bonum verò Eccleſiæ Regimen quod attinet, certum eſt Eccleſiæ magis conducere, ut Paſtorem infallibilem habeat, & cujus doctrina nihil falſitatis admittat, quàm errori obnoxium; hoc enim quàm plurimis nocet, illud nemini. Ergo quocumque reſpicias, non debet hoc privilegium negari Vicario Chriſti.

VII. *Septima Ratio.* Qui dicunt in rebus fidei judicandis errare Pontificem poſſe, non id tantùm agunt, ut hanc opinionem intra ſcholas & arenam diſputationis retineant; ſed ut illam quàm maximè ad mores & praxin extendant; & ita Pontifice aliquid ſtatuente, contrarium ipſi & dicunt, & ſentiunt, negantque fidem ſuam, quæ certa eſſe debet, dubiæ Pontificis ſententiæ allegari poſſe. Ex hoc autem quàm plurimæ in mores, ipſamque Religionem corruptelæ exiſtunt. Primò enim quilibet Judicem Pontificis agit; damnat, quos ille abſolvit; abſolvit, quos damnat, peſſimæque aſſueſcitur libertati, ſummi Paſtoris ſententias examinandi, tum etiam reſcindendi, ac denique contemnendi; naſcitur enim ex pugna & victoria victi tanquam aut paris, aut infe-

rioris contemptus, & qui modò Papam Concilio submittebant, jam etiam sibi, dum judicant, damnántque, submittunt. Deinde cùm opiniones, quas summi Pontifices damnant prohibéntque, semper Religioni aut moribus infestæ sint & perniciosæ; si eas possim nihilominùs ùt honestas amplecti, & in opus redigere, quanta in Ecclesiam confusio, in mores licentia, & pernicies grassabitur? v.g. hanc Jansenij propositionem: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino mortuum esse, aut sanguinem fudisse:* damnavit ùt hæreticam Innocentius X. Istam verò: *Licet honestæ aliàs matronæ, quæ amori succubuit, ne honoris jacturam faciat, fœtum medicamentis abigere:* hanc ùt temerariam, scandalosam, & omnino falsam, alter Innocentius XI. æquè proscriptam voluit; si tu ergo illorum Pontificum sententiis insuper habitis, eóque prætextu, quòd extra Concilium errare possint, contrariam opinionem, ùt probabilem teneas exerceásque, nec per censuram incertæ auctoritatis præjudicium illis factum dicas, quæ scandala, turpitudines, corruptelæ Ecclesiam interim fœdabunt? quámque erit serum, incertúmque à Concilio remedium, morbo jam latè fuso, & per tot clades animarum vagante? Quòd si hæc libertas contra Principum leges & imperia opinandi agendiq; ne omnem Rempublicam, statúmque politicum perderet, quanto magis perdet Christianam, quæ ex morum fideique integritate constat? ut proinde nulli umquam venire in mentem possit, eâ ratione Christum Ecclesiam suam instituisse, quâ si Princeps sæcularis institueret, omnium reprehensionem jure optimo mereretur. Et qui in fidei & morum Decretis errare posse Pontificem dicunt, multo magis de Episcopis, aliisque Prælatis dicunt, multóque istis liberiùs, quàm Pontifici obsistent: en ergo pulchram in Ecclesia majorum minorùmque harmoniam ac concentum: Asserit Papa, Episcopus negat. Episcopus præcipit, Clericus non obtemperat. Clericus explicat, populus aliter intelligit. Quod superiores nigrum esse dicunt, subditi album vocant, pulcherrimâ imperandi & numquam obtemperandi conditione.

VIII. *Dices*: Pontificem extra Concilium errori quidem obnoxium esse, ejus tamen decreta observari interim debere, donec in Concilio rescindantur.

Resp. Si hæc ita fierent, ùt dicuntur, tolerari utcúmque eam sententiam

tentiam posse; jam verò contrarium experimur: si enim, ùt dicunt, Papæ interim obediendum est, cur non obediunt Leoni X. in Concilio Lateranensi, cur non Eugenio IV. in Florentino, cur non Pio II. aliisque suprà p oductis, qui omnes definiunt Concilium Pontifici subesse, & hujus cùm è cathedra docet, sententias nulli errori misceri posse? cur Concilij partes occupant, & quod nullum Concilium ausum est definire, definiunt ipsi, perinde ac si non Concilium tantùm supra Papam, sed seipsos supra Concilium attollant, & potestatem ab hoc numquam usurpatam involent ipsi præcipitatâ in Pontificem ejusque auctoritatem sententiâ. Deinde si concedunt decretis fidei à Pontifice factis semel credendum esse, dum interim Concilium cogatur; concedere debent, etiam post Concilium, & semper credendum esse, quia fides numquam mutatur, & quod semel hoc semper credendum est, cùm veritas semper sit eadem, nec vultum variet: & quod heri verum fuit, hoc hodie, hoc c astinâ, hoc perendie, hoc post centum, post mille annos, semperque verum erit.

§. VIII.

Censuræ Patrum & Doctorum.

Summaria.

1. *Censura Gregorij IV. PP. S. Nicolai I. S. Hieronymi, Pelagij PP. Hugonis Etheriani, S. Leonis IX. Francisci Suarez, Melchioris Cani Episc. Canariensis, S. Thomæ, S. Antonini, &c.*
2. *Respond. ad objecta.*

I.

QUæ Patrum de illis sententia fuerit, qui summorum Pontificum de fide aut moribus Decreta eo prætextu, quod errare possint, non observant, totidem nos illorum verbis referemus, nihil ex nostro adjecturi.

Gregorius. IV. *in epist. ad Episcopos Galliæ, Germaniæ, Europæ & per universas Provincias constitutos, quæ habetur in c. præceptis d. 12. Præceptis*, inquit, *Apostolicis, non durâ superbiâ resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate jussa sunt, salutiferè impleantur, si ejusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.*

S. Nicolaus I. *in epist. ad Mediolanenses*, quæque in synodo Oecumenica 8. *Act. 1. & 8.* confirmata est, habeturque *in c. omnes d. 22. Fidem*, inquit, *violat, qui adversùs illam agit, quæ Mater est fidei, & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur.*

S. Hieronymus *epist. ad Damasum quæ habetur in c. quoniam 24. q. 1. Ego nullum præmium, nisi Christum secutus, Beatitudini tuæ, hoc est, cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: quicúmq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio: quicúmque teçum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.*

Pelagius *PP. in c. quoniam 24. q. 1. Contra Apostolicam sedem temere credentes pessima dividit opinio, quod schisma specialiter esse denuntiat Augustinus dicens de talibus: Adversùs auctoritatem illarum Ecclesiarum, quæ ab Apostolica sede epistolas accipere meruerunt temerè credendo, immanissimum schismatis crimen à se propulsare non poterit.*

Hugo Etherianus, qui scripsit sub Alex. III. PP. Vir planè doctissimus *in Comment. de Process. spiritus S. l. 3. c. 10. & habetur in biblioth. Patrum: Æquum est, ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enuntiat. Qui autem primæ sedis, immo totius orbis Præsuli resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur. Quicúmque naviculam Christi spernit, incautè navigat, & nisi plumbeas moles pervicacitatis rejiciat, influent maria.*

S. Leo IX. *epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinop.* quam recitat Baronius ad annum MLIV. *n. 14. Quid hoc monstri est frater charissime?*

rissimè? Romana Ecclesia caput & Mater Ecclesiarum, membra & filias non habet? Et quomodo potest dici caput, aut Mater? credimus enim, propter quod & loquimur, atque constanter profitemur: Romana Ecclesia adeò non est sola, vel sicut tu putas, una; ut in toto orbe terrarum quæcunq; natio dissentit superbè ab ea, non sit jam dicenda vel habenda Ecclesia aliqua, sed omnino nulla, quin potiùs Conciliabulum hæreticorum, aut conventiculum schismaticorum, & Synagoga Sathanæ.

Franciscus Suarez *in Tr. de fide d. 20. sect. 3. n. 22. At verò tam de hac definitione* (Bonifacii VIII. in extravag. unam sanctam de major. &c.) *quàm de aliis decretis Pontificum ausus est dictus Rogerus respondere, non esse de fide certum, Pontificem definientem sine Concilio generali, non posse errare. Sed est responsio, non solùm nimis temeraria, sed etiam erronea: nam licet olim fortasse aliqui Doctores Catholici sine pertinacia in hoc dubitaverint, vel erraverint; jam verò tam est constans Ecclesiæ consensus, & Catholicorum Scriptorum concors de hac veritate sententia, ut eam in dubium revocare, nullo modo liceat.*

Idem Suarez *Tr. de fide d. 5. sect. 8. n. 4. Nihilominus veritas Catholica est, Pontificem definientem ex Cathedra, esse regulam fidei, quæ errare non potest, quando aliquid authenticè proponit universæ Ecclesiæ, tanquam de fide divina credendum: ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores, & censeo, esse rem de fide certam.*

Melchior Canus Episcopus Canariensis, quique Concilio Tridentino interfuit, *de locis Theolog. l. 6. c. 6. Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei doctrinæq; auctoritate succedere, aut certè astruunt summum Ecclesiæ Pastorem, quicumque tamen ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt; qui verò illis in utroq; repugnant, hi in Ecclesia Catholici habentur. Quamobrem non equidem intelligo, quonam consilio fideles quidam hæreticorum, quàm Catholicorum opinionibus favere malint, nam hæretici video quid sequantur: nempe vivendi docendiq; licentiam, & in his omnibus impunitatem. Et volunt sine capite corpus, ut neq; pes, neque mens suum officium faciant. Volunt sine Pastore imo oves, ut cùm lupi ipsi sint, Pastores tamen esse videantur. Volunt sine judice lites, ut dissidiorum nullus finis sit. Atque ita cùm amoto arbitrio adversùs Doctos dimicent, victores à turba judicentur. Turbari demum omnia volunt, quoniam, ùt in Hispanorum proverbio est, turbatum*

batum flumen piscatorum est lucrum: nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur; tutò enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Præterquam quòd ea sentiunt, quæ sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, Pontificum decreta finiunt, veterum sanctorum chorus concinit, Conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat.

Adjungi his possunt censuræ omnium illorum Patrum, qui Concilium universale Papæ submittunt, S. videl. Thomæ, S. Bonaventuræ, S. Antonini, & aliorum quos suprà protulimus.

II. *Dices:* Sanctorum Patrum censuris, quas modò recitavimus, eos tantùm perstringi, qui aut à sede Apostolica deficiunt, aut illius decretis non obtemperant; neutrum ab iis fieri, qui Pontificem extra Concilium errare posse dicunt: hanc enim sententiam à Sede Apostolica damnatam non esse, conjungique cum obsequio, cum reverentia Pontifici debitis.

Resp. Eos qui doctrinam sedemque Romanam erroris insimulant, non gratis id agere, neque ingenij tantùm calamique exercendi gratiâ: sed in opus etiam & praxin micare, eóque velut clypeo, quæ à Pontifice decernuntur, sed non placent, repellere: hos verò, ùt diximus, graviter à SS. Patribus notari, ut illorum verba, quæ clarissima sunt, satis ostendunt: immo posita semel fallibilitate Pontificis, decreta fidei ab hoc constituta, ne quidem à volentibus observari possunt, quis enim certâ & divinâ fide id credat, quod certum non est, quod potest falso misceri? Quòd si Patres tam severè in illos declamant, qui à sede Apostolica in uno alteróve descedunt, quid de illis dicturi essent, qui totam hujus auctoritatem in ipsa velut radice succîdunt? Quòd verò dicitur: nihil à summis Pontificibus in hac quæstione definitum esse, id quam à vero sit alienum, patet ex suprà disputatis. Et demus ita esse, tacet Petrus, quia non auditur: *Si enim dixerit vobis, non credetis, & si interrogaverit, non respondebitis illi:* quî enim dicenti credant, qui ideò fallibilem volunt, ut credere non teneantur? Si Leonem, si Eugenium, si Sixtum, si tot Concilia non audîstis, Innocentium audietis? At, inquiunt, omnem Pontificibus venerationem profitemur. Omnino sic à Catholicis oporteret: ceterùm videntur nobis *dicere, sed non facere:* nec enim hanc novam obsequendi formam intelligimus; obsequimur, sed si jubet, non paremus: si minatur, contemnimus: si monet, non audi-

audimus: si statuit, non credimus: si appellantes recipit, tumultuamur: & tamen obsequimur. Quis enimverò non dicimus Rex aliquis aut Princeps, sed vel Paterfamilias à servis à filiis hoc obsequium ferret? Faciant ergo quod dicunt, & absoluta res est, aut si non faciunt, saltem nec dicant, ne ludibrium inobservantiæ adjungant.

§. IX.

Respondetur ad objecta.

Summaria.

1. *Posse Papam in hæresin personalem cadere, non doctrinalem.*
2. *Non ideò frustra esse concilia, quia Papa falli non potest.*
3. *Posse Pontificem sine Conciliis necessariam dogmatis definiendis industriam adhibere.*
4. *Cypriani contentiones magnum argumentum esse infallibilitatis Pontificiæ.*
5. *Cur Pontifex hæresin docere non possit?*
6. *Quid de erroribus S. Petri?*
7. *Et Zephyrini?*
8. *Et Liberij?*
9. *Et Felicis?*
10. *Et* 11. *Gelasij?*
12. *Et Vigilij?*
13. *Et Honorij I.?*
14. *Et aliorum Pontificum?*

15. *Non semper Pontificum constitutiones ad fidem pertinere.*

16. *Errare possunt in quæstionibus facti, sed non omnibus.*

17. *Post Concilium Constantiense de fide est, hunc individuo legitimum esse Papam.*

18. *Contrariam sententiam nec à ratione, nec ab auctoritate probabilem esse.*

I.

OPponitur 1. Sancti Patres, ipsíque canones dicunt Pontificem in hæresim lapsum judicari à Concilio debere, supponunt ergo posse in hæresim incidere.

Resp. Canones expressè loqui de errore personali non judiciali: hoc est, posse Pontificem hæreticum esse, non posse hæresin publicè & è cathedra docere: hoc nos solùm negamus, hoc Petro & Ecclesiæ promissum est. Error enim personalis, aut occultus est, aut privatis scriptionibus à Pontifice, & sine imperio insperfus, Ecclesiæ nihil nocet, cùm omnes sciant Pontificem extra cathedram errare posse, nec illius privatas opiniones alio animo, alióve vultu, quàm privati Doctoris legant, tantúmque illis tribuant, quantum ponderis & rationum habent. Habemúsque hujus rei exemplum in veteri testamento *Num. 14.* Ubi Balaam propheta Dei, quamvis vellet, maximéque persuaderet populo Israelitico maledicere, nunquam tamen Deo prohibente potuit: quod Regi, à quo ad execrandum conductus erat, confessus: *Non potero præterire*, inquit, *sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo, etiamsi dederit Balac plenam domum suam argenti, & auri, sed quidquid Dominus dixerit hoc loquar.* Et in eodem antiquo testamento summo sacerdoti Oraculum non canebat, nisi sacris induto & Pontificem agenti. Idem dicas de Romano Pontifice.

At, *inquies*, hoc perpetuum miraculum est, non posse hominem errare,

rare, cùm hoc sit maximè humanum: multóque magis Papam hæreticum non posse hæresin docere, cùm tamen *ex abundantia cordis os loquatur, nec possit arbor mala fructus bonos facere.*

Respondetur. Si per miraculum rem intelligas viribus naturæ superiorem, verum dicis: sed hoc in Ecclesia non est novum, immo quotidianum, & penè momentaneum, ùt apparet in justificatione peccatorum, administratione sacramentorum, sacrificio incruento aliisque mille: nec enim Ecclesiam natura, sed gratia munit, conservatque; nec Deo difficiliùs est supra, quàm juxta naturam agere, cùm omnia voluntate & nutu agat, ipsíque naturæ nihil magis sit innatum, & proprium, quàm volenti Deo obedire, adeò ut quidquid, agente Deo, naturæ supra naturam accidit, sit illi magis consentaneum, quam ipsa natura, quam Philosophi vocant *potentiam obedientialem.*

II. *Non obstat 2.* Frustra esse Concilia, si Papa sine illis errare non potest.

Resp. Certum esse, & negari à nemine posse, etiam sine Conciliis definitiones fidei posse, & trecentis ac ampliùs annis definitas fuisse; nec propterea tamen frustra Concilia sunt: nam & sine rheda possum & sine equis iter facere, nec ista tamen frustra sunt. Roma teste Plinio *l. 29. c. 1.* sexcentis annis medicis caruit, multóque pluribus sine magnete vela fecit: non ideò tamen nullus est magnetis & medicorum usus. Pontifex ergo Concilium vocat, non quia sine Concilio errori subjacet; sed quia in Conciliis, quò plura sunt capita, eò plures sunt oculi linguæque, quæ vident & consulunt, tantóque citiùs veritas reperitur, quanto à pluribus quæritur. In Concilio omnium nationum Episcopi sunt, qui singularum varias necessitates, conditiones, mores exponunt, & accommodata singulis remedia suadent, dissentanea refutant. Et cùm non sufficiat leges ferre, nisi etiam latæ executioni dentur; in Conciliis de modo exequendi agitur, nec ullus exceptioni locus datur, ubi omnes auditi, communique omnium consilio leges decretæ; cessantque querelæ subditorum, ubi non unius tantùm, sed omnium voto obstrictos se vident, pudetque omnes accusare. Hæc sunt bona Conciliorum, quæ tamen cum multis magnisq; periculis aliquando vinciantur, Pontificis arbitrio sedet, quando cum illis, quando sine illis agere velit: illi enim creditæ sunt oves, illi traditæ claves, in illo fundata Ecclesia, nullâ Concilij mentione.

III. *Non obstat 3.* Assistentiam Spiritûs S. Romano Pontifici sub ea conditione promissam, ut is in rebus fidei declarandis sufficientem adhibeat diligentiam, humanóque procedat modo, prout in rebus arduis, summíque momenti homines solent, nec enim si dormienti aut intemperiis agitato constitutio aliqua excideret, ea continuò pro fidei dogmate recipienda esset: ex quo duplex argumentum ducitur. Primum: quia ut huic necessariæ diligentiæ satisfiat, videtur Concilium necessarium omnino esse, hujus enim indictio est supremus humanæ diligentiæ gradus, cùm major adhiberi non possit. Secundum: quia nobis constare non potest, an Pontifex sufficientem, & inveniendæ veritati necessariam diligentiam adhibuerit; ergo etiam constare non potest de veritate ab eo factæ decisionis, quæ illi, ut diximus, diligentiæ alligata est.

Resp. Verum esse, oportere Romanum Pontificem adhibitis pro negotii qualitate Doctorum consiliis, maturéque expensâ veritate res fidei decernere, nec Deum præcipitatis in re tanta, & temerariis sententiis radium suum accommodare: sed negamus ad has humanæ industriæ partes explendas necessaria esse Concilia; si enim necessaria, cur in Primitiva Ecclesia, tot hæresibus agitata cessatum à Conciliis est? immo, ut sæpè diximus, impedimento hæc potiùs sunt, ubi lenta remedia morbus non admittit; quod maximè in hæresi extinguenda verum est, quæ, nisi favillam opprimas, in incendium erumpit. Quòd si casum aliquem ponas, in quo sit opus Concilio, Deus, qui nunquam Ecclesiæ in necessariis deest, neque hîc deerit: neque tunc tamen Pontificis sententia plurium suffragiis alligata erit, sed illi parti, quam æquiorem crediderit, quamvis minori: nec enim ad prudentiam, humanámq; industriam pertinet pluribus semper adhærere, sed melioribus; quod optimè Historicus animadvertit, ubi *l. 1. decade 3.* cùm recitâsset Hannonis contra Hannibalem perorantis sententiam, hæc subjungit: *Pauci ac ferme optimus quisque Hannoni assentiebantur: sed ùt plerumque fit, major pars meliorem vicit.*

At unde constabit diligentiam à Pontifice præstitam, qualem causa requirit, cùm hoc sit facti, & à Pontifice errari possit?

Respondemus: Concilio idem opponi posse, nam & hoc in facto errare potest. Sunt ergo, ùt infra dicetur, aliqua, quæ ad factum quidem spectant; sed quia à Deo revelata sunt, aut saltem cum revelatis connexa, & ad publicum Ecclesiæ bonum spectant, in iis æquè ac in Juris quæstioni-

ſtionibus nec Pontifex, nec Eccleſia errare, aut deficere poſſunt, Deo enim curæ eſt, ne deſint fini à ſe præfixo media fini accommodata. Cùm ergo voluerit Deus ſententias fidei à Pontifice latas, ratas haberi, fixásque, nec errore aliquo corruptas; ipſe etiam curabit, ne ſint temerariæ, cæcóque impetu, & absque conſilio profuſæ: quemadmodum, quia Deus Abrahæ filium promiſerat, & ex filio perpetuam ſucceſſionem, ipſúmque Meſſiam; ad eundem ſpectavit Deum, ut à ſterili filius naſceretur, nec ante tempus, quamvis occidi juſſus, quamvis jam gladio ſubjectus, vitam viniret: quod pulchrè S. Paulus *ad Roman. c. 4.* exprimens: *Et non infirmatus eſt*, inquit, *Abraham fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, plenìſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.*

IV. *Nec obſtat 4.* Sanctum Cyprianum Epiſcopum & Martyrem in Synodo 80. Epiſcoporum, contra expreſſam Stephani Papæ definitionem, ſtatuiſſe hæreticos rebaptizandos eſſe, immo in eundem Stephanum acriter invectum, ùt patet ex illius *epiſt. ad Pompejum.* Senſit ergo B. Cyprianus aliíque Epiſcopi, non eſſe, quæ à Papa definiuntur, omnino certa, poſſéque integrâ fide improbari; alioquin hæreticus eſſet Cyprianus, & in hæreſi mortuus, quem tamen Eccleſia ſemper ùt Sanctum venerata eſt.

Reſp. Antequam huic argumento ſatisfiat, repetenda eſt diſſenſionum origo, quæ Cyprianum in Stephanum Papam concitârunt majori, quàm Sanctum & Martyrem decuit, agitatione; adeò ingentis animi viris facilius eſt ferrum & pœnas, quàm affectus & animum vincere. Res ſic habuit. Novatus in Africa Epiſcopus, gravium illic flagitiorum poſtulatus, Romam conceſſerat, homo turbidiſſimi ingenii, ſerendiſque contentionibus unicè natus, ac ùt verbis Cypriani utamur: *Curioſus ut proderet, adulator ut faleret, nunquam fidelis, ut diligeret, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad ciendas fidei naufragia.* Hic ubi Romæ fuit, excitato ſchiſmate, Cleróque Romano in partes ac factiones diviſo, Cornelio legitimo Pontifici Novatianum Sacerdotem Romanum opponit, eumque à paucis Epiſcopis Pontificem renuntiari curat. Additæ ſchiſmati hæreſes: negabat enim lapſos, quamvis facti pœniteret, recipi debere; hinc ſe ſuósque Catharos, hoc eſt, mundos

appellabat, gestabátque candidam vestem, sanctitatis insigne, quòd nollet peccantibus misceri; eos qui à Catholicis Baptismum accepissent, tingi iterum jubebat, quòd immundos, indignósque diceret, ut suis jungerentur. Hinc Cypriani errores, litésque cum Stephano: negabat Baptismum ab hæreticis collatum, validum esse, sed necessariò repetendum; hæreticos enim extra Ecclesiam esse; extra Ecclesiam verò nec fidem, nec Sacramenta, quæ fidei sigilla sunt, dari. Ad hunc errorem muniendum tres in Africa Synodi celebratæ, in quibus Cypriani potissimùm auctoritate damnatus hæreticorum Baptismus repetiqué jussus. Ex Synodo Carthaginensi, ad quam 87. Episcopi convenerant, datæ ad Stephanum Papam litteræ, quibus quæ statuta essent, docebatur. Improbavit Stephanus perperàm facta, rescidítque in hæc verba: *Si quis à quacunque hæresi ad Ecclesiam venerit, nihil innovetur: nisi, quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Exarsit ad hoc responsum Cyprianus, suámque & tot Conciliorum sententiam damnari haud ferens, calamum in Stephanum armavit, scripsitque ad Pompejum Sabratensem Episcopum epistolam illam 74. flammæ, myrrhæque plenam, & in qua Martyris oblitus hominem se ostendit. Ceterùm quamvis hunc de rebaptizandis hæreticis ante Cyprianum Tertullianus & Montanistæ errorem invexerint, multæque ante turbas Africanas in Oriente Synodi confirmârint, præsertim Iconiensis, cui Firmilianus Cæsareæ Episcopus interfuit *epist. 75. Cypriani. Euseb. l. 7. c. 4. & 6. Philastr. de hæres. c. 50.* Præpotuit tamen veritas, omnésque Catholici Stephano Pontifici adhæserunt, & Cypriani sententia damnata est in Concilio Arelatensi *1. can. 8. & Nicæno c. 19.* & testatur S. Hieronymus *l. contra Luciferianos: Synodus*, inquiens, *Nicæna omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Imo illi ipsi, qui maximè pro hac Cypriani sententia pugnaverant, primi posteà impugnârunt, Stephani definitionem amplexi. S. Augustinus *epist. 48.* ad Vincentium existimat Cyprianum ipsum sententiam mutâsse; idem habet *l. 2. contra Donatistas c. 4.* Illud quoq; certum est, sic inter Cyprianum & Stephanum pugnatum esse, ut neuter hæresis alterum damnaret: de Cypriano constat ex epistola synodica *ad Stephanum Papam.* S. Hieronymo *adversus Luciferianos.* S. Cypriano *epist. 29. & ep. 72.* S. Augustino *l. 2. contra Donatistas c. ult. & l. 3. c. 3. 4. 5. 6. & l. 7. c. 1. & contra Cresconium l. 3. c. 1. & 2.* De Stephano verò, non fuisse ab hoc quæstionem definitam, nec Cypriani errorem hæresi no-

resi notatum scribit S. Augustinus *l. 5. contra Donatum c. 25.* Eusebius *l. 7. c. 4.* ubi notat Stephanum excommunicationem tantùm Baptisma repetentibus minatum esse: patetque ex ipsa Stephani ad Carthaginense Concilium sententia, quam refert Eusebius *loco cit.* Cyprianus *epist. 74.* ubi nihil aliud Stephanus dicit, quàm: *Nihil ab antiquis traditionibus quoad hæreticos, qui resipiscunt, redeuntq; ad Ecclesiam, innovandum esse.* Eusebius *l. 7. c. 3. Stephanus*, inquit, *nihil novi aut alieni à traditione ex temporibus Apostolorum derivata moliendum ratus, hac de re vehementer commotus fuit.*

Hisce prænotatis facilè ad argumentum respondetur: Cyprianum videl. quantumvis contra Stephanum sentiret, non tamen hæreticum fuisse, idque multis rationibus. *Primò:* Quia Stephanus nihil adhuc è cathedra definierat, nec opinionem suam ad fidem pertinere dixerat, contrariam verò ad hæresin; non potuit ergo Cyprianus hæreticus esse, quæstione necdum decisâ, nec ad fidem spectante. *Secundò:* Quia nondum tot Conciliorum, Patrum, canonúmque decreta emerserant, nec Ecclesiæ praxis adhuc satis ostenderat, extra Concilium errare Papam non posse; immo neque hoc temporis, qui contrarium asserunt, hæresis petimus.

Errâsse tamen Cyprianum, cùm Stephano Pontifici se opposuit, nec culpâ caruisse ipse rei eventus Ecclesiæq; auctoritas ostendit, quæ posteà Cypriani sententiam pro hæresi habuit: & Patres Cyprianum quantumvis sanctum & Martyrem intemperantiæ damnârunt: & S. Augustinus *l. 1. contra Donatistas c. 18.* dicit: *Hanc culpam Cypriani, falce Martyrij fuisse purgatam. Et c. 19. Fuisse hoc peccatum, quasi nævum in candore sanctæ illius animæ, quam ubera charitatis tegebant.*

Hoc ergo Cypriani exemplum non tantùm sententiam nostram non impugnat, sed illam vehementer confirmat. Si enim Cyprianus & sanctus & Martyr, doctrinâque præcipuus, & cujus sententiæ quàm plurima Concilia, ac ferè omnes in Africa & Oriente Episcopi subscripserant, & sanctitate florentissimi, ubi tamen à Pontificis Romani sententia deflexit, & ipse adeò graviter erravit, & secum totum illud sanctorum Doctorúmq; agmen in errorem traxit; cui se periculo exponunt, qui nec doctrinâ, nec sanctitate Cypriani sunt, nec habent pro se tot Conciliorum Patrúmq; suffragia, nec tamen Pontificum sententias observant, sed eo prætextu, quod errores admittant, neglectui habent? illi qui

usque

usque ad cœlos ascenderant, qui nidum suum inter stellas collocârant, quique Ecclesiæ columnæ, & turres Religionis videbantur, illi, inquam, à Petro avulsi ceciderunt: tu canna & vitrum illis cadentibus stationem tibi promittis? Audiendus est Vincentius Lyrinensis, qui quàm multis validisque rationibus suam causam Cyprianus munierit, ostendit; ut tanto clariùs evadat, Pontificis sententias omni ratione majores esse, utpote quæ Deum à se habeant, nec ullam esse causam tam speciosè instructam, quæ illius auctoritati non cedat. Sic ergo Lyrinensis contra hæreses *cap. 9.* scribit: *Intelligebat ergo vir sanctus & prudens* (Stephanus Papa) *nihil aliud ratione pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus susceptæ forent, eâdem fide filiis consignarentur; nósque Religionem, non quâ vellemus, ducere, sed potiùs quâ illa duceret, sequi oportere: idq; esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotij exitus? quis utique nisi usitatus & solitus? retenta est scilicet antiquitas, & explosa novitas. Sed fortè tunc ipsi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt. Immo verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis Oracula, sed plane novo ac malo more intellecta; ut mihi illa conspiratio nullo modo destrui posse videatur, nisi solam tanti moliminis causam: ipsa illa susceptæ, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Postremò ipsius Africani Concilii, sive decreti quæ vires? donante Deo, nullæ: sed universa tanquam somnia, tanquam fabulæ, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.*

V. *Non obstat 5.* Posse Pontifices in alia peccata incidere, Simoniæ, avaritiæ, superbiæ, &c. cur non in hæresin, cùm hæc plerumque ex illis consequatur?

Resp. Aliud esse Pontificem in hæresin cadere, aliud posse hæresin ex cathedra docere; hoc negamus: cur hoc? quia Christus non pro Petri humilitate, charitate, justitia &c. rogavit, sed pro fide ne deficeret: in hac Ecclesiam Christus fundavit, huic Patres, Concilia, Ecclesiæ traditio testimonium ferunt; nec à Christo dictum est: quæ faciunt facite; oportet ergo doctrinam incorruptam esse, non exempla: hæc fædari possunt non illa.

VI. *Non obstat 6.* Petrum bis, & gravissimè errâsse, nam *Matthæi 26.* Christum negavit: & *ad Galatas 2.* coëgit gentes judaizare, unde à

de à B. Paulo graviter reprehensus est. Si ergo Petrus errare potuit, quanto magis Papa Petri successor?

Resp. Petrum ore, non corde Christum negâsse, cùm nondum Pontifex esset; Primatus enim Ecclesiæ promissus illi est *Matthæi 16.* ante passionem, sed collatus post Resurrectionem *Joann. ult.* fuit ergo hic error vel potiùs culpa Petri piscatoris, non Petri Pontificis. Deinde non docuit Petrus definivitque Christum negandum esse, sicque non fuit ille error *doctrinæ*, *aut cathedræ*, sed *Personæ*, de quo non agimus. Alium errorem quod spectat; iterum assumitur factum incertum, ex quo nihil certi deduci potest: Græci enim Patres pleriique & cum iis Hieronymus *epist. 89. ad Augustinum*, nullum in Petro errorem agnoscunt, sed omnia ex composito simulatéque, non seriò inter Petrum Paulumque acta fuisse dicunt, ut Judæos juxta & Gentiles lucrarentur, *ita Origenes, Didymus, Apollinaris, Eusebius, Theodorus Heracleotes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenicus, ad Galat. 2. Cassianus collat. 17. & Hieronymus epist. 89. ad Augustin.* Hi omnes Petrum excusant, eumque simulatè tantùm à Paulo redargutum dicunt, alioquin multo majori Paulum reprehensione dignum fore, qui legales ceremonias multo sæpiùs & accuratiùs, quàm ipse Petrus adhibuit, nam ut à Judæis gratiam iniret, Timotheum patre gentili natum circumcidit *Actor. 16.* caput Nazaræorum more totondit *Act. 18.* Hierosolymis cum Judæis se purificavit *Actor. 21.* denique Judæus Judæis factus est *1. ad Corinth.* Cur ergo in Petro tam indignè tulit, damnavitque quæ toties usurpavit ipse? & cùm oporteat aut Petrum in culpam aut Paulum vocari, Petrum si justè correptus est, Paulum si injustè corripuit, immo & fecerat, quæ in alio suggillaverat; cur non potiùs, inquiunt, Petrum Apostolorum Principem absolvamus? immo utrumque, quod fiet, si nec Petrum errâsse dicamus, nec Paulum seriò objurgâsse, sed in speciem, & simulatò. Hæc Græcorum Patrum & Hieronymi sententia est. Latini errâsse Petrum fatentur non quidem in ipsa rei substantia (nec enim usum Legalium necessarium credebat, cùm ipse in Concilio Hierosolymitano contrarium paullo antè definivisset *Actor. 15.*) sed in modo, & loci ac temporum circumstantiis: sic enim à Gentilibus secesserat, eorum cibis abstinebat, totusque cum Judæis erat, ut auctoritate, exemploque, quod pro lege fideles habebant, quàm plurimos in errorem inscius induceret, quòd crederent necessariò à Gentilium cibis,

quos tanto studio Petrus vitabat, abstinendum esse, utendumque Judicis ritibus, quos ille tam accuratè palamque colebat, magno Gentilium malo, qui propterea Christianos aversabantur, & isti in Judaicos ritus, tamquam necessarios se induebant: hanc ob causam Petrum severè à Paulo objurgatum; Deo id agente, ut in uno libertas Christiana, in altero modestia & patientia micaret, exemplo subditis, Prælatisque profuturo, ut egregiè notant S. Augustinus *lib. 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 2.* & S. Cyprianus *epist. 71. ad Quint.*

Sed quidquid de hoc sit, certum est Petrum non doctrinâ errâsse, sed ad summum exemplo: nec enim docuit, aut decreto aliquo sancivit judaizandum esse; sed exemplo quod omnes venerabantur, quàm plurimis occasionem errandi dabat: hoc reprehendit quidem Paulus, sed extra disputationem est. (a) Cur ergo dicit Paulus; cogebat judaizare? Respondet Tertull. *lib. de Præscript.* & cum eo omnes Patres, non jussu, sed exemplo Petrum coëgisse: cui tantum omnes tribuebant, ut pro imperio haberent, quidquid ille ageret: & hoc ipsum S. Paulus expressit *ad Galat. 2.* ubi Petrum non *docuisse aut præcepisse* dicit; sed à gentilibus se *subduxisse, simulâsse, ritu Judaico vixisse, &c.* alioquin doctrinam quod attinet, certum est sanctum Petrum Legalium observationem non habuisse pro necessaria *Act. 15.* & *ad Galat. 2.* Ergo ut verbo omnia dicamus, simulavit Petrus, non docuit; si ergo erravit, non doctrinæ fuit error, sed facti, de quo non contendimus.

VII. *Non obstat 7.* Zephyrinum Papam mendacis à Montano vaticiniis ac miraculis captum eisdem communicâsse, ut testatur Tertullianus *l. adversùs Praxeam c. 11.*

Resp. Tertullianum Montanistam fuisse, tantumque illi credendum, quantum Calvinistæ aut Lutherano sacras litteras pro se afferentibus, maximè cùm præter Tertullianum, nemo alius id scribat. Deinde ex Eusebio *l. 5. cap. 3.* sciendum est, Montanistas priùs quàm eam hæresin incidissent, viros fuisse insigni pietate, miraculis & vaticiniis claros, adeò ut etiam in hæresin prolapsi multis sanctisque viris imposuerint, teste eodem Eusebio: præferebant insignem pietatem, martyria, jejunia, & quidquid apud Catholicos in pretio erat, sanctissimè colebant:

(a) V. epistolas Hieronymi & Augustini 8. 9. 19. & 89.

colebant: quâ pietatis larvâ, Tertulliano, omnium ea tempestate præstantissimo illusum, ut quos fuerat acerrimè insectatus in *l. de præscript. c. 15.* eos posteà, & defenderit & coluerit, specie videlicet miraculorum & severitatis, quam profitebantur, deceptus. Quid ergo mirum, si eodem pietatis apparatu, obtentúque Religionis Catholicæ Zephyrinum circumvenerint? qui tamen à Praxea rei fabulam edoctus, communionem pacemque, quam illis paraverat, continuò abrupit. Nihil ergo, quod fidei adversaretur, docuit Zephyrinus, sed mendacio deceptus est, at nos Pontificem decipi ab aliquo posse, haud negamus. (a)

VIII. *Non obstat 8.* Liberium Papam Arianæ hæresi subscripsisse teste Athanasio *in epistola ad solitariam vitam agentes*, & Hieronymo *in Chronico & in catalogo, aliisq;*.

Resp. Totam Liberij culpam hanc fuisse; quòd tædio pœnarum exiliique, & spe repetendæ summæ dignitatis victus; primæ fidei formulæ, quam Sirmij ediderant Ariani, subscripserit, & in damnationem Athanasij consenserit. Hoc solum & totum est Liberij crimen, nec ab ullo scriptorum aliud memoriæ proditum est. In eodem Sirmiensi Concilio secunda formula Confessionis concepta est impia omnino & blasphemiæ plena, in qua Dei Filius, nec ejusdem substantiæ cum Patre, nec similis esse dicitur: Huic secundæ Hosius Episcopus Cordubensis extremâ jam senectute, vi & tormentis adactus subscripsit. Hujus secundæ formulæ adeò ipsos Arianos puduit, ut in Concilio Ancyrano tertiam ediderint, Catholicæ omnino simillimam, nisi quòd vocem *Consubstantialis* omitterent, hanc Constantius amplexus est, & secundam suppressam, expunctámque voluit, proposito iis, qui eam occultarent, supplicio. Ita scribunt S. Athanas. *de Synod.* Socrat. *l. 2. c. 29.* S. Hilarius *l. de Synod.* Epiphanius *hæresi 73.* Forma igitur Professionis, cui Liberius subscripsit, licèt vocem *Consubstantialis* silentio premeret, fuit planè Catholica, in qua Photini hæreses damnabantur, in qua Filius ejusdem cum Patre substantiæ dicebatur, quam ipse S. Hilarius exponens, Catholicam esse fatetur, idémque asserit Vigilius Episcopus Trident. adversùs Eutychen *l. 5.* Et Liberius in litteris,

(a) Philastr. de hæres. c. 50. & Epiphanium hæresi 48.

quas ad Orientis Episcopos dedit, se ideò cum Ursacio & Valente communicâsse dicit, quòd eorum fidem agnovisset Catholicam, alienámque ab Ariana perfidia. Immo Augustinus tantus Arianorum hostis, adversùs Pascentium Arianum agens, se illius fidei subscripturum spondet, si nihil aliud Catholicæ veritati contrarium inveniat, quàm quòd vocem *Consubstantialis* omittat *epist. 174.* & tamen hanc solam Liberius omitti passus est; cur ergo silentio, & quidem pœnis expresso, unius vocis hæreticus? præsertim cùm non priùs Sirmio Liberius excesserit, quàm Arianâ hæresi, illisque qui negarent filium substantiâ, reliquisque omnibus Patri similem esse, damnatis, teste Sozom. *l. 4. c. 14.* Cùm ergo formula Sirmiens. cui subscripsit Liberius, nullam hæresin professa fuerit, & Episcopi, cum quibus communicavit, id ipsum credere dicerent, quod in illa continebatur, ex quo tandem capite Liberium hæresis accuses? de cujus in vera fide constantia contemptúque munerum sibi à Constantio Augusto oblatorum vide Theodoret. *l. 2. c. 22.*

Cur ergo, *inquies*, S. Hieronymus aliique Liberium *hæretica pravitati subscripsisse* dicunt? Quia Athanasij condemnationi assensus est, cujus causa adeò cum fide conjuncta fuit, ut idem videretur Athanasium condemnare, quod fidem prodere: Quia vocem *Consubstantialis*, quæ tessera Catholicorum erat, omitti passus est: Quia cum Arianis communicavit; ubi quidem multùm graviterque à Liberio peccatum est, sed extra naufragium fidei: quemadmodum non ideò Lutheranus est, qui cum Lutheranis communicat: sed hanc quoque maculam Liberius exterst, cùm rescissis damnatisque Ariminensis Conciliis Actis, sede iteratùm pulsus ærumnisque confectus, in sepulchris delituit, multisque propterea encomiis à SS. Patribus laudatus est. V. Sozomen. *lib. 4. cap. 10.*

Denique etiamsi concesserimus formulam, cui Liberius subscripsit, hæreticam fuisse, quid denique contra sententiam nostram sequitur? aliud enim est hæresi subscribere, aliud hæresin docere: & quemadmodùm Petrus cùm Christum negavit, aut Marcellinus cùm Idolis thus incendit, non propterea ex cathedra sententiam tulit, decidítque Christum negandum, Idolis adolendum esse; ita nec Liberius. Nec nos Pontificem metu vinci posse, ut hæresi subscribat, & cum hæreticis commu-

communicet, negamus: sed non posse hæresin è cathedra Ecclesiam docere, & fidelibus errorem, pro veritate, credendum imponere: hoc nec Liberium, nec ullum Pontificem feciſſe, facturumque contendimus. De aliis verò Pontificum erroribus nobis nec quæstio, nec cura est. (a)

IX. *Non obstat 9.* Felicem II. operâ Arianorum, Liberio in exilium pulso, suffectum esse, quem S. Hieronymus Episcopum Arianum fuisse dicit in Catalogo scriptorum in Acatio.

R. esp. Felicem, antequam Pontifex Romanus eligeretur, liberè quidem cum Arianis communicâsse, nunquam tamen Arianum fuisse, ùt expressè testantur Ruffinus *l. 10. histor. c. 22.* Theodoretus *l. 2. cap. 17.* Sozomenus *l. 4. c. 10.* Immo ubi cathedram Petri conscendit, in alium derepentè mutatus, & societatem cum Arianis abrupit, & Constantium Augustum, quòd Baptismum ab Arianis accepisset, sacris interdixit, capite ùt aliqui dicunt propterea truncatus, aut aliàs pro fide catholica ærumnis confectus; nam sanctum & Martyrem obiisse certum est. (b)

X. *Non obstat 10.* Gelasium I. Papam, *in libro contra Eutychen*, docuisse in Sacramento Eucharistiæ unà cum carne Christi etiam substantiam Panis post Consecrationem durare, quæ est manifesta Lutheri hæresis: ex quo errore argumentum contra Eutychen deducit, ut quemadmodùm post consecrationem utràque substantia inconfusa perseverat, ita post Incarnationem: verba Gelasij sunt: *Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia seu natura panis & vini, &c.* Et ne quis dicat hunc librum Gelasii Papæ non esse; sciendum est S. Fulgentium Gelasii coævum, hunc ipsum librum Gelasio adscribere, & multa ex illo citare *respons. 2. ad Ferrand. Diacon.* & patet ex illis verbis, quæ in eodem libro habentur: *Cùm sedem Apostolicam dilectio vestra unanimiter teneat, constanter prædicet, sapienterq; defendat, &c.* Quæ verba auctorem fuisse Romanum Pontificem apertè ostendunt. Si potuit ergo Gelasius errare, poterunt & alii Pontifices, nec enim major est unius,

(a) V. Baron. ad annum CCCLVII. num. 9. ubi suppositia Hilarii scripta refellit.

(b) V. Bellarm. de Romano Pontifice l. 4. c. 9. Baron. ad annum CCCLVII. Azor. p. 2. l. 4. c. 17. Damasum in vita Felicis, S. Gregor. 1. in Antiphonario & sacramentario.

quàm alterius ratio, cùm omnes æquè sint Christi Vicarij, omnes Petri Successores, omnesque in eadem cathedra sedeant.

Resp. Hîc iterum ex incertis argumentum deduci: est enim incertissimum, Gelasium Papam illius libri auctorem esse; immo videtur certum non esse, ùt gravissimi scriptores tradunt, & nos demonstrabimus, ut planè causæ suæ infirmitatem ostendant, cui sustinendæ tam infirmâ, & incerta præsidia adhibentur. Sed Gelasium Papam illius libri auctorem non esse his rationibus probamus.

Primò. Quia liber, quem contra Nestorium & Eutychen Gelasius Papa composuit, Gennadio *de scriptor. Ecclesiast.* & Anastasio *Bibliothecario* testibus, fuit *grande volumen, & in quinq; libros distinctum*, hic autem, de quo agimus, libellus tantùm est, & cujus, qui de Gelasij lucubrationibus scripsére, Gennadius vid. Anastasius, Trithemius &c. nullam mentionem faciunt.

Secundò. Auctor libelli de duabus naturis in ipso exordio altercationem de duabus naturis novam, recentémque & nuper natam esse dicit, ejúsque initiis extinguendis se illam scriptionem suscepisse: at verò quotempore Gelasius sedebat, Eutychiana hæresis non tantùm nova recensque non fuit, sed planè decrepita, immo extincta & funerata, & quam multa Concilia jam dudum damnaverant, Constantinopolitanum vid. sub Flaviano Patriarcha anno CDXLVIII. & aliud Constantinopolitanum, cui Leonis Papæ Legati adfuerunt anno CDL. & Concilium Chalcedonense Oecumenicum anno CDLI. post quod à Marciano & Leone Imperatoribus exterminati sunt Eutychiani anno CDLII. & CDLX. Quomodo igitur Gelasij Pontificis tempore, qui anno CDXCII. electus est, potuit hæresis tot jam retrò annis nata, damnata, extincta, nova esse, recensque?

Tertiò. Hic auctor professus se omnium ferè antiquorum Patrum sententias de incarnatione Domini collecturum, ex Latinis duos tantùm citat Damasum & Ambrosium, reliquos Græcos omnes, quod argumento est Græcum fuisse, immo Concilij Chalcedonensis, & Leonis Papæ nullam planè mentionem facit, à quibus tamen maximè hæresis Eutychiana conclamata, explosáque est, ut omnino credibile sit hoc opusculum à Gelásio Papa, & post Chalcedonense Concilium conscriptum esse, cùm sola hujus Concilij auctoritas mille Patribus par esset, sufficisset.

sufficiſſétque adverſariis revincendis: cur ergo omiſſum, quod præ omnibus erat? & omiſſum à Gelaſio Papa tantæ eruditionis tantique ingenij viro; quique Concilij Chalcedonenſis auctoritate libenter utitur, ut patet *ex ep. ad Fauſtum* data, tantò libentiùs tunc uſurus, cùm argumentum, quod præ manibus erat, id unicè poſceret, & victoria ex eo penderet.

Quartò. Inter alios orthodoxos Patres Euſebium Pamphili Cæſarienſem Epiſcopum citat, eúmque Gregorio Nazianzeno anteponit, hominem videlicèt non tantùm non ſanctum, nec Patribus annumerandum, ſed omnino impium, qui in Diocletiani perſecutione defecit, qui ſanctos Athanaſium & Euſtachium Catholicæ Religionis Duces acerrimè infectatus eſt, qui hæreſin Arianam facis inſtar ubiqúe accendit, in eademque vitam finivit; cujus memoria execrationi ſemper & luctui Catholicis fuit, quem etiam ejusque opera tanquam peſte Arianâ infecta ſeptima Generalis Synodus *Act. 5. & 6.* proſcripta voluit, cujusque hiſtoriam eodem veneno tinctam Gelaſius Papa inter Apocrypha rejecit; hunc, inquam, hominem toties mendacem perfidumque à Gelaſio inter Patres, inter ſanctos referri? ejusque teſtimonio, velut orthodoxi Eutychianos revinci?

Quintò. Teſtatur Caſſiodorus ſolitos fuiſſe hæreticos, & Pelagianos præſertim ſuis, quæ in lucem emittebant, operibus Gelaſij Pontificis nomen præfigere, *ut* (verba ſunt Caſſiodori *l. de divin. Lect. cap. 8.*) *res vitioſas glorioſi nominis auctoritate defenderent.* Nihil ergo novi, ſi Gelaſio Pontifici ſint adſcripta, quæ ad alium Gelaſium ſpectant, nominis inſuper ſimilitudine, fraudem, aut errorem juvante, ùt jam dicemus.

Sextò. Itaque Cardinalis Baronius accuratè eruditéque obſervat, auctorem hujus libelli de duabus naturis contra Eutychen & Neſtorium, Gelaſium illum eſſe, cujus in Bibliotheca Photius meminit, quique Acta Synodi Nicænæ tribus tomis contra Eutychianos complexus eſt: hic enim ſcripſit, cùm hæreſis Eutychiana ſæpiùs extincta Baſiliſci Tyranni potentiâ gliſcere iterum incœpit: idem exagitatum ſe ab Euthychianis, & contra eosdem

ſcripſiſ-

scripsisse dicit. Eusebium Pamphili eximiis encomiis ornat, & inter orthodoxos refert, eumq; Joannes II.PP. *in ep. ad Acacium, aliosque senatores* citat, quæ omnia optimè, & velut ad unguem in libelli auctorem quadrant. Videantur de hoc argumento *Baronius citat. Bellarminus de Rom. Pont. l. 4. c. 10. Canus de locis Theolog. l. 6. c. ult. ad 9. Spondan. ad annum CDXCVI. Ludovic. Jacob. Biblioth. Pont. le Mire Biblioth. Ecclesiast. pag. 72. & 201. Perronius, Binnius, Sirmundus, aliiq.*

Quòd si verò concederemus hunc ipsum libellum & errorem Gelasij Pontificis esse, non propterea causâ cecidimus. Jam enim prænonuimus Papam multa dicere & scribere, ùt privatum Doctorem, non ùt Pontificem: nec enim libros scribere est actio Pontifici propria, sed cuilibet Doctori concessa & communis, quæque ex omnium sententia errorem admittit, nec quidquid libris suis Pontifices inserunt, ad fidei dogmata pertinere volunt. Immo hæc est distinctio inter Dei & Pontificis Verbum, quòd illud in nulla sui parte, nullo tempore, nullóque casu, etiam in re minima mendacium errorémve patiatur: Pontificum doctrina in eo solùm casu certitudinem meretur, nec ullo errore fœdari potest, cum Ecclesiam è cathedra docet, hoc est, cùm quæstione aliquâ inter Christianos exortâ, Pontifex rebus omnibus maturè discussis sententiam pronuntiat, declaratque ad fidem aliquid aut hæresin pertinere, & Christi fidelibus, quid eos credere necessariò oporteat, cum apparatu, & pro Pontificia auctoritate mandat: hæc enim solennis, auctoritativa, ad totam ac universalem directa cum mandato declaratio, est actio soli Pontifici propria, in quam, ùt docuimus, cadere error non potest, quòd de illa circa Eucharistiam doctrina, Gelasio ad scripta dicit non potest.

XI. *Non obstat 11.* Eundem Gelasium Papam docuisse sacram Eucharistiam sub utraque specie necessariò sumendam esse, nec posse sine sacrilegio species separari, quæ est hæresis Hussitarum & Calvinistarum: habetur hoc Gelasij decretum apud Gratianum *in c. comperimus. de Consecrat. d. 2.* in hæc verba: *Comperimus quòd quidam sumptâ tantummodo Corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant: qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemq; mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Resp.

Resp. Vel Gelasium loqui de Sacerdotibus, qui non possunt alterâ specie abstinere, & sic Gelasium ipse Gratianus, Glossa, & rubrica illius Canonis explicant. Vel Gelasius loquitur de illis, qui non ex præcepto Ecclesiæ, infirmitate, aliáve simili & necessaria causa abstinebant speciebus vini, sed ex superstitione, ùt ibi Gelasius se ipsum explicans dicit. Sciendum enim est inter alias Manichæorum hæreses etiam illam fuisse, quòd superstitiosum ciborum delectum inducerent, abstinerèntque à carnibus & vino, quibus non inesse divinam substantiam dicebant, sed à mali principio generata: ob quam causam abstinebant Eucharistiâ sub speciebus vini, sed tamen ne hæresis notarentur, cum aliis Catholicis, Eucharistiâ sub panis speciebus fruebantur, ùt testatur oculatus testis *serm. 4. de Quadrag.* S. Leo Papa: Oportet ergo tunc temporis calicis usum Catholicis liberum fuisse, & aliquando eo non uti solitos, si enim utrâque specie Catholici, & necessariò vescebantur, non tam unius speciei usu latuissent, quàm proditi essent Manichæi, & tamen S. Leo eâ simulatione latuisse eos dicit. Ergo monito ejusdem Pontificis, qui perpetuò, & anxiè unam tantùm speciem frequentabant, dato velut signo pro Manichæis habiti deprehensíque sunt. Sanctus ergo Gelasius in citato Canone non absolutè damnat, qui unâ tantùm specie Eucharistiam sumunt: sed qui ex superstitione & sacrilegio hoc faciebant, quales Manichæi erant, quos à Gelasio Papa detectos, exilioque multatos esse, eorum libris concrematis testatur Anastasius Biblioth. *in Gelasio.*

XII. *Non obstat 12.* Vigilium Papam hæresin Eutychianam professum esse, & anathema illis dixisse, qui duas in Christo naturas dicebant, ùt prolixè scribit Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis in suo Breviario *cap. 22.* Ubi Epistolam Vigilij ad Theodoram Augustam recitat, & habetur *in Tomo 2. Conciliorum.*

Resp. Casus Vigilij sic habuit. Theodora Augusta Eutychianam hæresin animo fovebat, dolebátque à Romanis Pontificibus suæ fidei Episcopos, Anthimum præsertim sede ejectos, deportatósque esse. Vigilium ergo Agapeti quondam Diaconum aggreditur, ingentem auri vim, & Pontificatum pollicita, si Chalcedone acta rescinderet, Eutychianam fidem probaret, Anthimum re-

stitueret. Omnia à Vigilio promissa, auri cupiditate & ambitione cæco. Sylverius in exilium pulsus, subornatâ, quòd cum Gottis colluderet, accusatione. Vigilius Belisarij potentiâ, viventi adhuc & exulanti Sylverio suffectus; quo tempore ad Theodoram arcano chirographo Eutychianam hæresin professus est, monitâ tamen Augustâ, ut omnia silentio, secretóque tegeret, re enim vulgatâ Romanos palàm defecturos. Mortuo posteà inter ærumnas Sylverio, Augusta à Vigilio petere, exsolveret fidem occultis litteris obstrictam, reciperétque in gratiam Anthimum Patriarcham. Negavit Vigilius præstari à se posse, quæ temerè promisisset: neminem pactis obligari, quæ turpiùs servantur, quàm rumpuntur. Excanduit Imperatrix, & Vigilium attactu, & si dicere licet, facto quodam Romanæ cathedræ subitò mutatum, quasi fidem Petri cum mitra induisset, in exilium egit, ubi pœnis, ærumnisque confectus, Sancti nomen, & encomia à Patribus accepit. (a)

Ex hac Vigilij historia manifestum est, epistolam quâ hæresin probabat, ab eo scriptam, cùm nondum vivente adhuc Sylverio legitimus Papa esset; nec fuisse illam epistolam definitionem è cathedra, de qua tantùm disputamus, sed occultos furtivósque codicillos, & ab ipso auctore silentio tenebrisque damnatos, ac luce prohibitos, quod omnino sententiæ judiciali, & è cathedra prolatæ repugnat.

XIII. *Non obstat 13.* Honorium I. Pontificem Hæreticum Monothelitam fuisse, eámque hæresin in duabus epistol. ad Sergium docuisse, quam ob causam inter alios hæreticos numeratur, damnatúrque in sexta generali Synodo Constantinopolitana sub Agathone Papa.

Resp. Honorium Papam quod attinet, nos planè ambiguos animi esse, quid de illius hæresi dici oporteat. Si enim auctoritatem illorum æstimes, qui eum hæresis accusant, negari omnino non potest hæreticum fuisse, hoc enim testantur Concilia Oecumenica, sextum, septimum & octavum, & hoc præsertim *Actor. 7.* idque semper Apostolicæ sedis Legatis, qui utique reclamâssent, si Honorium innocentem credidissent. Honorium quoque hæresi postulant Hadrianus II. Papa, ùt habetur *in actis 8. synodi generalis act. 7.* Leo Papa in litteris ad Constantinum

(a) V S Gregor. M. l 2, epist. 36, ad Episc. Hibern. Paulum Diacon. in vita Justiniani, &c.

ſtantinum Auguſtum, Agatho Papa ad eundem Auguſtum. Iterum Leo Papa II. *epiſt. 2. ad Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos:* & *epiſt. 5. ad Ervigium Regem Hiſpaniæ.* Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolit. *epiſt. ad Leonem III. PP.* Tharaſius ad ſummos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, & ſanctæ Urbis, Theodorus cum Synodo ſua Hieroſolymitana, ùt habetur *in 7. ſynodo actor. 3.* Beda *de naturarerum cap. 67.* His omnibus tanto numero, tantáque auctoritate, fidem abrogare velle, cósque aut deceptos dicere, aut mendaces, quid amabò aliud eſt, quàm contra torrentem navigare, omnémque hiſtoriam Eccleſiaſticam in dubium vocare? ſi enim tot tantíque teſtes decepti ſunt, idem de Sozomeno, Socrate, Nicephoro, Theodoreto, aliisque omnibus dici poterit, qui longè minoris fidei, & auctoritatis ſunt, quàm illi, qui Honorio Hæreſin adſcribunt: ſublatâ verò hiſtoriâ, & conſequenter traditione, uſúque Eccleſiæ, quæ tua arma contra hæreticos ſatis valida habebis? Malè ergo, ùt nobis equidem videtur, Eccleſiæ illi conſulunt, qui ut Honorij cauſam tueantur, hiſtoriam, Eccleſiámque exarmant. Ergo ſi teſtibus agenda res eſt, Honorius Papa hæreticus fuit.

Si verò cauſam ipſam rationésque attendas, ob quas hæreſis poſtulatur Honorius, fatendum eſt innocentem eſſe, & noxâ liberum. Rem non ex aliorum opinionibus, quæ plerumque partibus addictæ ſunt, ideóque fallaces; ſed ex ipſa hiſtoria litterisque Sergii Monothelithæ ad Honorium, & hujus ad Sergium deducemus. Heraclius fuſis fugatisque Perſis, & intra Tigrim fluvium coërcitis, Hierapolim victor intraverat. Illic ab Athanaſio Jacobitarum Patriarcha officii cauſâ inviſitur. Hunc ejusque aſſeclas Imperator benignè monet, depoſitâ tandem Eutychianâ hæreſi, quæ unam tantùm in Chriſto naturam agnoſcebat, in gratiam cum Eccleſia redeat, & decretis Chalcedonenſis Concilii acquieſcat. Athanaſius jam hæreſin Monothelitharum hauſerat, qui ex Eutychianis nati duas in Chriſto naturas admittebant, ſed unam voluntatem, unamque operationem. Ergo ex Imperatore viciſſim quærit, ecquid ipſe de Chriſto ſentiat, duásne in illo voluntates duásque operationes, an unam eſſe? Heraclius quid ad hanc quæſtionem reſponderet, dubius, Sergium Conſtantinopoli Patriarcham, & Cyrum Phaſidis Epiſcopum, per litteras conſulit.

Ab utróque (nam Monothelitæ erant) responsum, unam esse Christi voluntatem, unam operationem: idque odeò ab illis Cæsari persuasum, impressumque est, ut edicto, quod Ecthesin, hoc est, expositionem vocârunt, unam in Christo voluntatem prædicari, crediique jusserit. Sergius coactâ Synodo novam hæresin, quanto conatu potuit, muniendam curavit, & Imperatoris edictum, ab Episcopis subscriptum spectante populo, ad fores sanctæ Sophiæ palàm affixit. Idem à Cyro Alexandriæ factum. Sophronius sanctitate & doctrinâ tunc celebris, & posteà ex Monacho Episcopus Hierosolymitanus, exultanti palàm hæresi, & Principis potentiâ subnixæ, se ex adverso opponit, excitatisque orthodoxis Monothelitas anathemate ferit, & hæreticos pronuntiat. Sergius Catholicorum, & Sophronij præsertim auctoritatem veritus, Honorio Pontifici scribit, simulatâque quam publicè in Synodo & edicto produxerat hæresi, novas à Sophronio turbas agitari dicit, omnia inter Catholicos discordiis misceri, novis nec necessariis vocularum disputationibus animos turbari: optimum proinde videri, si nec una in Christo voluntas dicatur, nec duæ, sed hisce vocibus velut facibus discordiarum extinctis, id de Incarnatione dicatur credaturque, quod Patres & Concilium Chalcedonense præsertim definierant.

En tibi historiæ contextum ex ipsa Sergii ad Honorium epistola, quæ recitata est in 6. Synodo, *Act. 12.* & habetur *Tomo 3. Conciliorum Venetæ edition.* Jam quid Honorius responderit, videamus. Is ergo duas ad Sergium epistolas dedit; utramque reperies *Act. 12. & 13. sextæ Synodi Tomo 3. Conciliorum.* Earum hæc summa fuit: *Duas esse in Christo naturas, eas discretas, inconfusas, impermixtas, sicq; hæreticum esse Eutychetem, qui illas confunderet. Utramq; naturam operari, divinam quæ Dei sunt, humanam quæ hominis. Abstinendum tamen à vocibus duarum vel unius voluntatum, idq; multis ex rationibus.*

Primò. Quia voces illæ novæ, & hactenùs inauditæ, & ideò partim essent simplicibus suspectæ, partim offendiculo, cùm eas non satis intelligerent.

Secundò. Quia qui unam voluntatem diceret, videri posset; unamquoq; naturam admittere, sicq; hæresin Eutychianam incidere: qui verò duas voluntates, duasq; operationes diceret, suspectus fieret hæresis Nestorianæ, quasi ùt duas operationes, ita duos operantes, & consequenter duas in Christo personas agnosceret.

Tertiò.

Tertiò. Quæstionem de una aut duabus voluntatibus in nulla Synodo, nec à Patribus definitam esse, non ergo ad dogma fidei pertinere.

Quartò. Videri hanc quæstionem vel ad Grammaticos, vel ad Philosophos pertinere, cur ergo illius causâ fideles turbentur?

Quintò. Cum duæ in Christo voluntates esse dicuntur, aliquos sic intelligere, quasi duæ contrariæ, pugnantes, discordesq; in Christo voluntates fuerint, ita ut humana nollet, quod vellet divina: id verò falsum & absurdum esse; sed in hoc sensu unam tantùm in Christo voluntatem, hoc est, non diversam, neque contrariam dari, cùm Christus naturam hominis, non culpam aut repugnantiam naturæ cum divina voluntate assumpserit. Hæc est sententia litterarum Honorii ad Sergium, quibus hæresis Monothelitarum damnatus est, & quas tanto fideliùs nos reddidimus, quòd *Tomo 2. Conciliorum* in actis sextæ Synodi exstent *Act. 12. & 13.* ubi facilè videri possunt, & cum iis quæ diximus conferri.

Jam verò in his omnibus, quæ Honorius ad Sergium scribit, non tantùm hæresin Monothelitarum non adstruit, sed planè destruit; Monothelitæ enim negabant duas in Christo esse voluntates, sed unam tantùm: idque in ecthesi ab Heraclio vulgata expressè continebatur: at Honorius clarissimè dicit: non esse dicendam unam voluntatem, vel unam operationem, sed unum operantem; monetque Sergium, ut omittat deinceps unam voluntatem in Christo dicere. Monothelitæ ideò in Christo unam voluntatem ponebant, ut ex illa inferrent unam naturam, cùm natura humana sine voluntate esse non possit, quod S. Maximus in disputatione cum Pyrrho animadvertit: at Honorius expressè duas naturas distinctas inconfusas, discretasque agnoscit.

Monothelitæ nullam propriam & humanam operationem in Christo agnoscebant, sed tantùm divinam; dicebant enim, admissis duabus operationibus admittendos esse duos operantes, ùt observat S. Thom. *3. p. q. 18. a. 1.* & Pyrrhus *in dialogo cum S. Maximo* fatetur: at Honorius in secunda ad Sergium epistola apertissimè duas naturas esse dicit, & singulis naturis propriam operationem tribuit, quam vis ad evitandam ex novis vocibus offensionē nollet duas operationes dici. Verba Honorij sunt: *Pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos operatorem Christum Dominum in utrisq; naturis veraciter confiteri: & pro duabus operationibus*

ablato geminæ operationis vocabulo ipsas potiùs duas naturas in una persona inconfusè, indivisè nobiscum prædicare propria operantes. Quid potuit clariùs ab Honorio dici? si enim quælibet natura habet propriam operationem, hoc est, humanam & divinam, ergo sunt duæ operationes: sicut enim unum idémque non potest esse equus & lapis, ita, multóque minùs potest esse divinum & humanum. Ergo perinde est duas naturas cum propriis operationibus (quas Monothelitæ negabant) admittere, quod duas operationes; sed hanc vocem, *duas*, refugiebat Honorius propter causas suprà allegatas. Quomodo ergo Honorius Monothelita, si negabat, quod Monothelitæ admittunt, admittebat, quod illi negabant? immo quod maximi momenti est, S. Maximus Abbas & Martyr, quique sedente Honorio vivebat, in celebri illa, cum Pyrrho Monothelita, disputatione, quam totam græcè latinéque Baronius recitat ad calcem *Tom. 8. Annalium*, Pyrrho auctoritatem Honorij opponenti, respondet: non negâsse Honorium duas in Christo voluntates, humanam videl. divinamque; sed negâsse tantùm duas humanas & contrarias, quales in hominibus reperiuntur, cùm spiritus concupiscit adversùs carnem, & caro adversùs spiritum: dabimus verba Pyrrhi Monothelitæ Hæretici Honorium acculantis, & S. Maximi Catholici & Martyris eundem Honorium ab imposita calumnia liberantis: *Si ita de Vigilio. Quid de Honorio ad respondendum habes, qui apertè antecessori meo unam voluntatem Domini Nostri JESU Christi esse tradidit?* Maxim. *Quis fuerit fide & auctoritate dignus epistolæ hujus interpres, quia eam ex persona Honorij scripsit, adhuc superstes, & qui totum occidentem cùm aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei Christianæ illustravit; an ij, qui Constantinopoli, quæ ex corde erant, loquebantur?* Pyrrhus. *Qui hanc composuit.* Max. *Is igitur ipse, cùm ad divum Constantinum Imperatorem ex persona rursus S. Papæ Joannis de hac epistola scriberet, dixit: Unam voluntatem diximus in domino, non divinitatis ejus, & humanitatis, sed humanitatis solius. Cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritûs, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat. Hoc autem ita esse, argumentum evidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem de divinitate illa accipi non permittunt.*

Dicet:

Dices: Honorius in duabus illis allegatis epistolis se cùm Pyrrho sentire, ejusdemque doctrinam approbare dicit: ac constat Pyrrhum hæreticum fuisse ducemque Monothelitarum.

Resp. Honorium in uno capite cum Pyrrho conspirâsse: in aliis verò, quæ hæresin continebant, apertè & ex professo dissensisse. Scripserat enim Pyrrhus, sibi pacis componendæ causâ, comprimendisque discordiis, quæ gliscebant, necessarium videri, ut nec duæ in Christo voluntates dicerentur, nec una, sed duæ tantùm naturæ. Respondit Honorius sibi hoc placere, variasque produxit causas, ob quas de duabus operationibus silendum esset. Quòd verò Pyrrhus aliud ad Honorium scribens, aliud docens, duas voluntates expressè negaret, unamque assereret, eundemque errorem in Episcopos disseminaret, adeò Honorio non placuit, ut etiam positivè improbaret, ùt ex illius epistolis manifestum fecimus.

Ceterùm quidquid de causa Honorii Pontificis sit; nihil illum ex cathedra definîsse, quod hæresin sapiat, certum est: cùm epistolæ, quas ad Sergium dedit, privatæ fuerint, nihilque decîdant, & nec unam voluntatem in Christo, nec duas dici velit: sed duas naturas cum propriis operationibus: quod planè non est decîdere, sed rem in suspenso relinquere.

XIV. *Non obstat 14.* Multos alios SS. Pontificum errores fuisse, ùt Gregorij III. qui *in epist. ad Bonifacium*, quæ habetur *Tom. 3. Conciliorum & in c. quod proposuisti 32. q. 7.* ob infirmitatem Uxoris Marito aliam ducere permittit. Nicolai I. docentis Baptismum in nomine Christi sine trium personarum expressione valere, *c. à quodam de Consecration. d. 4.* contra canonem *multi.* & canonem *in Synodo d. ead.* Alexandri III. *in c. cùm esses de Testamentis:* aliorumque Pontificum, admittentium posse matrimonium ratum alio matrimonio, sed consummato dirimi *in c. licèt de sponsa duorum.* Innocentij III. *in c. per venerabilem:* ubi dicit legem Veterem necdum plenè esse abrogatam. Nicolai III. *in c. exijt de V. S. in 6.* ubi docet, Christum perfectam docuisse paupertatem, quæ consistit in abdicatione omnis dominii tam in particulari, quàm in communi: quam doctrinam hæreticam esse definit Joannes XXII. *extravagante ad conditorem. Et quia quorumdam de V. S.* Idem Joannes

Joannes negavit animas Beatorum ante Resurrectionem Deum visuras teste Gersone *serm. de Paschate aliisq;*. Cælestini III. *in c. quanto de divortiis*, ubi testatur Innocentius III. eum sensisse Matrimonium dissolvi altero conjugum in hæresin labente.

Resp. Istos omnes aliosque errores, qui Pontificibus tribuuntur, personales fuisse, privatósque, non verò definitivos & sententiales, ut legentibus patet, & ideò singulis non immoramur, sed lectorem ad ea, quæ jam dicta sunt remittimus; videri etiam possunt Cajetanus *in opusculo de 27. quæstionibus*. Azorius *2.p.l.5.c.15*. Canus *l.6.c.ult.* Bellarm. *de Romano Pontif. l.4*. Spondanus & Baronius, ubi de singulis Pontificibus agunt. Gonzalez in Decretales, aliique. Habenda est ergo semper ante oculos ea regula, Pontificis Romani in fidei materia definitiones, tunc esse certas, infallibiles, securásque veritatis, & quibus reluctari non liceat, cùm videl. quæstione aliquâ ad sedem Apostolicam delatâ, & re maturè discussâ, causæque meritis examinatis, Pontifex sententiam pronuntiat, eámque non ad unam alterámve, sed ad totam & universalem Ecclesiam dirigit, obligátque fideles, ut ita credant: non quidem ut ipsa Pontificis sententia sit causa & ratio credendi; sed tantùm applicatio certa & inerrabilis divinæ revelationis, cui fides nostra soli & unicè innititur. Talis enim sententia cum auctoritate & imperio aliquid definiens, totique Ecclesiæ velut dogma proponens, est proprius actus Pontificiæ potestatis, pertinénsque ad solum Pastorem Doctorémque Ecclesiæ universalis: alii verò actus, hoc est, epistolæ, rescripta, responsa ad quæstiones privatorum, aut etiam particularium Ecclesiarum, non sunt actus verè Pontificii, sed cujuslibet Doctoris, aut Episcopi, quos errare posse omnes confitemur. Certitudo quippe fidei à DEO Pontificibus in Petro promissa, non propter personas, Ecclesiasque privatas concessa est, quæ falli omnes possunt: sed propter Ecclesiam universalem erroris incapacem, ùt bene notavit Canus *l.5.c.5.q.4*.

XV. *Non obstat 15*. Multa à summis Pontificibus, & etiam Conciliis statui decerniique, non tanquam certæ & exploratæ fidei, sed tanquam magis probabilia; non ergo quia sunt definita, ideò sunt certa, sed tantùm magis probabilia, v. g. *in c. firmiter de summa Trinit.* Concilium Lateranense sic loquitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus est solus verus Deus Creator omnium visibilium & invisibilium*

sibilium, corporalium & spiritualium, qui simul ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem, Angelicam videl. & mundanam. Atqui non est fidei adversum, Angelos ante mundum corporeum conditos, aut spiritualis naturæ non esse; quamquam qui hoc diceret, temerarius nunc esset. *S. Thom. 1 p. q. 61. art. 3.* Sic etiam *in Clement. unica de sanctissima Trinitate*, ea opinio tanquam probabilior eligitur, quæ habet, in Baptismo gratiam & virtutes infundi.

R. Cùm Pontifices & Concilia aliquid definiunt, adduntque veritatem sic definitam ad fidem pertinere, aut anathema dicunt contrarium sentientibus: aut qui ita, ùt definitum est, non credunt, hæreticos pronuntiant: aut volunt ea firmiter à fidelibus credi; cùm ergo Pontifices hoc, similive loquendi modo utuntur, certum est, non tantùm, quæ magis probabilia, sed quæ omnino certa & explorata sunt, proponi, cùm fides sit de certò veris, hæresis de certò falsis, omni probabilitate exclusâ, & exempla sunt *in c. damnamus de summa Trinit. c. unico eodem in 6. Clement. unicâ eod.* § 2. Quæ autem in Conciliis, vel Pontificum Decretis adducuntur explicandi tantùm causâ, vel ad objecta respondendo, vel rationes aliquas afferendo, vel incidenter solùm, & præter causam principalem asserendo; hæc ad fidem non pertinent, sed tantùm ad majorem minorémve Pontificum doctrinam, cùm solius Dei sacræque Scripturæ privilegium sit, ne apice quidem in veritatem offendere; Conciliis verò summisque Pontificibus ea tantùm certitudo donata est, quæ instruendæ Ecclesiæ necessaria fuit. Si verò summi Pontifices sententiam aliquam, non quidem anathemate feriant, nec hæresis notent, eam tamen doceri exercerive sub pœna excommunicationis prohibeant; ea omnem continuò amittet probabilitatem practicam, hoc est, tutò licitéque exerceri, & sine peccato non poterit, quantumvis hæretica non sit. Exempla habemus *in c. ad abolendum. de hæret. c. gaudemus de divortiis. & in propositionibus ab Alexandro VII. & Innocent. X damnatas.*

XVI. *Non obstat 16.* Pontificem in quæstionibus facti errare posse, ùt communis omnium Doctorum sententia habet; ergo etiam poterit in quæstionibus juris, in fidei decretis, & generalibus præceptis morum. Consequentia probatur, quia multa ad fidem per-

tinentia, in facto consistunt, v. g. Sacramentum Matrimonii à Christo institutum esse, Sacramenta esse tantùm septem, non plura: characterem in Baptismo impressum esse qualitatem indelebilem, quæque repeti non possit, &c. Immo in omnibus definitionibus, quæ ad fidem, moresque spectant, non aliter summus Pontifex infallibiliter à Deo dirigitur, quàm si omnem, aut saltem necessariam diligentiam rei examinandæ impendat: nec enim somnianti temereque agenti Spiritus Sanctus dogmata inspirat: at verò ea diligentia est facti, multisque erroribus subjecta: quid si enim non satis rem perpenderit? non doctiores rerumque peritiores ad consilium vocaverit? non audierit quæ in contrarium opponebantur? uni tantùm parti aurem, non alteri præbuerit? hæc omnia sunt facti, erroremque admittunt: ergo etiam fidei morumque decreta, quæ ab aliis pendent.

R. Quæstiones facti esse duplicis generis: alia enim sunt facta, vel immediatè à Deo per scripturas & traditiones revelata, vel saltem cum revelatis connexa, qualia sunt Christum in Eucharistia realiter existere, & panem in sacram illius Humanitatem mutari, &c. In hæc error nullus cadit, cùm repugnet, Deum in quacumque re, tam facti quàm juris, errore aliquo capi, aut falsum dicere, hoc est, aut ignorantem esse; aut mendacem, quæ duæ sunt falsi origines. Ad eadem facta mediatè revelata pertinet diligentia illa necessaria, quam in rebus fidei decidendis in Romano Pontifice desideramus: cùm enim voluerit Deus Ecclesiam errare non posse, voluit etiam nihil ei deesse, quod vitando errori necessarium est: & ideò Patres sextæ Synodi contra Monothelitas ex eo, quod in Christo duæ essent naturæ, optimè intulerunt, duas esse voluntates, cum voluntas sit potentia cum humana natura necessariò connexa.

In illis verò quæstionibus facti, quæ nec immediatè, nec mediatè à Deo revelatæ sunt, quæque ex testimonio & informatione hominum pendent, negari non debet, & Concilia & Pontifices errare posse: cùm enim fides divina testimonio & Verbo Dei nitatur, & vox Papæ sit vox hominis non Dei, non potest ille, quæ nec mediatè nec immediatè revelata sunt, pro fidei dogmatibus proponere: quæ verò sunt facti, revelata non sunt, & ideò errori obnoxia.

obnoxia. Quod ingenuè ipsi Pontifices confessi sunt, Bonifacius videl. VIII. *in c. 1. de constitutionibus*, ubi dicit: Romanos Pontifices ignorare, quæ sunt facti: at ignorantia est matèr erroris: errare ergo potest, qui ignorat: Et Eugenius IV. qui cùm ex certis magnisque causis Concilium Basileense dissolvisset, & ab eo acta, planè irrita declarâsset, per Bullam *Inscrutabilis anno MCCCCXXXIII.* veritatem posteà edoctus, per aliam Bullã *dudum anno MCCCCXXXIV.* quæ priùs constituerat, revocat; non quia Concilium dissolvere non poterat, sed quia ex non veris causis, ùt posteà apparuit, id egerat: extant Bullæ Eugenii in actis Concilii Basileensis *sess. 16.* & videndus est Raynaldus ad *annum MCCCCXXXIV. n. 5.* Denique qui Honorium I. hæresi absolvunt, sunt verò quàm plurimi, ii etiam negare haud possunt, & in Pontifices & in Concilia errorem cadere, ab utrisque enim hæresis damnatus est, ejusque memoria, tanquam hominis hæretici profligata.

XVII. *Non obstat 17.* Fide tantùm humanâ constare hunc in individuo hominem, v. g. Innocentium XI. esse legitimum verumque Pontificem, ac in terris Christi Vicarium; at fides humana errori subest, fierique potest, non esse legitimum Pontificem; quid si enim invalidè electus? quid si non ritè baptizatus? aut unde nobis constat ritè baptizatum, electumque esse, nisi fide humanâ, quæ falli potest? Sic Joannes VIII. sic Formosus veri Pontifices credebantur, & tamen eventus docuit, illum fœminam fuisse, istum non verum sed imaginarium Papam, & cujus acta à Stephano VI. omnia rescissa sunt. Si ergo fide divinâ & certâ Innocentium Pontificem esse non constat; non etiam certa divinaque fide constabit, quæ ab illo decernuntur, certa esse, & ad dogma, si hoc declaret, spectare.

R. Hanc objectionem nimium sibi sumere, & si quid probet, non in Pontifices tantùm, sed in omnia Concilia, in totam Ecclesiam, & intima fidei Catholicæ viscera grassari: si enim certâ, indubiaque fide non constat Innocentium XI. legitimum Papam esse: ergo nec Innocentium X. nec Clementem IX. nec Alexandrum VII. nec Leonem, nec Agathonem, nec Sylvestrum: in omnibus enim aut nulla subest dubitandi ratio, aut eadem. Si ergo Pontifices, & ab illis definita dubia sunt; ergo etiam quæ à Conci-

ciliis, nam hæc à Pontifice confirmantur, & sine Pontifice tam sunt integra, quàm corpus capite suo truncum. Immó ex iisdem causis, quæ tibi Pontifices, eorumque electiones dubias faciunt, ipsa etiam Concilia in dubium vocantur, quæ ut sint legitima, multo pluribus, quàm Pontifices opus habent: dubio verò Pontifice, dubiis Conciliis, dubiis etiam quæ ab illis constituta sunt, quid superest in fide certum? frustra Ariana hæresis, frustra Nestoriana, Eutychiana, Lutherana, Calviniſtica, frustra omnes hæreses damnatæ, nam ùt tu dicis, incerti erant Papæ, incerta Concilia, incerta ab utrisque decisa; quæ verò incerta sunt, nec ad hæresin, nec ad fidem pertinent, ut credi necessariò negativè debeant. Quòd si nemo audet Concilia, quæ ab Ecclesia recepta sunt, in dubium vocare, immò qui hoc agit, æquè ac qui Evangelia non recipit, hæreticus est, teste D. Gregorio *in c. sicut. d. 15.* idem de Pontifice Romano dicendum est, par enim, ut paulo ante notavimus, de utrisque est ratio. Et sicut ad fidem non sufficit credere aliquam in genere Ecclesiam, & non istam determinatam; aut aliquas scripturas sacras, sed non istas, quas manibus terimus; ita nec sufficit, aliquem in Ecclesia Vicarium, aliquod caput visibile, aliquem Judicem Controversiarum, sed non istum, quem Ecclesia elegit, quem Ecclesia colit, à quo leges & decreta, ac in rebus controversis sententiæ procedunt. Quando navigabis, quando litem absolves, quando finem morbo impones, si aliquam quidem navim, aliquem judicem, aliquem medicum velis, sed nullum certum, nullumque, quem possis digito ostendere, nec istum, nec illum admittas: sic pessimè consultum Ecclesiæ, pessimè fidelibus, si Christum nullum illis Pontificem dedit, cùm in mornm, tùm in fidei decretis certam fidem deberent, certamque obedientiam. Nec in Ecclesia totretrò sæculis, & hæreticis totiesin Romanam sedem armatis auditum aliquando est, hanc Pontificibus eorumque Decretis exceptionem oppositam esse, quòd videl. non certò constaret Leonem, Sylvestrum, Damasum legitimos Papas esse: quanti putas hoc inventum Ariani emissent, ut Nicæno Concilio litem inferrent, & quæ illic Patres deciderant, inania redderent? sed hoc nostro sæculo, in quo tanta novarum rerum cupido est, vicimus antiquitatem, novo artificio reperto, ut Papam sine Papa, legem.

gem sine lege, sententiam sine sententia haberemus, hoc est, aliquem Papam, sed non istum, aliquem Legislatorem, sed non istum, aliquem Judicem, sed non istum, nullumque certum; captâ interim credendi faciendique quod placet libertate. Denique post Concilium Constantiense vix intelligimus, quomodo negari possit certâ fide hunc in individuo Pontificem pro vero legitimóque habendum esse, *sess.* enim *ult.* Martinus Papa sacro approbante Concilio, ab hæreticis, qui Ecclesiæ Catholicæ conjungi volunt, ante omnia exigendum esse dicit: *Ut credant Papam Canonicè electum, qui pro tempore fuerit, ejus nomine expresso esse successorem Petri, & supremam habere in Ecclesia potestatem.* Supponit ergo Concilium, credi posse fide divinâ, (nec enim de alia fide quàm divina hæretici sunt interrogandi,) hunc numero & determinatum Pontificem legitimum esse Christi Vicarium, immo credi debere, nec enim quæ credi non possunt, aut non debent, necessariò credenda sunt.

Duces: Concilium loqui de Pontifice canonicè electo, at non constare canonicè electum esse.

Respondemus: Si constare certâ fide non potest Papam Canonicè electum esse, cur ergo Concilium tam accuratè vult hæreticos de hoc interrogari? erit enim otiosa minimeque necessaria interrogatio, cùm sicut constare non potest esse canonicè & validè electum, ita nec legitimum Pontificem Christique Vicarium. At Papam legitimè baptizatum, ordinatum, electumque esse Deus nunquam revelavit, quî ergo credi potest? Immo tunc revelavit, cùm tota Ecclesia Pontificem pro legitimo habuit recepitque; vox enim & testimonium Ecclesiæ, quæ falli non potest, vox est & testimonium Dei: sicut enim Deus nunc verbo, nunc litterâ, nunc miraculis, ita vocibus & assensu Ecclesiæ loquitur, juxta illud Christi Domini pollicitum: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; ipse spiritus docebit vos omnem veritatem.*

Ad Dei ergo providentiam curamque pertinet, ut Ecclesiam, quam voluit esse columnam & firmamentum veritatis, in re tanti momenti errare non permittat, eumque pro Pontifice colere, qui Pontifex non est; aut si permittat circa personam ipsam Pontificis errare, non permittat tamen circa auctoritatem, hoc est, putatitio Pontifici eam ipsam auctoritatem potestatemque, quam vero

tribuat, quemadmodùm leges humanæ id ipsum in putatitio judice, teste, & matrimonio statuunt *in l. Barbarius de off Prætor. l. 3. in fine ff. de suppellect. legat. l. 3. ff. ad S. C. Ad. §. 7 Instit. de Testam. ordin. c. infamis 3. q. 7. c. penult. & ult qui filii sint legitimi.*

XVIII. *Non obstat 18.* Eorum sententiam, qui Pontificem extra Concilium falli posse affirmant, probabilem esse, ergo illam tutò amplecti, docere, & si res ferat, exercere etiam possumus.

R. Sententiæ alicujus probabilitatem ex duobus capitibus æstimari: ex rationum videl. gravitate ac momentis; & ex docentium auctoritate. Rationes quod attinet, aut nullæ pro contraria sententia producuntur, aut tam infirmæ fragilesque, & solutu tàm faciles, ut ad flectendum in unam partem intellectum, ejusque assensum non dico extorquendum, sed invitandum, pondus exiguum habeant, immò nullum, si cum illis rationibus conferantur, quæ in oppositum urgent. Compara scripturas cum scripturis, Concilia cum Conciliis, Patres cum Patribus, Ecclesiæ usum cum usu, rationes cum rationibus, & tunc demum videbis, quam vim movendo flectendoque intellectui habeant, quæ ab Adversariis dicuntur: revoca etiam in animum Patrum Doctorumque censuras, quibus sententiam illam configunt, & tecum reputa, an aliquam probabilitatis speciem agnoscant: & censuras non Patrum quorumcunque, sed sanctitate & doctrinâ florentium, quosque non ùt Doctores tantùm, sed ùt fastigia & vertices Doctorum omnes scholæ venerantur. Vix pro sententia, quam impugnamus, octo decemque auctores numerabis, ubi nostra omnes habet, quotquot ubique terrarum scripsére. Quis enim est Gerson, Almainus, Adrianus, ut illos Thomæ Aquinati, Alberto M. Bonaventuræ, Antonino, Bernardo, & omnibus ferè opponas? Enimverò ad hos soles pallescunt illæ stellæ, disparentque, & tam fieri non potest, ut qui istorum auctoritatem rationesque spectat, aliquam in contraria sententia probabilis rationem videat, quam ut lucente in meridie sole radii aliquid aut lucis in stellis observet: immo multo minus; cùm in cœlo stellæ sint plurimæ, sol unus, à nobis verò soles sint plurimi, & ex adverso stellæ pauciſſimæ.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER IV.

PROPOSITIO IV.

LIcèt Pontifici Max. Vicario Christi summa in Ecclesiam Catholicam sit potestas à Deo concredita; ea tamen est ad ædificandum, nondestruendum, nec contra veritatem, sed pro veritate. Non poterit ille in lege divina & naturali dispensare, quæ totius Ecclesiasticæ disciplinæ, ac vitæ Christianæ fundamenta sunt. Nec etiam nulla aut levi ex causa leges canonicas solvere. Quid enim hoc aliud esset, quàm contra monitum Sapientis sepem dissipare, & unâ manu destruere, quod Apostoli, quod Patres tanto laborum, sanguinis ac vitæ impendio alterâ manu construxerunt? Sitamen necessitas aut utilitas Ecclesiæ poscat, publica præsertim, ad eundem summum Pontificem spectabit iisdem clavibus, quibus Cœlum, etiam Canones aperire, & canonicum rigorem paternâ indulgentiâ dispensando mitigare. Néque hoc est contra, sed maximè juxta Canones agere, qui hoc ipsum summis Pontificibus concesserunt.

§. I.

§. I.

Papam in lege divina & naturali dispensare non posse.

Summaria.

1. *Sicut res omnes, sic Pontificis auctoritatē terminis includi.*
2. *Testimoniis sanctorum Patrum & Doctorum non posse summum Pontificem in legibus divinis & naturalibus dispensare ostenditur.*
3. *Et rationibus.*
4. *Non posse ergo Pontifices juri quæsito, pactis & privilegiis, quæ in pactum transierunt, derogare.*
5. *Posse tamē in jure Naturali permissivo, votis, juramentis Deo factis, & Canonibus Apostolorum ex causa dispensare.*

I.

INter alia, quæ à Sapientibus sunt sapientissimè pronuntiata, est etiam illud Pittaci: *Ne quid nimis.* Habent enim omnia suos fines, suos limites, suos crescendi agendiqúe terminos, quos si moveas, nimiumque prolates, illud quod in rerum natura pulcherrimum est, continuò deleas, pacem videlicet ordinémque; quod turpissimum judicas, hostilitatem, confusionem. Habent stellæ suas sphæras; metasque currendi, quibus continentur; nec sol lunæ, nec luna solis imperium ac fines occupat; quanta clades rerumque omnium intemperies, si metas perrumperent? Habet aër suas regiones, quibus coërcetur, nec suprà agitur, ubi ignis imperium: nec infrà, ubi terræ jus est. Mare & ripas, & littus observat, & cum possit excurrere, si vim molemque aquarum spectes, modestè tamen ad arenam

nam subsidet, ni faciat, mundi naufragium erit. Denique omne vitium in excessu est.

Malè igitur publico bono consultum eunt, qui tantum Principibus tribuunt, quantum volunt; nec immensæ illorum potestati alium terminum ponunt, quàm cupiditatis, naturali divinâque legibus in exilium actis.

At verò hanc potestatem exlegem, effrenem, ac inverecundam, nec Apostolus admisit, qui *pro veritate tantùm, non contra veritatem, ad ædificationem, non ad destructionem* se aliquid posse dicebat. Vanæ igitur sunt illæ, & ne quid acerbiùs loquamur, inconsultæ quorumdam Jurisconsultorum voces, eam Pontificibus asserentium potestatem, quam ipsi Pontifices erubescunt: *Deos quosdam esse in causis beneficialibus: mutare posse quadrata rotundis: uno verbo sine alio ritu Sacerdotes facere: dogmata condere: sanctos, impollutos, segregatos à peccatoribus esse:* & alia multa, quæ licet innocentem aliquem, sanúmque sensum habere possint, ipsâ tamen verborum specie absurdissima sunt, ac hæreticis risum, Catholicis indignationem movent. Quibus meritò illud *Jobi 13.* occinere possis: *Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes! Numquid enim Deus indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos?* Pharisaicæ sunt istæ voces: *Tu quis es? Messias es tu? Elias es tu? Propheta es tu?* Quibus modestissimus Joannes: *Non sum ego Christus, non sum Elias, non sum Propheta; in medio autem vestrûm stetit, cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* In quem locum eleganter B. Gregorius: *Elegit Joannes solidè subsistere in se, ne humanâ opinione raperetur inaniter super se, ut veritatem loquens ejus membrum fieret, cujus sibi nomen fallaciter non usurpavit: sicq; dum infirmitatem suam studuit humiliter agnoscere, illius celsitudinem meruit veraciter obtinere.* Hujus sancti Præcursoris modestiam summi Pontifices imitati, suam potestatem, quamvis cælestem, omnique humanâ majorem, naturalibus tamen ac divinis legibus subjectam professi sunt. Ipsos, aliósque SS. Doctores audiamus.

II. Urbanus Papa *in c. sunt quidam 26. q. 1. Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. Quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summopere est, quia inde novas leges condere potest, unde Evangelistæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Ubi verò apertè Dominus, vel*

ejus Apostoli, & eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est, usq; ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optimè custodierunt.

Innocentius III. *in c. litteras. de restitut. spoliar. Opinioni autem ultimæ non videtur incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur, sed constitutione interdictis humanâ restitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alii dispensârunt.*

Alexander III. *in c. super eo 4. de usur. Cùm usurarum crimen utriúsq; testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus.*

S. Thomas *1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. Ad legem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur; unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, à quo lex auctoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit, ita in præceptis juris divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.*

Idem *in 4. d. 47. a. 4. Quæ sunt ordinata per legem divinam, non sunt mutabilia, vel dispensabilia, nisi præcepto Divino.*

Et infrà: *Contra præcepta secundæ tabulæ, quæ ordinantur immediatè ad proximum, Deus potest dispensare, non autem homines in his dispensare possunt.*

Idem *in quodlibet. 4. q. 8. a. 3. Circa ea verò, quæ sunt juris divini vel naturalis, dispensare non potest Papa, quia ista habent efficaciam ex institutione divina. Jus autem divinum est, quod pertinet ad legem novam vel veterem: sed hæc est differentia inter legem utramq;: quia lex vetus determinabat multa, tam in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quàm in præceptis judicialibus pertinentibus ad justitiam inter homines conservandam: quæ in novo testamento non obligant, nisi assumantur ab Ecclesia vel aliquâ civitate pro suo statuto: & hoc quoad judicialia: nam cæremonialia ex toto cessant. Sed lex nova, quæ est lex libertatis,*

bertatis, hujusmodi determinationes non habet: sed est contenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratiæ: unde etiam dicitur lex fidei, & lex gratiæ propter determinationes articulorum fidei, & efficaciam sacrorum. Cetera verò quæ pertinent ad determinationem judiciorum, vel determinationem Divini cultûs, liberaliter permisit Christus, qui est novæ legis lator, prælatis Ecclesiæ & Principibus Populi Christiani determinandi. Unde omnes hujusmodi determinationes pertinent ad jus humanum: in quo Papa potest dispensare. In solis verò his, quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fidei & Sacramentis novæ legis dispensare non potest: hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem.

Prætet Divum Thomam tenent hanc ipsam sententiam S. Bonaventura *in 4. d. 38. a. 2.* S. Antoninus *3. p. T. 22. c. 7. §. 23.* Suarez *Tom. 3. de Euchar. q. 74. d. 43.* Dur. Sylv. Navarr. Valent. omnésque ferè Theologi.

III. *Ratio prima* est: Quia tota dispensandi ratio in lege humana illa est, quòd humanus Legislator non omnes casus, omnésque circumstantias prævideat, quæ possunt occurrere, & in quibus æquius sit legem solvi, quàm observare: immo etiamsi prævideret, non ideò subvenire omnibus posset: & ideò ad illa, quæ plerúmque, & in plerísque contingunt, spectat; quæ rarò eveniunt & in paucis, casui committit: casum prudentiæ & dispensationi, tunc videl. cùm publico bono legem dispensatione molliri potiùs convenit, quàm ejus observantiam severè premi, prout elegantèr animadvertit S. Thom. *in 3. d. 37. q. 1. a. 4. sub init. & L. 3. cum seqq. ff. de Legibus.* Dispensatio igitur ex ignorantia partim legislatoris, partim ex impotentia defectúque legis nascitur, non semper nec in omni casu publico privatóque bono accomodatæ. Secus est in lege divina, seu positiva, seu naturali; cùm DEus omnia prævideat, omnésque futuros eventus ante oculos distinctissimè habeat, sicque leges suas omnibus æquè casibus, omnibus personis adaptet: nec tantùm quid fieri velit præcipiat, sed præceptis gratiam virésque implendi adjungat, ut planè nullâ sit opus dispensatione, aut si aliquâ opus sit, soli Deo reservetur, qui legum suarum modum, finem, terminósque notos habet, homini ignotos abditósque, quod pulchrè S. Doctor exemplo causarum naturalium ostendit, quarum ordinem nexúmque à Deo institutum mutare nemo, aut suspendere potest; aut si necessitas mutandi occurrat, non

hominis ea mutatio, non naturæ permittitur, sed à Deo expectanda est. S. Thom. *in 4. d. 47. a. 4.*

Ratio 2. Sola jura humana varietate temporum, urgente necessitate, aut evidente utilitate variare possunt, ùt habetur *in c. non debet. 8. de Consanguinit. & affinit.* divina verò & naturalia Jura immutabilia sunt. *argumento c. cit. & c. fin. de Consuetud. Reg. Juris 88. in ff. instit. d. J. N. G. & C. §. 11. & Cic 3. de Republ.* ubi inter alia: *Huic legi nec derogari fas est, nec abrogari aliquid ex hac licet, nec tota abrogari potest. Nec verò aut per Senatum, aut per populum solvi hâc lege possumus; nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia pòst, sed in omnes gentes, omniq; tempore una lex, & sempiterna erit immutabilis.* Si ergo naturalis lex, ejusque obligatio est immutabilis, ergo nec dispensationem admittit; hæc enim obligationem legis non mutat solùm, sed etiam perimit: nam si velis eo solùm nomine naturalem legem immutabilem esse, quia nec tota, nec sæpe dispensationem patitur; parùm illam, aut nihil à lege humana distinguis, cùm multæ sint humanæ leges, quarum obligationem nec totam deleri expedit, nec multâ dispensatione & passim solvi, quales sunt, v. g. de matrimoniis in secundo gradu consanguinitatis, aut primo affinitatis, &c.

Ratio 3. Cùm dicis in legibus naturali & divinâ dispensare Pontificem posse, quâ faciat hoc auctoritate? humanâ an divinâ? non humanâ, quia certum est non posse in lege superioris inferiorem dispensare, alioquin prævaleret minor majori potestati, si quod hæc ligavit, illa solveret, & sunt textus *Clementin. 1. ne Romani. de el. c. inferior d. 21. c. cùm inferior de major. & obed.* non ergo potest humanâ potestate Pontifex solvere, quos DEus ligavit. Sed nec divinâ, tanquam Vicario Christi per illa verba sibi communicatâ: *Quæcunq; solveris super terram, &c.* hæc enim verba generalia non includunt casus specialissimos; alioquin extendi etiam deberent ad potestatem illam privilegiatam, soli que Christo concessam, quam Theologi vocant *Excellentiæ*, mutandi materiam Sacramentorum, nova instituendi, obligendi ad ea, quæ sunt meri Consilii, &c. quæ nemo Papæ concesserit. Et sacris Canonibus receptissimum est, Vicarium, licèt idem tribunal, eandémque cum Episcopo jurisdictionem habeat, adeò ut à Vicario ad Episcopum non appelletur, non posse tamen dispensare in lege ab Episcopo specialiter lata, sed ad ea, quæ majoris momenti, & notâ speciali digna, speciali mandato & concessione indigere, nec

generale

generale sufficere *c. quid agendum 4. c. qui generaliter 5. de Procuratorib. in 6. Clement. 2. eodem.* & sunt exempla in collatione libera Beneficiorum *c. 3. de offic. Vicarii in 6.* in casibus, quos Episcopus sibi reservavit. (a) Cùm ergo dispensare in naturalibus divinisque legibus, hoc est, movere ipsos cardines, & fundamenta vitæ & honestatis humanæ, casus summi momenti, & si quis alius, speciali notâ dignissimus sit, non potest generali concessione comprehendi, quæ *Matth. 16.* habetur. Maximè cùm nec Patres, nec traditio hanc potestatem agnoverint, & ipsi Pontifices à se repulerint, ùt supra vidimus; cur ergo nos Pontifici tribuamus, quod illis accipere pudor est? Liceat cum D. Bernardo *epist. 179.* in dispari argumento dicere: *Miramur satis, quid visum fuerit hoc tempore quibusdam Doctorum, mutare colorem optimum, novam inducendo opinionem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio: numquid Patribus Doctiores aut devotiores sumus? periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentiam præterivit. At valde honorandus est, inquis, Papa, Vicarius Christi. Bene mones: sed honor Pontificis judicium diligit. Non eget falso honore veris cumulatus honorum titulis, insulis dignitatum: libenter glorioſus hoc honore carebit, quo falsa induci videtur prærogativa. Alioquin nullâ ei ratione placebit contra Ecclesiæ usum præsumpta novitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.*

Ratio 4. Si hanc dispensandi potestatem Pontifices habent, cur illâ usi non sunt, concessâ v. g. polygamiâ, sterilisque uxoris repudio, quando de conservandis Regiis familiis, maximis regnis Catholicâ Religione imbuendis, avertendisque quàm plurimis ac gravissimis malis agebatur? præsertim cùm polygamia, & repudia non adeò honestati ac naturæ adversentur, ùt in veteri lege à sanctissimis viris non fuerint admissa.

Ratio 5. Leges divinæ & naturales sunt regulæ, exemplaria, & amussès quædam omnium honestarum actionum, ipsiúsque etiam dispensationis; quid ergo aliud esset dispensando eas leges tollere, quàm lineam ipsam & regulam ac limites honesti tollere, & licentiam erroribus dare? cùm enim non major sit unius divinæ legis, quàm alterius ratio, si una dispensationi cedit, ergo & alia: ergo & illa, quæ jubet Baptismum in aqua, nec aliter conferri: & illa, quæ repudium vetat: & illa, quæ unam marito, non plures con-

(a) V. Sanch. l. 3. de matr. d. 59. q. 2.

cedit: nec hominibus, præsertim magnatibus, causæ ac necessitates, in speciem saltē compositæ deerunt eas dispensationes exprimendi: quid ergo habebimus in Ecclesia certi, tutique, ac hominum cupiditati & artificiis non expositi? licèt ergo hæc potestas in paucorum privata commoda aliquando cederet, noceret tamen universis: non ergo Pontifici data, cujus non destruendi, sed ædificandi officium est.

IV. Colligitur ex hac nostra conclusione, non posse Papam, si causa boni publici absit, derogare alterius juri *c. de Ecclesiasticis 25. q. 2.* præsertim pactis & transactis *c. ex multiplici 3. de decimis.* aut privilegiis, quæ in vim & naturam pacti transierunt *c. privilegia. c. de Ecclesiasticis. c. quòd verò. c. dicenti. c. privilegia. 1. & 2. 25. q. 2.* adeò ut nec clausulis motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, juri quæsito præjudicium fiat, ùt ipsi Pontifices declarant in Regula Cancellariæ de jure non tollendo. & *c. 15. de off. & judic. deleg. c. rescripta seqq. 25. q. 2. L. si quando 35. C. de inoff. testam.* Immo nisi Pontifices exprimant, non præsumuntur ordinariè uti velle plenitudine potestatis, sed potiùs juxta jus commune rescribere. *c. proposuit 4. §. licèt. de conces. præb.* (a)

V. Multis tamen modis hæc nostra conclusio *limitanda est.*

1. Ut in jure naturali permissivo tantùm, non præceptivo Papa aliúsve Princeps dispensare possit: cùm enim hoc jus abrogari omnino possit, ùt de libertate habetur *in l. 4. ff. de I. & I. & §. 2. Instit. de I. N. G. & Civ.* & de communione bonorum *can. 1. d. 8.* quanto magis dispensatione aliquâ restringi?

Limitatur 2. Ut in votis ac juramentis, quorum obligatio ex voluntate contractuque hominis existit, dispensari à Pontifice possit; cùm enim voluntas hominis, ab eáque imperati actus, & ex actibus orta obligatio humanæ legi subjacere possint: immo vota & juramenta sub hac conditione, ac lege emittantur, ut potestati ac dispensationi humanæ subjaceant; idque in majorem Dei gloriam, Ecclesiæque bonum cedat, sitque constans in Ecclesia traditio usúsque perpetuus, qui optimus divinæ voluntatis interpres est; negari haud potest, cadere in illam dispensationem. *c. quanto 18. de jurejur.* Quamvis non defuerint gravissimi Doctores qui negent, Pontificem in voto vel

(a) Videantur Sanch. de Matrim. l. 2. d. 15. n. 2. Barb. claus. 41. Andr. Gail. 2. observ. 58. & observ. 76. Johannes Chokier in regulam 16. Cancellar. Sylv. v. Papa. n. 12. & seqq.

vel juramento dispensare, sed declarare tantùm, votum in aliquo eventu non obligare. (a)

Limitatur 3. Ut possit Papa, vel alius Princeps dispensare in quibusdam conclusionibus, quæ ex naturalibus principiis deducuntur, non tamen necessariò, sed dependenter tantùm ab humana voluntate, v. g. furem esse extremo supplicio afficiendum, & de his tantùm est intelligendus S. Thomas *1. 2. q. 97. a. 4. ad 3.*

Limitatur 4. Ut licèt S. Pontifex non possit in jure divino dispensare, possit tamen in præceptis Apostolicis, quæ videlicet non ex naturali, aut divina lege, sed ex humana solùm potestate ab Apostolis sunt constituta, est communis Doctorum cum S. Thoma *in 4. sentent.* & exempla sunt in bigamo, cum quo dispensatur *c. Lector. d. 34.* in ordinato absque titulo *c. 6. de præbend. &c.* V. Gloss. *ad c. sunt quidam 25. q. 1.* Barb. *ibid.* Sanch. *de Matr. l. 7. d. 86. n. 4.* Sylv. *v. excommunicatio 5. n. 10.* Gonzal. *ad c. cùm secundùm. de præb.*

Limitatur 5. Ut possit Pontifex divinam naturalémque legem, cùm dubiæ sunt, interpretari, & in particulari aliquo eventu, obligent nec ne, auctoritativè declarare. Sunt enim v. g. aliqui casus, aliquæ circumstantiæ, in quibus dubitari potest, an *præceptum residendi, fœnus, hoc est, lucrum supra sortem captandi*, homines obliget: oportet ergo aliquem judicem esse, qui litem gliscentem finiat: aliquem interpretem, qui mentem legis evolvat: aliquam facem, quæ in obscuro præluceat: aliquem Magistrum, qui veritatem aperiat: & quis alius præter Vicarium Christi? Ita docet S. Thom. *2. 2. q. 2. a. 3.* & *de potest. 10. a. 4.* & habetur ex *c. 18. quanto de jurejur.* & *c. licèt 13. de testibus:* estque communis Catholicorum, nam hæreticos non moramur. Dabimus hîc tantùm verba Hugonis Etheriani viri suo ævo doctissimi, qui floruit anno MCLXXVII. *Nullâ*, inquit, *insimulatione, nullâ reprehensione, nullâque calumniâ notandus est antiquioris Romæ Antistes, quòd causâ interpretationis dictionem unam, dico autem ex Filio procedere Spiritum Sanctum, sanctorumq; plurium Episcoporum, scientissimorum Cardinalium consensu habito, apposuerit. Licuit enim ei, semperq; licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, sicubi aliquid obscurè*

(a) Videantur S. Bonaventura in 4. d. 38. a. 2. q. 3. S. Th. 2. 2. q. 88. a. 10. S. Antonin. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 9. Sylv. v. votum 4. q. 3. dicto 3. Glossa in c. non est de vot. & c. quanto 18. de jurejur. & in c. sunt quidam 25. q. 1.

obscurè scriptũ sit, & de voluntate scriptionis argumentari, judicio voluntatis illius relicto facere, hoc persuadente. Is enim est, cui oves & agni commissi: & idcirco non solùm scripti recitator esse debet, verùm interpres illorum, quæ adscripta non sunt, ùt caput ovium, & Dei Pastor. Qua in re manifestum est, antiquioris Romæ Præsulem potestatem in Petro accepisse, fidem renovandi, (ut verbis Patrum utar:) habendi curam & regimen omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Christianorum. Quare palàm & publicè fit ex his, nequaquam licere cuipiam, omnium sanctissimam & magnam, omniúmq; Principem Romanam Ecclesiam calumniari, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neq; affert, neq; perdocet, neq; aliud tradit symbolum, si editum à SS. Patribus interpretetur, non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit. Quæ licèt Primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit: Injustè, inquit, arguor, dum non fidem sed memoriam renovo: non apposui, non ademi salutari symbolo, si dictionem occultam manifestavi. Renovavi enim, ùt Patres antedicti, fidem, & apposui Nicænæ, Constantinopolitanæ atq; Chalcedonensi Synodis, sed nullo modo illis contraria; qui dum illorum Patrum vestigia persequor, solummodò, quæ tunc quæsita non sunt, tempore pòst per interpretationem & appositionem verbi, quod non perspicuè ab omnibus intelligebatur, enucleavi.

Non obstat solius Legislatoris esse legem suam interpretari *L fin. ff. de Legib. L. 1. & L. sacratissimæ de legibus*, non ergo Pontificis est leges divinam & naturalem interpretari, quas non tulit.

R. Papam Deum non esse, sed tamen in rebus fidei, morúmqe decidendis, non humano spiritu, sed divino regi, sicque divinæ legis eundem spiritum & conditorem esse, & interpretem: deinde cùm adiri Princeps non potest; cùm verus legis sensus ex aliis legibus elici potest; cùm à Principe data interpretandi potestas; in his, inquam, casibus, jus interpretandi etiam inferioribus esse patet *Deuter. 17.* & sunt etiam textus in jure Cæsareo *§. 8. Institut. de I. N. G. & C. L. 12. & seq. ff. de Legib.*

Limitatur 6. Ut possit dispensare Papa in gradibus *Levitici 18.* prohibitis, ùt definivit Trident. *de Matrim. sess. 24. can. 3.* & Julius II. cum Henrico VIII. Angliæ Rege dispensavit, ut posset Catharinam Austriacam prædefuncti Arcturi fratris Viduam ducere. Sed nota, licèt matrimonium inter Levirum & fratriam divinâ lege prohibeatur, cáque non ceremoniali aut judiciali tantùm, sed etiam

etiam moral', nixâque pudore, ac honestate naturali, ùt patet legenti textum *Levit. 18. & 20.* ea tamen indecentia tanti non erat, ut accedente causâ aliquâ privati, multoque magis publici ac maximi boni, factâ velut compensatione non aboleretur: & ideò *Levit. 18.* permittitur Marito non quidem vivæ, sed defunctæ Uxoris Sororem ducere: cur ergo pari ratione non posset uxor defuncti Mariti germano nubere? est enim idem affinitatis gradus inter Maritum & Sororem uxoris, qui inter uxorem & fratrem Mariti, eadem naturæ, pudoris, ac honestatis ratio. Et *Deuter. 25.* permittitur Leviro, ut fratriæ jungatur, quando ex prædefuncto Marito prolem non suscepit, idque eâ ratione, ut *frater fratris sui semen excitet, illique domum & familiam ædificet.* Si ergo bonum tam exiguum, tam incertum, mereque imaginarium, ac in hominum æstimatione brevi lubricaque fixum, quale est proles non ex te, sed uxore quondam tua suscepta, illius affinitatis verecundiam excusat: quanto magis verum, reale, maximum publicumque bonum, quale fuit pax & amicitia inter duos potentissimosque Angliæ & Hispaniæ Reges? In hoc casu nec divina, nec naturalis lex matrimonium vetat, immo concedit ob majoritatem rationis: cùm enim casus particulares sint infiniti, leges autem paucas esse expediat: ex casu unius legis ad casum alterius ob identitatem aut majoritatem rationis procedi posse, definitum est in *L. 12. & seqq. ff. de Legib.* Cur ergo Pontifex dispensavit, si naturalis & divina lex præsente illâ boni privati aut publici causâ non obligabat?

℟. Non in lege divina aut naturali Papam dispensasse, sed in humana, quæ eadem Matrimonia vetat, nec permittit quovis privati, aut publici boni obtentu legem infringi: quæ enim aliàs lex tuta, fucatisque rationibus non exposita? & nunc maximè, ubi tanta opinandi licentia, tantusque ardor etiam pessima quæque in virtutes fingendi? Dici etiam potest, Tridentinum vocem dispensationis impropriè & in sensu S. Thomæ accipere, pro declaratione tantùm, & interpretatione juris divini.

§. II.

Summum Pontificem ſuis ſuorumque Prædeceſſorum, legibus, quoad vim directivam, obſtringi.

Summaria.

1. *Summos Pontifices ſuis ſuorumque Anteceſſorum legibus, & Canonibus, quoad vim directivam ligari, probatur ipſorum Pontificum, & S. Thomæ auctoritate.*
2. *Et Rationibus.*
3. *Variè limitatur.*

I.

Taferè omnes cùm ſacri tùm profani Doctores, quorum teſtimoniis modo abſtinemus, cùm ipſa SS. Pontificum modeſtiſſima profeſſio omni teſtimonio major ſit. Gelaſius PP. *in epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ: c. conſidimus 25. q. 1. Conſidimus, quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret, uniuſcujuſq; Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſia probavit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere quàm primam: quæ & unamquamq; Synodum ſua auctoritate confirmat, & continuatâ moderatione cuſtodit.*

S. Zoſimus ad Epiſcopos Eccleſiæ Narbonenſis, teſte Ivone in epiſtola ad Hugonem Archiep. Lugdun. *in c. contra ſtatuta 25. q. 1. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentiam.*

Gregorius PP. *l. 5. epiſt. 12 in c. juſtitiæ 25. q. 1. Juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui procul dubio voluntatem & ſtatuta cuſtodiat.*

Leo Papa IV. *in c. ideò 25. Permittente Domino paſtores hominum ſumus effecti, ut quod Patres noſtri ſive in ſanctis canonibus, ſive mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus: contra eorum*

quip-

quippe saluberrima agimus instituta, si, quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum non conservamus.

Idem B. Gregorius *l.12.epist.31. ad Felicem Episc. in c. si ea 25.q.2. Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se ipso divisum non stabit: & omnis scientia, & lex adversùm se divisa destruetur.*

Idem *L.7. epist.17. in c. institutionis 25.q.2. Institutionis nostræ decreta, quæ pro defensorū sunt Privilegiis, & ordinatione disposita, perpetuâ stabilitate, & sine aliqua constituimus refragatione servari: sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita: nec à quoquam Pontificum in totum, vel in partes ea quâlibet occasione convelli decernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumq; rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata, rescindere, & exemplo suo docere ceteros, sua quandoq; posit se constituta dissolvere.*

Idem *L.2. epist.37. in c. quod vero 25.q.2. Quod verò dicitis, nostris temporibus decere servari, quæ à meis quoq; prædecessoribus tradita atq; custodita sunt, absit à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.*

Gelasius PP. *in epist. ad Cresconium & Joannem Episcopos in c. Decessorum 25.q.2. Decessorum statuta sicut legitima & justa, successorem custodire convenit, ita debet etiam malefacta corrigere.*

Pelagius Papa ad Armentarium magistrum milit. *in c. posteaquam 25.q.2. Posteaquam Ecclesiæ jura, documentorum quoque intercedentium fuerint auctoritate firmata, nullatenus ab his discedendi liberam Pontifex, vel si vult, permittatur habere licentiam.*

S. Isidorus *l.1. sententiar. de summo bono c.53. in c. justum d.9. Justū est Principē legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se convenit posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt. Justa est enim vocis eorum auctoritas, si quod probibent, sibi licere non patiantur.*

Leo Papa *in c. nos, si incompetenter 2.q.7. Nos si incōpetenter aliquid & egimus, & subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio: quoniam si*

nos,qui aliena debemus corrigere peccata,pejora committimus,certe non veritatis diſcipuli,ſed (quod dolentes dicimus) etiam præ ceteris erroris magiſtri. Inde magnitudinis veſtræ magnoperè clementiam implora-mus,ut tales ad hæc,quæ diximus,perquirenda miſſos in his partibus di-rigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quem admodum ſve-ſtra præſens fuiſſet imperialis gloria) diligenter exquirant. & non tan-tùm hæc ſola,quæ ſuperius diximus,quærimus,ut examuſſim exagitent, ſedà ſive minora,ſive etiam majora,illis ſint de nobis indicata negotia,ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum ni-hil ſit,quod ab eis indiſcuſſum,vel indefinitum remaneat.

Bonifacius VIII. *in c.ult. de Reſcript. in 6. Quod nobis licere non patimur, noſtris ſucceſſoribus indicamus.*

S. Thomas *1.2.q.96.a.5. Ad 3. dicendum, quòd Princeps dici-tur eſſe ſolutus à lege, quantum ad vim coactivam legis: nullus enim propriè cogitur à ſe ipſo: lex autem non habet vim coactivã, niſi ex Prin-cipis poteſtate. Sic igitur dicitur Princeps eſſe ſolutus à lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre ſi contra legem agat: unde ſuper illud Pſalmi 50. Tibi ſoli peccavi, &c. dicit gloſſa: Quòd Rex non habet hominem, qui ſua facta dijudicet: ſed quantum ad vim direc-tivam legis, Princeps ſubditur legi propriâ voluntate, ſecundum quod di-citur extra de conſtitutionibus, capit. cùm omnes: Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodẽ jure uti debet. Et Sapientis dicit auctoritas, Patere legem quam ipſe tuleris. Improperatur etiam his à Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito ea volunt movere ùt dicitur Matth. 23. Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non eſt ſolutus à lege quantùm ad vim directivam ejus ſed debet voluntarius non coactus legem implere. Eſt etiam Prin-ceps ſupra Legem, in quantum ſi expediens fuerit, poteſt legem mutare, & in eâ diſpenſare pro loco & tempore.*

II. *Ratio*, præter jam proximè ex S. Doctore allegatas, eſt, quia licet par in parem poteſtatem non habeat, multoque minus in ſe ipſum, ex quo capite S. Thomas *1.2.p.63 a 5.* docet, nullum poſſe ſibi legem ponere; cùm tamen lex bonum commune ſpectet, cujus cura maximè ad Papam pertinet: ex altera parte nihil magis hoc ipſum bonum com-mune legiſque obſervantiam impediat, eamque contemptui exponat, quàm ſi videant ſubditi contra illam à Papa agi, cujus exempla pro im-perio ſunt; videtur ex hac ipſâ publici boni & legis ratione eſſe, ut à

Papa

Papa observetur: quam rationem insinuat Isidorus in *c. justum a. 9 Tunc enim*, inquit *jura sua ab omnibus custodiri existimet quando & ipse illis reverentiam præbet.* Et S. Ambrosius *l. 5 epist. 32. ad Valentinianum Imperat. Quod cùm præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi, leges enim Imperator ferì, quas primas ipse custodiat.* Et Innocentius III. eleganter *in c. magna 7. de voto: Præterea non videbatur expedire, cùm ex absolutione tua scandalum posset Laicorum mentibus generari, dicentium, ubi est Deus Clericorum? & hoc exemplo credentium se ad voti observantiam teneri, quod enim agitur a prælatis, faciè trahitur à subditis in exemplum: juxta quod Dominus inquit ad Mosen in Levitico: Si Sacerdos qui est unctus peccaverit, faciet delinquere populum.* Plin. in pan. *Vita Principis perpetua censura est, ad hanc dirigimur, nec tam nobis imperio, quam exemplo opus est.* Paterc. l. 1 *Princeps imperio magnus, exemplo maximus est.* Pacatus *in Theodos. Exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo.*

Non obstat: Istud periculum, & nativam indecentiam, publicamque offensionem abesse, si Princeps occultè, aut aliquoties tantùm in legem agat.

R. Lege semel fixâ, positâque certæ virtuti materiâ gravi, (sicut v.g. lex jejunii ponit materiam gravem temperantiæ) omnes pro gravitate materiæ obligati, quotquot obligari possunt ac debent; posse autem & debere Papam obligari, jam dixi. Quamvis verò actus occultus aut rarus non valde offendat subditos, graviter tamen offendit legem in materia gravi, pro quolibet actu graviter obligantem: alioquin sequeretur, nec subditum peccare, quia semel contra legem agendo, v.g. missam die Dominicâ non audiendo, parùm bono publico & Religioni, qui sunt hujus præcepti fines, nocet; cùm possit aliis operibus piis boniisque operam dare. Et datâ licentiâ semel aut iterum legis negligendæ, limes certus aut numerus definiri non poterit, ut ultrà non liceat: quamvis ergo una transgressio non multùm noceat, plurimum nocet periculum, & quæ ex illo consequuntur.

Amplianda est Conlusio, ut Papa maximè contractibus pactisque ligetur, quorum obligatio naturalis est *L. 1. ff. de pact.* Gail. *2. obser 55. n. 7.*

III. *Limitatur 1.* Ut leges, quæ Papam dedecent, eum obligare non poſſint, ceſſante primâ legis conditione, quæ eſt, ut ſit juſta honeſtaque. Exemplum *in l. ſancimus C. de donat.*

Limitatur 2. Ut Papa non teneatur ſuis legibus vi coactivâ. S. Thom. *1.2.q.96.a.5.ad 3.* qui nec ab alio cogi poſſit, cùm non habeat ſuperiorem, &, ſi habet, non jam ſuâ ſed alienâ lege cogetur: nec à ſe ipſo, cùm nemo ſe ipſum cogat invitum: nam ſi vult, non cogitur. Deinde indignum eſſet, adverſumque Papæ Majeſtati, parem cum ſubditis pœnam ſubire.

Limitatur 3. Ex aliquorum ſententia abſente ſcandalo hanc obligationem eſſe levem & venialem. Palao *de Legib. p.24. §.1.* Leſſ. *de J. & J. l.2. c.35. dub.5.* Azor. *1.p.l.5. c.11.q.1.* ſed jam ſupra contrarium docuimus.

Limitatur 4. Ut ſicut Papa ex cauſa juſta & rationabili alios Privilegio, aut diſpenſatione eximere poteſt, ita & ſe ipſum: cur enim pejoris ipſe conditionis quàm alii? lex enim ex voluntate Papæ obligat: voluerit Titium lege complecti, non Cajum, hic liber erit, ligatus ille: ſicut ergo Cajum, ita ſe ipſum potuit lege excludere. De diſpenſatione docet S. Thomas *in 4. d.20. q.1. a.5. quæſtiunculâ 5. ad 3.* & latè Sanch. *de Matr. l.8. d.3.* quòd enim juriſdictionem voluntariam poſſit in ſe ipſum exercere, ſunt textus *in L. ſi conſul ff. de adopt. L. un. ff. de off. Conſul. V. Abb. c. ex litteris n.11. de probat. & c. fin. de inſtit. n.5.* Et ratio eſt, tum quia ſi Papa ſuis ſe legibus obligare poteſt, ergo & ſolvere: poteſtas enim legislativa ad utrumque eſt: tum etiam quia, ùt diximus, in juriſdictione voluntaria, ubi nullius damnum agitur, poteſt ex legum permiſſione duas quis diſtinctaſque perſonas agere, agentis & patientis; modò ex ſpecialibus rationibus jure quis non prohibeatur, ùt ſe ipſum præſentare, *c. per noſtras, de jure patronat.* Tutor in rem propriam auctoritatem præſtare, *L.1. ff. de auctor. & conſens. Tut.* Capitulum ſibi Eccleſias unire, *Clement. 2. de reb. Eccl. non alien.* Sibi Beneficium conferre *c. fin. de inſtit. &c.*

§. III.

§. III.

Posse summum Pontificem ex justis causis in omni Lege Canonica dispensare.

Summaria.

1. *Quanti dispensationes Pontificias omnes etiam Galli faciant.*
2. *Potestatem in lege Canonica dispensandi ipsi Canones Papæ concedunt.*
3. *Testimonia S. Thomæ, S. Bernardi, S. Antonini.*
4. *Praxis Ecclesiæ Antiqua.*
5. *Et Rationes.*

I.

ACtum agere videamur, si rem omnium temporum usu, omnium Patrum testimoniis, eorumque etiam exemplis, qui hoc ipsum negare ausint, certam probatamque nos probare aggrediamur. An istud facem in meridie accendere non est, aut Lectorum non abuti patientiâ, dum cantilenam tam notam vulgatamque illi præcinimus? Qui verò locus aut terra est tam canonum legumque observans, quæ non multis privilegiis, ac libertatibus à sede Apostolica, contra Canonum legumque severitatem muniatur? Sacerdotia Regum arbitrio permissa: multa ac opulenta Beneficia in unum collata: Ordo Ecclesiasticus toties non Principum tantùm obsequiis, sed imperiis, legibus, foro subjectus: Ejusdem ordinis Ecclesiastici bona ac facultates, tributis, collectis, stipendiis exposita: Monasteria in commendas, ùt vocant, data: an hæc, multaque alia Canonibus non utcumque, sed enixissimè vetita, ac gravissimis pœnis sancita? Et tamen in Gallis, nullo sacros Canones offendendi metu hæc omnia peraguntur, quòd privilegiis se tutos arbitrentur, & pro his ipsis

ipsis privilegiis, & pro hac ipsa contra sacros Canones vivendi libertate, velut pro aris focisque pugnatur: non ergo, ùt credimus, hæc Canonicam severitatem molliendi potestas tam illis invisa est, quam tam laxo sinu admittunt, & admissam tam in amoribus habent, ut nil minùs, quàm eam vel levissimè offendi patiantur. Immo si Pallavicino Cardinali, in Historia Concilii Tridentini, fides habenda est, (& verò habuit quàm maximam P. Maymbourg, qui in historia Lutheranismi hujus testimoniis unicè gaudet:) potissima causa Concilii in Gallias non admissi, ea fuit, quòd timerent eo semel re. Concepto, antiquos juxta Canones, eorumque observantiam, quæ à Concilio imperabatur, recipi oportere, abolitis libertatibus, ac privilegiis, quæ adversus Canonum antiquam disciplinam illi Regno Pontifices dederant. Res sic habuit. Henricus Magnus & promiserat, & juraverat Concilium recipere. Eo interfecto Medicæa Regina nunquam, ut illud in Regnum admitteret, pervinci potuit, variisque artibus urgentem Pontificem ludificata est.

Primò: *Ignota sibi decreta Tridentini*; *tempore aliquo iis pervidendis opus esse*. Deinde: *Tridentinum necdum à Papa confirmatum*; *exspectandam ergo confirmationem*. Posteà: *Regem Hispaniæ recipiendo Concilio adhuc cunctari*; *cur ergo Galli properarent?* Deinde: *A Pio Pontifice primum Gallico Oratori locum, primasque sedes ante Hispanum negari, quatamen antiquissimæ Possessionis jure debebantur, cur ergo gratificaretur Pontifici Gallia, cum ab illo ladebatur?* Tandem: *Hæreticos Hugonottos Concilio obniti, eoq; promulgato, graviter offensum iri, Regno in periculum & discordias adducto.* Hactenus Gallorum exceptiones: cessârunt hæc omnia. Concilium Hispania recepit, Papa confirmavit, tempus deliberandi fluxit, loci prærogativa Gallis concessa, Hugonotti exsili, nec ullus ab iis metus, & tamen Concilium exulat, quæ causa? Cardinalis Ossatus Regis Christianissimi Orator in suis Epistolis Gallicè editis, & Pallavicinus *l. 24. Histor. Trid. c. 10. & 11.* has dicunt renuendi Concilii veras causas esse:

Quod Conciliũ pluralitatẽ Beneficiorũ & commendas severè prohibeat, multaq; statuat pro immunitate Eccles. quibus Libertatẽ Ecclesiæ Gallicanæ, eiusq; privilegia offensum iri Galli formident. Galli ergo plùs privilegiis indulgentiâ Pontificis Romani obtentis, quàm Canonibus

nibus delectati, eâdem constantiâ, quâ Concilium petierant, petitum posteà repulêre, adeò sibi à Patrum disciplina timebant, quàm nunc Pontifici objectant, ejúsque dispensationibus impenetrabilem, inaccessam volunt, ut mirari planè subeat, quæ causa sit canones tam subitò dulces, melleosque Gallis evasisse, à quibus non multis retrò annis tantùm abhorrebant. Enimverò Pontifices hâc adversum canones dispensandi potestate haud ægrè cessuros credimus, si tam facilè Galli privilegiis cedant, quæ à summis Pontificibus contra canones acceperunt. Quamquam nec contra canones factum est, quodisti semper concesserunt, ùt jamjam videbimus.

II. Leo Papa *epist. 85. c. 1. ad Episc. Africæ in c. exigunt. 1. q. 7. Exigunt causæ, ut non solùm in tales Præsules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ, ut credamus delicta quædam utcunq; toleranda; quædam verò penitùs amputanda. Illos ergo, quorum prævectio hoc tantùm reprehensionis incurrit, quòd ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, locum suum tenere permittimus; non præjudicantes Apostolicæ sedis statutis, nec beatorum Patrum regulas solventes: quia remissio peccati non dat licentiam delinquendi: nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit ampliùs impunè committi: ne quod ad tempus piâ lenitate concessimus, justâ posthac ultione plectamus.*

Innocentius III. ad Archidiaconum Bituricensem in Gallia *in c. litteras 13. de Restitut. spoliat. In gradibus consanguinitatis divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humanâ restitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis dispensari non possit, & in istis possit dispensari, sicut B. Gregorius & multi alii dispensârunt.*

Idem Innocentius III. *epist. ad Præpositum, & Capitulum Cameracense in c. præposuit 4. de conc. præb. Licèt autem intentionis nostræ non sit, investituras de vacaturis factas contra canonum instituta ratas habere, qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare, &c.*

Idem *in epistola ad Archiepisc. Cantuariensem in c. innotuit 20. de elect. Quamvis autem Canon Lateranensis Concilii ab Alexandro Prædecessore nostro editus non legitimè genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuit esse nullam: nobis tamen per eam adempta non fuit dispensandi*

facultas, cùm ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, immo eâdem functuris potestate.

Idem Decano & Capitulo Andegavensi in Gallia *in c. inter 2. de transl. Episc. Nos intuentes, qui licèt sibi munus consecrationis impensum, nec prioris Ecclesiæ ipsum Pontificem fecerit, nec secundæ: cùm ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonicè consecrari, adhuc conjugaliter alteri alligatus, ei tam à vinculo prioris Ecclesiæ, quàm à pœna suspensionis penitùs absoluto, de benignitate sedis Apostolicæ duximus concedendum, ut priori consensu hactenus perdurante Andegaven. Ecclesiam studeat gubernare.* Honorius III. ad Episcopum Ventensem *in c. ex parte 3. de Capell. Monach. Cùm autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis: fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd hujusmodi litteras ab Apostolica sede non credimus emanâsse. Quòdsi per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* Potest ergo summus Pontifex Concilio generali derogare, si in clausula derogativa hujus faciat expressam mentionem. Quod etiam in loco mox citando habetur.

Idem Innocentius III. in Concilio Lateranensi *in c. nonnulli 28. de Rescript. Cùm autem per judicium injuriis aditus patere non debeat, (quam observantia interdicit) statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit. Nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressâ de hac constitutione fecerint mentionem.*

Gratianus *post c. ideò 25. q. 1. §. his ita: Sacro-sancta Romana Ecclesia jus & auctoritatem sacris canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim condendi canones potestatem, utpote quæ caput est, & cardo omnium Ecclesiarum, à cujus regula nemini dissentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præstat, ut seipsam non subjiciat eis.*

Hadrianus II. Papa in epistola ad Basilium Imperatorem, quæ in 8. Synodo *Act. 1.* recitata est, & à Patribus probata. *Verùm quia pietas tua cum Ecclesiastica misericordia nos circa illos ad id, quod humanius est, exhortatur: nolumus ignorare, quoniam ultrà quàm dici possit, hinc fateor, mœrore comprimimur, immensóq; dolore constringimur, eos nimirum non solùm beatæ memoriæ decessoris mei Papæ Nicolai, quibus & ipse subscripsi, justis sanctionibus creberrimè percellentibus, verùm etiam sanctorum Patrum regulis severissimè, seu quodammodo peremptoriè punientibus. Verumtamen*

rumtamen propter pacem faciliùs obtinendam, propter quæ tantam multitudinem, si tamen resipuerint, misericorditer liberandam (ut cum sancto Gelasio Papa dicamus) necessariâ rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ sedis moderamine convenimur, sic Canonum Paternorum decreta librare, & retrò præsulum decessorumq; nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus: quod & nos æquâ possumus pro lucrandis fratribus ratione prosequi, & temporum necessitati consulendo penitùs imitari: Photii duntaxat ordinationem ab hujus moderamine pietatis interim prorsus excipientes, eamq; passim, & præter examen nullatenus admittentes.

III. S. Thomas *1. 2. q. 96. a. 4. Dispensatio propriè importat commensurationem alicujus communis ad singula; unde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantum unicuiq; de familia cum pondere & mensura distribuit, & operationes & necessaria vitæ. Sic igitur & in quacunq; multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit à singulis adimplendum. Contigit autem quandóq;, quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis ùt in pluribus, non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum, sicut ex suprà dictis patet. Periculosum autem esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur: nisi fortè propter evidens & subitum periculum: ùt suprà dictum est: & ideò ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur. Si autem absq; hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret: propter quod dicit Dominus Luc. 12. Quis putas fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

Idem in quod libero *4. q. 8. a. 3. Non est dubitandum, quòd Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita ut quæcunq; sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sint dispensabilia ab ipso.* Eadem habet S. Doctor *in Tractatu contra impugnantes Religionem.*

S. Bernhardus *l. 3. de considerat. c. 4. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus.*

Bonáne species hæc? mirum est, si excusari queat vel opus. Sic facilitando vos probatis habere plenitudinem potestatis, non itidem plenitudinem justitiæ. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis, quæstio est & quomodo? non indecens tibi voluntate pro lege uti? & quia non habes, ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? &c.

Idem S. Bernardus *epist. 131.* ita Mediolanenses alloquitur: *Nunc verò audi me inclita plebs, gens nobilis, civitas gloriosa. Audi, inquam, me (veritatem dico non mentior) dilectorem tui, Zelatorem salutis tuæ. Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens. Fidele Consilium, & omni acceptione dignum. Noli abuti clementiâ, ne potentiâ opprimaris. Sed dicit aliquis: debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius. Esto. Fac quod dicis: quia si exhibeas debitam & omnimodam. Plenitudo siquidem potestatis super universas orbis Ecclesias, singulari prærogativâ Apostolicæ sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat: & è converso, si necesse visum fuerit. Potest à finibus terræ sublimes quascumq; personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam non semel aut bis, sed quoties expedire videbit.*

Idem *L. 2. de consider. c. 8. Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, unâ contentus est Hierosolymâ, Petro universitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille. Nam dictus est frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo juxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.*

S. Antoninus in Summa *Tit. 23. c. 2. §. 6. Quòd Concilia generalia non possint præfigere legem Papæ*, notat *Abbas de Sicilia super c. significâsti. de elect. Quòd Concilia generalia non possunt statuendo præfigere legem Papæ, immo in omnibus statutis Concilii intelligitur tacitè excepta auctoritas Papæ, & textus hujus decretalis significâsti, frequenter allegatur, præsertim in*

materia,

materia, ubi disputatur de potestate Concilii & Papæ. Et vide de hoc bonum textum 9. q. 3. ubi dicitur: Nemo judicabit, vel judicare potest primam sedem, sc. Papam: nec Augustus, nec Populus, nec Clerus. Et c. aliorum & multa alia capp. ibi posita, ad idem faciunt. Et per istum textum arguit Johann. Quòd sententiæ Papæ est standum, quando præjudicat sententiæ totius Concilii: & remittit ad notata in c. in istis. dist. 4. & c. sicut dist. 14. Infert etiam Joann. Quòd per istum textum solum Papa potest interpretari statuta Concilii: nec mirum, cùm secundùm eum possit & tollere limitare: ut c. statutum. de rescrip. lib. 6. Vide bonam gloss. in c. ubi periculum. de elect. lib. 6. quæ dicit, quod licèt non sit licitum, quòd Papa revocet statuta Concilii sine ipsius Concilii consilio: potest tamen si vult. Pro quo facit textus hîc & ibi: sed textus iste, & omnia prædicta debent limitari, & restringi ad ea, quæ dependent à plena dispositione Papæ: nam in his, quæ sunt juris positivi, indubitanter est Papa supra Concilium: quia ipse est caput Ecclesiæ. Unde licèt potestas sit data Papæ & toti Ecclesiæ: Papæ tamen tributa est tanquam capiti: unde debet corpus moveri à dispositione capitis.

IV. Huic sacrorum Canonum Patrumque doctrinæ continua Ecclesiæ praxis, & exempla adstipulantur: recentibus quidem pleni sunt libri, hominumque memoria: ex antiquis aliqua proferemus.

Anno CDXXXIV. Cælestinus Papa contra canones Nicæni Concilii *15. & 16.* (qui habentur *causâ 7. q. 1.*) petente Theodosio Imperatore Proclum Episcopum Cyzicenum transfert ad sedem Constantinopolitanam. Socr. *l. 7. cap. 39.* Baronius *ad hunc annum n. 1.*

Anno CDLXXIX. Simplicius Papa permittit contra canones Nicæni Concilii Stephanum Episcopum Antiochenum, non Antiochiæ, sed Constantinopoli eligi, idque turbas, cædesque, quæ ab Eutychianis imminebant, vitandi causâ; acceptâ priùs tamen à Zenone Imperatore cautione, hanc concessionem privilegiis Ecclesiæ Antiochenæ innoxiam fore, nec in jus & exemplum ab Archiepiscopis Constantinopolitanis, (nam conabantur) deductum iri. V. epist. Simplicii Pontif. *13. ad Zenonem Augustum & Acacium Patriarcham, quæ est 15.* easque recitat Baronius.

Anno DCCCLXXI. Ignatius Patriarcha missis Romam legatis ab Hadriano II. dispensari petit, laxatique octavæ Synodi Decreta, quibus à sacris dignitatibus prohibebantur, quos Photius promovisset,

quique ausi essent sententiæ in Nicolaum Pontificem dictæ subscribere. Verba supplicantium sunt.

Deinde quoq; super Theodoro, qui à nobis quidem consecratus est Metropolita Cariæ: multùm enim laboravit, & afflictus est ab initio injustæ & iniquæ dejectionis nostræ: in novissimis verò cum misero Photio conveniens propter ejus immensa tormenta, quæ sibi resistentibus inferebat, consensit & usq; ad ultimum ipsius diem, repœnitens nihilominus rursus corde contrito & spiritu humilitatis veniam expetivit: prohibuerunt eum Sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi Vicarii almitatis vestræ, eò quòd subscripserit, ut fatebantur, in eam, quæ facta est ab infelicissimo Photio quasi depositio beatissimi & optimi Patris nostri Nicolai decessoris sanctitatis tuæ. Hæc sunt de quibus rogamus sanctitatem vestram, ut si possibile sit, utatur verbo dispensationis & misericordiæ in his, cùm alia omnia optimum & commodum finem ac dispositionem susceperint. Habetur integra epistola post acta 8. Synodi. Negavit Hadrianus tam graves sibi causas videri, ob quas à Patribus octavæ Synodi statuta rescindi oporteret. Repetitæ igitur *Anno DCCCLXXXVI.* à Stiliano Metropolita Neocæsareæ ad Stephanum Papam preces, quarum hæc summa fuit: *Quoniam verò scimus, quòd à vestra Apostolica sede corrigi, & juxta Canones corrigi debemus: hac de causa humilibus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas, cum populo videlicet, qui non sine rationabili causa Photii ordinationem recepit, ut ne qui Apostolicæ sedis Legatos Rodoaldum & Zachariam, qui initio Photium confirmârunt in Constantinopolitana sede, deinde Eugenium & Paulum, qui secundâ vice cum Photio communicârunt, excepit una cum Photio interitu damnetur, ne alius infinitus numerus ab Ecclesia pellatur: hoc enim facere consuevit Ecclesia. Oecumenica enim Synodus Quarta Dioscorum iniquitatis Principem, & auctorem, Flaviani interfectorem, beati videlicet Patriarchæ Constantinopolitani, damnavit, & homicidam & hæreticum, ut qui ausus est sanctissimo Papæ Leoni excommunicationem irrogare: eos verò qui à Dioscoro fuerant ordinati, vel lapsi fuerant, cùm tamen pietatis sectatores fuissent, per pœnitentiam illos suscepit. Nicæna etiam septima Synodus auctores hæresis Iconomachorum damnavit, illorum verò sequaces per pœnitentiam admisit. Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tanquam ab initio schismaticum, & à schismaticis illegitimè ordinatum, & propter alia multa, quæ operatus est mala, expellere: eos verò qui*

vò qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ pax & tranquillitas ita restituatur, & non alii quidem Apollo, alii Cephæ sint, & alii Pauli, & sic unum Corpus Ecclesiæ dividatur, sed omnes unanimes, tanquam unum caput habentes, Christum Deum & Salvatorem omnium nostrûm, omnes communiter illi laudes offeramus, & ejus præcepta similiter prædicemus. Neque propter unum hominem peccatorem tantus numerus pereat. Sed morante adhuc Stephano, & postea à morte sublato, tandem à Formoso Pontifice Orientali Ecclesiæ, quæ preces in communem causam sociaverat, facta est gratia; verba Pontificis ad Stilianum hæc sunt: *Oportebat istam Ecclesiam, in qua talia deprehenduntur facta, gravissimas dare pœnas, ut hujusmodi pœnis vestra Ecclesia purgaretur. Continet autem nos benignitas, & fratrum dilectio, quæ nobis persuadet, ut alia quidem toloremus, alia verò omnino è medio tollamus. Quapropter misimus è latere nostro Religiosissimos Episcopos Landenulphum Capuanum & Romanum, quibuscum sanctitatem etiam tuam hortamur convenire; nec non Theophylactum Metropolitanum Ancyræ, & Petrum fidelem nostrum: ut ita ante omnia in Photium prævaricatorem, & legum eversorem sententia à Prædecessoribus Oecumenicis Pontificibus ante omnia synodicè prolata, nec non à nostra humilitate confirmata perpetuo tempore immutabilis permaneat. Cum iis verò, qui à Photio fuerunt ordinati, misericorditer nos gerentes, decernimus, ut oblatis libellis se deliquisse fateantur, & pœnitentiæ veniam deprecentur, pollicentes se nunquam tale quid commissuros. Deinde his peractis, quæ sequuntur omnia, quæ nostris litteris mandata conficiuntur, unà cum prædictis viris sanctitas tua peragat, ne aliquid addendo, nec deminuendo aut commutando. Ita enim & à nobis, & à reverentia tua in communionem fidelium receptis ut laicis, scandalum deleatur.*

S. Martinus Papa contra canonem Apostolicum in casu necessitatis bigamum ad minores, immo etiam Subdiaconatum admittit *in c. Lector. d. 34.* Nec obstat *c. nuper de bigamis*, quo non absolutè potestas in bigamia dispensandi negatur, sed tantùm eam facilè non concedi innuitur.

S. Gregorius M. circa annum DCI. contra antiquos canones ac etiam Concilii Lugdunensis „ qui usque ad septimum Consanguinitatis gradum matrimonia vetabant „ cum Anglis dispensat, ut habetur *in c. quædam Lex 35. q. 3.*

V. Patet.

V. Patet ergo ex hactenus citatis canonibus, usúque Ecclesiæ perpetuo, semper hanc dispensandi facultatem penès Romanum Pontificem fuisse, eámque qui neget, aut nimiâ rerum ignorantiâ laborare, aut nimiâ præsidentiâ, perinde ac si credere tu possis, aut alteri persuasum velis, lucem in meridie, in mari aquam non esse: Immo si canones, si experientia cessent, an non hoc ipsum ratio ipsa convincit? leges enim locis, hominibus, temporibus aptantur, quæ sicut variant, ita legem variari aut flecti oportet: ridiculus sit nauta, qui aliter ventis spirantibus, non ipse vicissim aliter velum inflectat; quando ad portum venturus, si auris, undæque non pareat? Lex quæ multis profuit, non paucis nocuerit: quæ centum retrò annis severitate animos continuit, eâdem severitate incitabit, legúmque contemptum inducet, nisi molliantur: alii sunt præpotentes, qui leges non ferunt; laxandæ ergo sunt, minoríque malo, majus avertendum: alii sunt, quorum imbellicitas legibus opprimitur potiùs quàm juvatur; ergo mitigandæ sunt leges, nec onus addendum jam cadentibus: alii quos legum observantia, matrimoniis, pace, religione, fœderibus arcet, quæ sit crudelitas & illos tam multis malis, & Rempublicam aliquâ indulgentiâ non eximere? Omnium pedibus eundem calceum, omnium moribus idem pharmacum aptabis, idemque ùt dici solet, omnium oculis collyrium? ergo tam Reipublicæ aliqua necessaria est dispensatio, quàm animo aliqua quies, corpori aliqua à laboribus feriatio. Cui ergo dispensatio committetur? Omnibus? nullæ leges erunt, aut nulla legum observatio. Nulli? hoc humanæ conditioni, totque necessitatibus plùs quàm durum, nihil sperare posse. Concilio? Serum rarúmque remedium, morbo in dies medicinam postulante, & plerúmque nec moras patiente. Alicui? & cui parciùs quàm uni? tutiùs quàm communi pastori? meliùs potiúsque quàm Vicario Christi? Aut ergo nulla dispensatio admittenda est; quod plùs quàm in humanum: aut aliqua concedenda, & nulli magis honestiúsque quàm Romano Pontifici; nam si hunc excludas, multo magis alios excludes, minori potestate, minori gratiâ, Deique spiritu minùs instructos.

§. IV.

§. IV.

Non posse tamen summum Pontificem aut in omni lege Canonica, aut sine causa dispensare; & quænam sint legitimæ causæ?

Summaria.

1. *Non potest Papa in omni lege Canonica dispensare.*
2. *Nec sine causa.*
3. *Dispensatio in lege divina & naturali sine causa est irrita, & sola dissimulatio Principis non inducit dispensationem.*
4. *Quæ sint causæ dispensandi, quas pro legitimis sacri Canones admittunt.*

I.

ELeganter Papinianus monuit *in lib. 15. ff. de conditionibus institut. Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum esse.* Quod etiam habetur *l. 29. ff. de jure dotium.* Non ergo ii nos sumus, qui minorem honesti curam, sensumque quàm Ethnicus ille habeamus; & Pontificis Max. auctoritatem, quæ muniendæ rationi, proferendæque virtuti à Deo constituta est, contra rationem, contráque virtutem armare velimus: potest Papa quod licet, quod decet; quæ nec decent, nec licent, non potest; & sicut nullâ potestate, nullóque privilegio fieri potest, ut Papa non sit animal rationale, ita nullâ ratione fieri potest, ut non debeat ratione uti, & contra rationem facta damnare.

Non ergo potest in iis Papa dispensare, quæ velut fundamenta nervique sunt Ecclesiasticæ disciplinæ: & quibus indulgentiâ sublatis, necesse est Ecclesiam velut decolorari, ùt sancti Patres loquuntur.

S. Leo Papa epistolâ ad Rusticum Narbon. Episc. *in c. 2. d. 14. Sicut quædam sunt*, inquit, *quæ nullâ possunt ratione convelli; ita multa*

sunt; quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum oporteat temperari: illa consideratio semper servata, ut in iis; quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.

Gelasius Papa epist. ad Episc. per Lucaniam constitutos *in c. & si illa 1 q. 7. Et si illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si ceterorum constet integritas, nocere sola non valeant: illa tamen sunt magnopere præcavenda, quæ recipi, nisi manifestâ decoloratione non possunt. Ac, si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumq; cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis respectus excusat; quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?*

II. Sic etiam non potest Papa absque legitima honestáque causa in lege Canonica dispensare, esset enim hujusmodi dispensatio imprudens, noxia, disciplinæ adversa, repugnansque & obligationi, quâ tenentur Pontifices proprias ac antecessorum leges observare, & officio Papæ, cujus est canones custodire, non violandos exponere, & etiam juramento, quo se, cùm Pontificatum ingreditur, obstringit. Audiamus ipsorum Pontificum, Patrumque testimonia.

Clerus Romanus in Epist. ad S. Cyprianum Episcopum *in c. absit d. 50. Absit à Romana Ecclesia vigorem suum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis eversâ fidei Majestate dissolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utiq; non profutura præstentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, si etiam ipse medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? si tantummodò operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia conducere cicatricem? Hoc non est curare; sed, si dicere verum volumus, occidere.*

S. Damasus Papa *Epist. ad Aurel. Carthagin. Epis.* quæ habetur præfixa *Tomo 1. Concilior. Violatores voluntarii Canonum graviter à sanctis Patribus judicantur, & à Spiritu Sancto (cujus instinctu ac dono dictati sunt) damnantur: quemadmodum blasphemare Spiritum S. non incongruè videntur, qui contra eosdem sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter (ùt præfixum est) aliquid aut protervè agunt, aut loloqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim*

præ-

præsumptio manifestè unum genus est blasphemantium Spiritum Sanctum, quemadmodum (ut jam prælibatum est) contra eum agit, cujus impulsu & gratiâ iidem sancti editi sunt Canones. Diabolica verò nequitia plerósq; subtiliter fallere solet, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis sæpissimè illudit, ut pro salutaribus nocitura persuadeat. Idcirco norma sanctorum Canonum, qui sunt spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentiâ consecrati, fideliter à nobis est scienda, & diligenter tractanda; ne quovis modo sanctorum Patrum statuta absq; inevitabili necessitate, quod absit, transgrediamur; sed fidelissimè per ea gradientes, cum eis, qui eos instinctu divino condiderunt, mercedis gloriam & laboris cumulum, eorum meritis, auxiliante Domino, habere mereamur.

Hadrianus II. Papa *epist. ad Basilium Macedonem Imperat. Neq; enim nobis moris est, ut pro libitu proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum Ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc Synodorum statuta, vel etiam Apostolicæ sedis decreta proferunt, cùm vel alios lædere, vel se juvare concupiscunt. Et hæc tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se, vel pro aliis proponerentur, si nostra, more priorum, æquitas in vestræ Urbis Præsules majorum regulis obviantes commoveri severiùs voluisset. Quamvis multa instantia & certamen viri prudentissimi & religiosissimi Egumeni, ac vasorum sacrorum custodis Theognosti, qui de pietatis vestræ virtutibus, & probabilium morum insignibus, & trophæorum triumphis, atq; beneficiorum vestrorum piè sibi præstitorum multitudine nos plurimùm relatione suâ lætificavit, & qualiter diebus vestris, superno brachio atq; studio & solertia vestra Christianitas prosperetur, enarrans multimodas laudes sanctæ Trinitati reddendas, & gratias alacriores exhibuit, ad postulata divinitùs muniendo Imperio vestro concedenda nos supra modum efflagitaverit, & ultrà quàm dici possit, solito & prisco more, ac pro Ecclesiasticis utilitatibus frequenter impenso, crebris suggestionibus instigârit: super quibus tamen propter jam designatam causam nec annuere possumus, nec quidquam præter quod jam evangelizatum est, ullo modo definire.*

Concilium Tridentin. *sess. 25. de Reform. c. 18. Sicut publicè expedit, legis vincula quandóq; relaxare, ut pleniùs evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat: sic frequentiùs legem solvere, exemplóque potiùs, quàm certo personarum, rerúmque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendas adi-*

tum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quòd si urgens, justáque ratio, & major quandóque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atq; gratis, quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio surreptitia censeatur.

Baronius *ad annum DCCCLXIX.* recitat juramentum, quo summi Pontifices, antequam inaugurarentur, se obstringebant, ubi inter alia: *Diligentiùs autem & vivaciùs, quamdiu vixero, omnia decreta Canonica prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæcunq; ipsi synodaliter statuerunt, & probata sunt, confirmare, & indiminuta servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire: quæq; vel quoscunq; condemnaverunt vel abdicaverunt, simili sententiâ condemnare vel abdicare. Disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut invenimus à Sanctis prædecessoribus meis canonicè traditum, quamdiu vita in istis comes fuerit, illibatè custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, neq; alienare, seu in feudum, censum, vel emphyteusim dare quomodolibet ex quacunque causa; & ut indiminutè custodiantur, operam dare. Nihil de traditione, quam à probatissimis prædecessoribus meis canonicè traditam & servatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; sed ferventer, ut eorum verè discipulus, & sequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, & servare & venerari.*

S. Bernardus *l.3. de Consider. c. 4. Spiritualis homo ille, qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine dijudicetur, omne opus suum trinâ quadam consideratione præveniet. Primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat. Nam etsi constet in Christiana utiq; Philosophia non decere, nisi quod licet, non expedire, nisi quod decet & licet: non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Túne major Domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam? Quanquam non minùs dejecti quàm elati animi est, velut irrationis expertem non pro ratione, sed pro libitu agere, nec judicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? & si indignum cui vis utenti ratione, vivere ut pecus? Quis in te rectore omnium tantam contumeliam naturæ, honoris injuriam ferat? Sic degenerando (quod absit) gene-*

nerare

nerale opprobrium feciſti proprium tibi: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

S Thomas *1 2. q. 79. a. 4. Si autem rector univerſitatis absq; ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens, ſi rationem diſpenſandi ignoret, propter quod dicit Dominus Lucæ 12. Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?*

III. Immo ſi agamus de jure divino aut naturali, v. g. in votis & juramentis, diſpenſatio absque cauſa legitima non tantùm illicita eſt, ſed omnino invalida, (a) nec in foro externo, cùm in jure divino aut naturali, præſertim ad petitionem partis diſpenſatur, præſumitur juſta cauſa, niſi probetur, cùm ſæpiſſimè aut importunitate aut mendaciis Principes victi concedant, quæ non oportet *c. ult. de Reſcript. in 6. & c. 6. extra eod. & l. 1. C. de petition. bonorum ſublat.* V. Sanchez *cit. n. 14.* multo minùs ſolâ impunitate ac diſſimulatione Principis inducitur diſpenſatio per textum & DD. *in c. cùm jam dudum. de præbend. & c. 3. de cognat. ſpirituali*, & docet Sanchez *L. 2. de matrim. d. 38. n. 12.* ubi reſpondet ad celebre *c. quia circa. de conſang. & affinit. & l. 8. d. 5. n. 25.* Abb. *in c. veniens de fil. Presbyt. n. 7.* Menoch. *de præſumpt. l. 2. 20. n. 32.* Et ratio eſt, quia diſſimulatio ad permiſſionem potiùs pertinet, quæ non excuſat, quàm ad diſpenſationem: hæc enim cùm ſit gratia & beneficium, ac legitimâ causâ nitatur, non eſt ut eam ſuperiores diſſimulent tegantque.

IV. Ceterùm variæ ſunt cauſæ diſpenſandi, & quas pro legitimis Canones admittunt. *Primæ* ac præcipuæ, & ad quas omnes ferè reducuntur ſunt neceſſitas & utilitas *c. etſi illa 1. q. 7. c. 2. de transl. Epiſcoporum.* S. Bernard. *l. 3. de conſiderat. c. 4.* circa finem. *Secunda:* Mutatio temporum & perſonarum *c. 1. & 3. d. 29. c. non debet. de conſanguinit. Tertia:* Virtus eminens & habilitas ſupplicantis *c. 13. & 14. d. 56. c. tali 1. q. 7. Quarta:* Periculum diſſenſionum & publici damni *c. 25. d. 50. c. diſpenſationes 1. q. 7. Quinta:* Scandalum puſillorum, eósque lucrandi ſpes. *c. quædam 35. q. 3. Sexta:* Simplicitas delinquentis *c. tanta 1. q. 7. Septima:* Multitudo delinquentium *c. quoties 1. q. 7. Octava:* Temporum hominumque malignitas duriora aſpernantium *c. quoniam 1. q. 7. &c.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. & Gloſſa ab omnibus recepta in c. non eſt. de vot. Sanchez lib. 8. de matrim. d. 17. n. 3.

FINIS LIBRI IV.

INDEX PARAGRAPHORUM.

PRÆLUDIORUM.

§. I. Quid Jus Regaliæ, quæ illius origo, progressus: quæ causa, ut tam acriter impugnatum, defensumque, & rationes utrinque productæ. fol. 2

§. II. Rationibus & exemplis ostenditur, animum passionibus agitatum in errores prolabi Ecclesiæ fatales. 73

§. III. Quam in hoc Regaliæ negotio PP. Societatis personam egerint? 81

§. IV. Exhibetur Edictum Regium cum Propositionibus Conventûs Paris. 85

§. V. Hæreticos ad veram Religionem non propterea faciliùs converti, quòd Catholici eorum postulatis acquiescant, eorúmque doctrinæ propiùs accedant. 88

§. VI. Calvinistis & Lutheranis non favere Propositiones Parisiens. quò causam suam meliorem faciant, Catholicorum verò pejorem reddant. 91

LIBER I. fol. 99.

PROPOSITIO PARISIENSIS I. fol. 99.

§. I. Pontifici Romano in Principes sæculares, eorumque Provincias & Regna Jus aliquod & potestatem dari, non tamen ordinariam & directam. fol. 101

§. II. Esse in Ecclesia, & in capite Ecclesiæ, Romano vid. Pontifice potestatem indirectam, cùm urget necessitas tuendæ Religionis, in Reges corumq; bona temporalia, ex sacris litteris demonstratur. 107

§. III. Primus textus Canonicus ex c. novit 13. de Judiciis. 117

§. IV. Secundus Textus Canonicus ex cap. licet 6. de votis. 121

§. V. Tertius Textus Canonicus ex c. venerabilem 34. de elect. 123

§. VI. Quartus Textus Canonicus ex Clementina unica, de jurejurando. 166

§. VII. Quintus Textus Canonicus ex c. ad Apostolicæ, de sententia & re judicata in 6. 176

§. VIII. Sextus Canonicus Textus in Extravagante unica, si Fratrum, ne sede vacante. 179

§. IX. Septimus Textus Canonicus in Extravagante, unam sanctam: inter

inter communes, de Majoritate & obedientia: & Extravagante, meruit: de privilegiis. 187
§. X. Octavus Text. Canon. ex cap. grandi. de supplen. neglig. Præl. in 6. 192
§. XI. Nonus Textus Canon. ex c. per venerabilem, qui filii sint legitimi. 194
§. XII. Decimus Textus Canonicus ex c. alius item. causa 15. q. 6. alliſque textus allegati. 196
§. XIII. Ecclesiasticam potestatem etiam in Reges eorúmque temporalia extendi, auctoritate Concilii Constantiensis, quá Conventus Gallicanus maximè nititur, clarè ostenditur. 197
§. XIV. Concilii universalis Lateranensis IV. in eandem sententiam Decretum ex c. 3. de Hæret. 202
§. XV. Hæc ipsa SS. Pontif. autoritas & potestas exemplis confirmata. 206
§. XVI. Testes pro eadem Sententia. 222
§. XVII. Rationes pro eadem veritate. 236
§. XVIII. Solvuntur Objectiones. 250
§. XIX. Quando, quibusque ex causis in particulari possit S. Pontifex potestatem in Magistratus & Principes sæculares exercere? 259
§. XX. Quam censuram mereatur prima Conventûs Parisiensis propositio. 262

LIBER II. fol. 274.

Propositio Parisiensis II. f. 274.

§. I. Quid Concilium Generale seu Oecumenicum, & quæ ad tale Concilium requisita. fol. 275
§. II. Origo, Necessitas, Commoda & Incommoda Concilii Oecumenici & universalis. 278
§. III. Quando hæc quæstio de superioritate Concilii supra Pontificem agitari cæpta, & quas ob causas? 283
§. IV. Summum Pontificem supra Concilium esse ex SS. Litteris probatur. 287
§. V. Conciliorum testimonia, quibus se Pontifici submittunt. 305
§. VI. Summum Pontificem à nemine, præter solum Deum, judicari posse: non ergo Concilio subjici. 349
§. VII. Non dari Appellationem à summo Pontifice ad Concilium, non ergo huic Pontificem subesse. 360

§. VIII. A Concilio universali ad Papam appellari: hunc ergo illo majorem esse. 366
§. IX. Solum Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, universalis Ecclesiæ Caput, & Episcopum: ex quibus manifestè deducitur, esse supra Concilium, eóque Majorem. 379
§. X. Concilium universale à Pontifice non approbatum, errori esse obnoxium: non ergo supra, sed infra Pontificem esse, & hujus judicio & correctioni subjectum. 387
§. XI. Patrum aliorúmque Doctorum pro summo Pont. testimonia. 392
§. XIII. Quâ censurâ Patres & Doctores eos notaverint, qui à Romano Pontifice dissentiunt, & hunc Concilio submittunt. 396
§. XIII. Supremam in Christi Ecclesia potestatem penès Romanum Pontificem, non Concilium esse, rationibus evincitur. 399
§. XIV. Qui sint casus excepti, in quibus Papæ Concilium prævalet. 415
§. XV. Respondetur ad argumenta ex SS. litteris petita. 420
§. XVI. Respondetur ad auctoritates Concilior. Constant. & Basileens. 426
§. XVII. Respondetur ad Textus Canonicos. 443
§. XVIII. Respondetur ad exempla Pontificum, qui à Conciliis videntur judicati, damnatique fuisse. 448
§. XIX. Respondetur ad alias rationes, quæ Pontificibus opponuntur. 452

LIBER III. fol. 466.

Propositio Parisiensis III. fol. 466.

§. I. Quid sit Pontificem è Cathedra docere. 467
§. II. Summi Pontificis è Cathedra, quamvis extra Concilium, docentis, indubiam & infallibilem auctoritatem esse, sacris Paginis docetur. 470
§. III. Eadem Papæ Ecclesiam docentis infallibilitas è sacris Canonibus asserta. 479
§. IV. Pontificis Maximi in rebus fidei discernendis infallibilitati Concilia suffragantur. 486
§. V. Patrum pro eadem Pontificis infallibitate consensus unanimis. 495
§. VI. Praxis, usúsque Ecclesiæ pro eadem infallibilitate Pontificis Romani. 510
§. VII. Rationes pro Romani Pontificis infallibilitate. 518
§. VIII. Censuræ Patrum & Doctorum. 525
§. IX Respondetur ad objecta. 529

LIBER IV. fol. 559.

Propositio Parisiensis IV. fol. 559.

§. I. Papam in lege divina & naturali dispensare non posse. 560
§. II. Summum Pontificem suis suorúmque prædecessorum legibus, quoad vim directivam, obstringi. 570
§. III. Posse summum Pont. ex justis causis in omni lege Canon. dispensare. 575
§. IV. Non posse tamen summum Pontificem aut in omni lege Canonica, aut sine causa dispensare, & quænam sint legitimæ causæ? 585

Obser-

Obſervationes & Quæſtiones
ſuper Libro Regalis Sacerdotii, cum adjunctis Reſponſis.

I.

Pag. 80. habentur hæc verba: *Demus Papam terminos egreſſum*: Hic loquendi modus non decebat, cùm in cauſa Regaliæ ſummus Pontifex nullo modo ſit terminos prætergreſſus.

℟. Hæ & ſimiles locutiones, propoſitionem conditionatam & hypotheticam efficiunt, & hunc ſenſum reddunt: *Etiamſi Papa terminos egreſſus eſſet &c.* Quo loquendi modo hypothetico non tantùm nihil aſſeritur, ſed etiam impoſſibilitas ſæpe ſupponitur, & tantùm oſtenditur, unum ex alio ſequi, vel non ſequi. Sicut ergo qui diceret: *Si bos volaret, non ergo ideo eſſet aquila*; nil falſi aſſereret: & S. Paulus cùm dixit: *etiamſi Angelus aliud evangelizaverit, anathema ſit*; nihil dixit, quod reverentiam læderet Angelo debitam; ita & in præſenti caſu ſeu propoſitione. Et hujuſmodi locutiones etiam in ſcholaſtica Theologia & Philoſophia, ubi tamen exactiſſimè loquimur, frequentes ſunt.

II. *Pag. 84.* habentur hæc verba: *Aulamque Romanam nec facti memoria deſeret, nec facilitas vindicandi*; cùm tamen vindicta ſoli DEO relinquenda ſit.

℟. Vindicta eſt duplex, privata, & publica, quæ videlicet ſumitur à Perſona in officio conſtitutâ, & Reipublicæ præpoſitâ; & hæc vindicta non ſolùm licita eſt, ſed etiam actus virtutis pertinens ad juſtitiam, ut eleganter more ſuo docet S. Thomas *2.2.q.108.* in quo ſenſu S. Petrus loquitur cùm dicit: *Subjecti eſtote Ducibus, tanquam à DEO miſſis ad vindictam malefactorum.* In prætacto igitur loco ſermo eſt de vindicta publica, non privata. Quamquam ea eſt ſummorum Pontificum animi magnitudo, ut remedia, non vindictam quærant; hæc enim inter pares, non inter ſummos locum habet, nec à magnis Principibus magis injuriæ quàm contemptu vindicantur; nec du-

bitandum; Patres Societatis Professionis suæ memores & exemplorum, quæ in suis majoribus ad hæc usque tempora receperunt, paucorum culpas redempturos causâ veritatis susceptâ; præsertim cùm tot aliorum exemplis incitentur; quis enim credat, eos tantâ eloquentiæ & eruditionis laude hactenus florentes, silentium servaturos toto orbe loquente? cessant ut velociùs currant; & jam initia videmus in libris à P. Pallavicino pro Pontificis Primatu egregiè scriptis, ut proin non de vindicta, sed præmiis cogitandum sit.

III. *Pag.* 7. hæc habentur: *Sub Henrico Magno definitum est, jus Regaliæ esse universale, & ad omnes pertinere*; ubi non videtur posse dici definitum, quod intercedentibus Episcopis nunquam transivit in sententiam definitam & publicam, & conceptum decretum ad 60. annos fuit suppressum.

℟. Verum omnino est, sententiam sub Henrico Magno latam non transisse in rem judicatam, nec executioni datam, ideoque nec definitam fuisse.

IV. *Pag.* 43. de jure Regaliæ dicitur: *vix aliud in Historia Ecclesiastica obscurius occurrere, in tos Canonibus & Decretis Conciliorum aliter semper, aliterq; statuentium.* Et tamen nunquam videtur in Canonibus Conciliorum fuisse diversum spiritum, sed potius ex Conciliis, præsertim Gallicis, probari potest, fuisse semper unum eundemque spiritum reddendi Ecclesias liberas ab invasione Principum Laicorum, licet aliquando toleratus sit abusus.

℟. Verum est, unum eundemque Spiritum omnibus Conciliis & Canonum conditoribus adfuisse; cui tamen unitati non videtur obsistere, quod diversis temporibus aliæ & diversæ leges conditæ fuerint, jus enim humanum pro hominum temporumque conditione variatur, illæsa unitate spiritûs, quæ potiùs ex fine spectanda est, quàm ex mediis, quæ varia & subinde contraria sunt. Quam multæ leges humanæ abrogatæ, quàm multæ recens conditæ sunt, abrogatis contrariæ? Idem in forma Electionum contigisse videtur, quæ mutatæ frequenter sunt, nec aliud in præcitato loco dictum est.

V. *Pag.* 69. *Primis Ecclesiæ temporibus non alii Episcopis proventus erant, quàm Fidelium oblationes, decimaq;. Constantinus lege lata &c.* At certum est Ecclesias ante Constantinum Magnum habuisse bona immobilia, quæ à Tyrannis ablata, à Constantino jussa sunt restitui, ut constat ex Epistola ad Annolinum; non videtur ergo dici posse, quod Clerus quottidianis oblationibus & decimis tantum sustentaretur.

℟. Non

R. Non negat auctor etiam ante Constantinum aliqua Ecclesiis & Episcopis bona immobilia fuisse; sed pauca ea erant, nec ulla exstabat lex, quâ Christianis permitterentur donari: imò prohibebantur. Nec mirum ab Ethnicis Imperatoribus prohibitum id esse, cùm postea etiam aliqui ex Principibus Christianis id prohibuerint, quod Hieronymus deplorat *Epist. ad Nepotianum.* Primus ergo Constantinus legem tulit, quâ id liceret. Et ita etiam docet de Marca *lib. 8. n. 1.* & Glossa *in Legem primam eodem de SS. Ecclesiis.* Nec aliud intendebat auctor.

VI. Dicit ibidem de *Clodovæo, Pipino, & Carolo Magno, quòd integras Provincias, imò Regna Ecclesiis donaverint.* Quod nimium videtur, & hyperbolem sapit.

R. Nihil ibi dictum per exaggerationem, ex verbis Diplomatum patebit, quorum verba recitabimus. Diplomata Ludovici anno 817. hæc habent: *Ego Ludovicus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro Civitatem Romanam cum Ducatu suo, montanis & maritimis littoribus, & portubus &c. nec non Exarchatum Ravennatensem, hoc est, Civitatem Ravennam & Æmiliam &c. Eodem modo territorium Sabinense, Insulas Corsicam & Sardiniam, & Siciliam sub integritate cum omnibus littoribus &c. Insuper Campaniam, Capuam, Patrimonium Beneventanum & Salernitanum, Calabriam inferiorem & superiorem, & Patrimonium Neapolitanum.* Vide Baronium ad annum 817. Exarchatus autem & Pentapolis tres Provincias complectebantùr, videl. Flaminiam, Æmiliam, & Picenum; Civitates verò novem & viginti, inter quas præcipuæ Ravenna, Bononia, Ferraria, Arriminum, Ancona, & Urbinum; addit Anonymus illius temporis Scriptor etiam Venetiarum & Istriæ Provincias, Ducatum Mantuanum &c. Vide historiam *Josephi Cantelii* Parisiis impressam fol. 210. Ex quibus colligere est, cùm dixit integras Provincias & Regna à Carolo, Pipino, & Ludovico, ac successoribus donata, nihil exaggerationi datum. Clodovæus non Provincias quidem & Regna, sed alia & ingentia dona Ecclesiis dedisse legere est apud Spondanum *ad Annum 514.*

VII. *Pag. 91.* dicitur: *Propositiones, quas Episcopi Parisiis congregati ediderunt, necdum in Ecclesia damnatas esse.* Quod videtur contradicere iis, quæ alibi author dicit, præsertim *pag. 100.* ubi:

Hanc sententiam tanquam Divinis Litteris expressam, & præsertim à sacris Canonibus sanctisq; universalibus Conciliis assertam, omninò retinendam esse. Quid ergo huic sententiæ deest, ut ad fidem censeatur pertinere, & contraria ad perfidiam ?

℟. Propositiones Parisiis editas necdum hæresis damnandas esse, apud Theologos passim videre est, & nominatim apud Bellarminum, qui licet temerarias & erroneas reputet, hæresis tamen excusat, quippe à nullo sumorum Pontificum, aut Concilio universali expressè, & ex proposito ac causâ discussâ damnatas: quamvis enim Concilium Lateranense ultimum clarè loquatur; quid tamen Concilio Lateranensi opponi soleat, apud eundem Bellarminum videre est. Et reverà sicut dici solet, hosti fugienti pontem sternendum esse; ita ego censui Gallis effugium aliquod semper aperiendum, ut aliquando honestè possint receptui canere, quod non fieret, si semel hæresis damnarentur; idque à S. Augustino egregiè etiam observatum est *in libris de correptione & gratiâ, & contra errores Cypriani.*

Quòd verò alibi, & aliquoties innuam, eas Propositiones hæresin sapere; sciendum est, aliquam Propositionem duplici modo hæreticam dici posse: I. *formaliter & immediatè.* Quia videl. à summis Pontificibus, vel Conciliis universalibus, expressè & causâ cognitâ damnata est, & qui talem propositionem contumaciter defendunt, verè ac propriè hæretici sunt. II. Potest Propositio aliqua dici de fide, & ei contraria esse hæretica *arguitivè & mediatè*; quia licet non sit immediate in SS. Scripturis revelàta, aut à S. Pontificibus vel Conciliis universalibus expressè, & causâ cognitâ decisa aut damnata; per bonum tamen discursum ex revelatis & decisis deduci potest, & qui talem Propositionem negat, temerarius propriè dicitur; & hoc secundo modo loquitur Auctor, cùm Propositiones Parisienses perstringit, solentque Theologi Scholastici passim ita loqui; crescit verò decrescitque temeritas, prout principia, ex quibus Conclusio deducitur, magis aut minus certa sunt. Illud verum est, loca S. Scripturæ adeò perspicua esse, & consensum Patrum ac Conciliorum, praxinque Ecclesiæ adeò constantem & uniformem contra Propositiones Parisienses, (ut videre est apud Eminentissimum Aguirre, quo revera nemo solidius de hoc argumento scripsit, nec credo aliquid amplius supereresse, quod dici scribique post illud possit,)

ut om-

ut omninò credam, nullam unquam Propositionem propiùs hæresin fuisse.

VIII. *Pag. 139.* de Regibus Galliæ hæc habentur: *Accedebat jam à tempore D. Augustini vulgatum inter Patres vaticinium: Francorum Regnum perpetuum fore. Meminitque Augustinus hujus vaticinii in libello de Antichristo &c.* Sed hic libellus non est Augustini, sed potius Rabani Mauri. Similia hinc inde Apocrypha miscere videtur.

R. Libellus de Antichristo revera non est Augustini, ut benè notatum est, & Bellarminus, Lovanienses, Erasmus aliique observarunt. Cæterùm de perpetuitate Gallici Imperii ob beneficia in Ecclesiam collata; & Saracenis à Gallis debellandis, fuisse Patrum sententiam & vaticinia, videre est in citato libello Rabani, & ex Luitprando in revelatione legationis suæ cujus, etiam meminit Spondanus *ad annum 963. n. 5.* Quæ de Apocryphis dicuntur, notandum est, in libro primo Regalis Sacerdotii aliquorum testimonia recitari, præsertim Pontificum primorum, trium aut quatuor sæculorum, quæ licet aliis scriptoribus eruditi adscribant, sunt tamen magnæ authoritatis, & causam validè confirmant; nam & Gemmarii lapillos magni pretii auro argentoque illigant, metallo infra gemmas, nec tamen vili. Exempla sunt; *primò*, citavit author aliquoties Epistolas primorum Pontificum, quas plerique Eruditorum supposititias esse censent, ob rationes quas Marca producit *lib 3. c. 5. §. 1.* eas tamen nihil falsi continere, sed conflatas esse ex antiquorum Patrum scriptis, Canonibus Conciliorum, & sacris Scripturis ipsi Galli fatentur; nam de Marca Archiepiscopus Parisiensis ita loquitur: *has Epistolas ex sententiis & verbis legum, Canonum antiquorum, & SS. PP. qui quarto sæculo floruerunt, concinnatas esse constat* Et hinc tempore Isidori Peccatoris luci datas suscepit omnis Hispania, & ad hoc usque sæculum cum Hincmaro Rhemensi omnis Gallia venerata est. Id ipsum fatetur Emanuel Schelstrate in antiquitate illustrata *à fol. 439.*

Secundò: citavit Auctor secundam Romanam synodum sub Silvestro Pontifice, quam etiam citarunt Adrianus *primus in Capitularibus c. 72. Luitprandus Ticinensis de Vitis Pontificum, Nicolaus Papa Epist. ad Michaelem Imperatorem, Ivo Carnotensis, & Bellarminus lib. 2. de Conciliis c. 17.* Quamvis verò hanc synodum suppositiam esse plerique credant, Christianus tamen Lupus benè advertit *parte 4. ad Canonem 19.* confictorem hujus synodi fuisse omnino Catholi-

cum, & vixisse octavo sæculo, ideoque juxta communem sui temporis sententiam locutum esse, *vide Schelstrate fol. 478.*

Tertiò: citavit auctor Canones Arabicos Concilii Nicæni, qui licèt à multis impugnentur, desumpti tamen sunt ex Codicibus Arabicis, Chaldaicis, Ægyptiacis, Æthiopicis, & Syriacis, quorum exemplaria, & editiones in Bibliotheca Vaticana Romæ exstant, suntque opus antiquissimum; & hæc collectio Canonum Arabicorum conflata est non solum ex vulgatis Canonibus Nicænis, sed etiam ex actis ejusdem Concilii; quæ causa fuit multis errandi, cùm Canones Arabicos expungi voluêre; sed eos retinendos esse, patet tum ex dictis, tum ex aliis multis, quæ videri sunt apud Abrahamum Ecchelensem Maronitam, & Franciscum Turrianum, aliosque. Ex his aliisque constat, testimonia ab authore recitata magni ponderis esse, & ex sensu antiquitatis; quæ si nolis inter gemmas referre, auri tamen pretium merentur. Sed quidquid de his sit, alia extant ab authore citata, & ab omnibus receptissima Patrum & Conciliorum testimonia, quæ, etiamsi alia absint, Romani Pontificis prærogativas plus satis ostendunt.

IX. *Pag. 285.* dicitur de Lateranensi Concilio, *auctoritatem Papæ supra Concilium in eo expressè definitum esse*: Sed hoc non videtur expressè illic definiri, sed quasi per accidens.

℟. Cùm author dicit, authoritatem Papæ supra Concilium in Concilio Lateranensi definitum esse, non loquitur de definitione Dogmatica, sed doctrinali, & quæ sine temeritate negari non potest; quo etiam modo Bellarmnus loquitur *de Conciliis c. 17. lib. 2. ubi: Concilium Lateranense ultimum diserte & ex professo docuit Pontificem esse super omnia Concilia; & reprobavit contrarium decretum Concilii Basileensis.* Ibidem error typographi contigit, qui pro Concilio Constantiensi posuit Concilium Constantinopolitanum.

X. *Pag. 298.* Citatur Agathonis Epistola, quasi pro infallibilitate summi Pontificis explicet textum Lucæ: *Pro te rogavi Petre &c.*

℟. Epistola Agathonis dogmatica in sexta universali synodo recitata, & instar oraculi accepta, *actione quarta* ita sonat: *Apostolica Christi Ecclesia, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini pollicitationem, cùm dicit: Petre, ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; consideret itaq; vestra Clementia, quoniam Dominus omnium, qui fidem*

Petri

Petri non defecturam promisit confirmare Fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis Prædecessores &c.

XII. *Pag. 309.* citatur Decretum Julii primi *ex Epist. 2. ad Orientales*; quæ supposititia est.

R. Epistola 2. Julii ab omnibus ferè eruditis pro supposititia habetur; quamvis tamen Julii non sit quoad substantiam, nihil discordat ab aliis Sanctorum Patrum legitimis testimoniis; nam idem Julius *in Epistola tertia ad Orientales*, quæ omnium consensu legitima est, & citatur à S. Athanasio *Apologia 2.* ita loquitur: *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri posset, quapropter si hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerint, quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt; non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste & novum studium est.* Et Symmachus in tertia synodo Romana, & in libello Enodii, qui habetur Tomo 2. Conciliorum: *Legistis insanissimi aliquando præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de majoribus negotiis præfatæ Sedis arbitrio fuisse servatum?* S. Leo Epist. 55. ad Pulcheriam: *Consensiones Episcoporum Nicæni Concilii Regulis repugnantes in irritum mittimus, & per Authoritatem Beati Petri generali Definitione cassamus.* Et S. Gregorius *lib. 4. Epist. 34. Acta illius synodi*, (videlicet Ariminensis,) *Sede contradicente Apostolicâ soluta sunt.* Verba tertiæ Synodi Romanæ sub Symacho hæc sunt: *Quod in Apostolica Sede non existente Præsule, qui meritò Beati Petri per universum orbem primatum obtinens Sacerdotii, Statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere dubium non est.* Ex quibus palàm est,

Epistolam secundam Julii Pontificis, etsi Julio falsò adscribatur, quoad substantiam tamen omninò cum legitimis documentis convenire.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN